Digitized by Google

Digitized by Google

DE VERA
SENONUM ORIGINE CHRISTIANA,
ADVERSUS
JOHANNIS DE LAUNOY
THEOLOGI QUONDAM PARISIENSIS
CRITICAS OBSERVATIONES &c.
DISSERTATIO.
ADJECTA EST APPENDIX
ADVERSUS
Duas Propoſitiones recentioris in eadem Pariſienſi Facultate Theologi.

Auctore R. P. D. HUGONE MATHOUD Preſbytero Monacho Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.

PARISIIS,
Apud SIMONEM LANGRONNE, viâ Victorinâ, ſub Sole Oriente.

M. DC. LXXXVII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Digitized by Google

A 7tt — 10/

+7

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

QUIS ſopitam non putaſſet celebrem illam quæſtionem, quæ tanto partium ſtudio ſcriptis utrinque diſſertationibus agitata fuit hoc ſæculo, de certo tempore natalis ſedium Epiſcopalium in Gallia (ceteras orbis Chriſtiani regiones & earum ſacra primordia pariter impetita non moror) primiſque ſuſceptæ veræ Religionis intrà fines noſtros exordiis ; ex quo tandem ſiluêre nominatiſſimi duo nuperæ opinionis anteſignani, quorum primus ſua ſponte, vel ſuorum ſuaſionibus pœnitens ; alter forti pumice copioſiſſimè terſus, ad avitæ fidei decorem, ſuarumque Eccleſiarum traditionem rediere.

II. Verùm tam late ſerpſit cancer novitatis, vel ſi mavis dicere citrà temerarios auſus, tot ſunt qui quærant ſuo nomini celebritatem diſpendio veritatis, ut plures adhuc audias hujus novi opinamenti ſtudioſos, apud quos plus valeant quædam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SulpitiiSeveri verba jejune dicta & perperam intellecta,ut ex Cl. V. Boſqueto ſummæ eruditionis Antiſtite lib. 1. Hiſt. cap. 36. colligitur; & celebris illa S. Gregorii Turonenſis Epiſcopi pericope malè aſſuta, nec ſibi cohærens, ipſique auctori contraria; quàm ipſa ſacræ ſcripturæ oracula, effata Patrum, perpetua nec dehiſcens fides traditionum, hiſtoriarum ſacra monimenta, vetuſtiſſima nobiliorum Eccleſiarum & Cœnobiorum Dipthyca, ceteraque rationis firmamenta, quæ ſingula lector infrà diſcutiet.

III. Hic gentilitius error & Galliæ labes, quæ ſibi crudeliter parca, & in alios ſua ſponte propenſa, primævam illam ſuæ fidei geneſin (quantùm ſpectat ad tempus & primos illius auctores) quam Perſis, Medis, Bactris & Indis cæteriſque regionibus ab ipſo orbe ferme diſſitis, tamquam primis Chriſtianæ fidei cunis coævam ultrò concedit, à ſe tamen repellere ſibi ducit honori; putantque illi (quos aliunde eximios habet) variæ eruditionis & reconditioris doctrinæ ſibi præ cæteris famam comparaſſe, ſi cum Severo majores ſuos 120. aut circiter annis ſerius Chriſtianos agnoſcant. Hinc repudiata ſuorum natalium antiquitate, in illam acriùs invehuntur, & quotidianis velitationibus apud nos perſtrepunt.

IV. Piis manibus doctiſſimi Viri Joannis Launoii Doctoris apud Regiam Navarram Pariſienſis fauſta jamdiu precamur,nec temerandam putamus ſcriptoris famam ab humanis erepti, & in pluribus de re literaria bene meriti; ſed tacendum numquam erit in argumentorum delectu, quibus vividum

Digitized by Google

ſcribendi genium exerceret, plura prætuliſſe quibus pax Chriſtiana periclitari viſa eſt, & ob quæ, niſi fallit plurium opinio, ſingularis audiit apud omnes. Paucæ ſunt utriuſque Cleri ſocietates eximiæ, quibus neceſſarius non fuerit cum eruditiſſimo viro conflictus, acrior pugna, & dolenda ſemper victoria, cùm ei nuſquam impune fuerit, jure vel injuriâ, æmulos provocaſſe, & manus forſan innoxias cum pluribus conſeruiſſe, quos præter cauſæ meritum, veritatis & religionis zelus exacuit. Plures enim habuit inſigniter doctos, qui dum publicis ejus aut privatis aggreſſionibus offenſi dandas eſſe vindicias ſibi neceſſarium eſſe putarunt, atrociter & minus ſervato moderamine inculpatæ tutelæ digladiati ſunt, indignum non rati, nec à Chriſtiana regula diverſum, inter literatos par pari referre. Celeberrimis illis & ſcientiarum apice præcipuis jus dicere noſtra non eſt: mihi tamen meliùs ſedet, ubi nullum pro veritate periculum, fraternæ charitati pacique conſulere, & ea tacere quibus ulciſci te velles. At ubi vera periclitantur, aut fama perit aliorum diſpendio, adverſarii fraudes, ſi quæ ſunt, criminationes, ſophiſmata, cæteraque calami inſida detegi, purgari, revinci poſcit pietas, juſtitia jubet.

V. Inter plura varii generis argumenta quæ Launoii nobiliſſimi ſcriptoris nomen longius provexêre (incerta tamen famâ, nec ſibi umquam conſtanti) nullum habuit chariùs in votis, & ad indolem ſuam ingenioſiùs fictum, quàm illam de Miſſionibus apoſtolicis theſin, quam certè impigro labore, miro verborum apparatu, & quæſitis arte fle-

Digitized by Google

xibus & euripis, ſed ingratâ ſemper Minerva (quod videbimus) accuravit. Inſurrexêre plures, quiſque pro ſuæ Diæceſeos ſacris primordiis & primariæ ſedis antiquitate; ſed in Dionyſium Areopagitam & Pariſienſem pugnæ major impetus efferbuit ex Gregoriana pericope à quâ feliciter immunis Savinianus primus ſenonum Antiſtes, de quo conſtanter ſiluit Turonenſis. Sed cùm in Severi Sulpitii placitum plus æquo proclivis Launoius fuerit, (quem in hac lucubratione Diſſertatorem nominari placuit) quod ſtatim rueret, ſi Savinianus ſub æra Petri apoſtolorum principis, uti ſuademus, pacificè degeret; par ei cum aliis ejuſdem ætatis ſacris præſulibus certaminis alea ſubeunda fuit, & cura nobis injuncta nobiliſſimæ Metropoleos Senonenſis Chriſtianam geneſin à novantium conatibus protegendi.

VI. Quæ porrò in his literariarum litium anfractibus nobis adverſus Diſſertatorem methodus præferenda ſit poeticum iſtud ſuadere videtur.

Inter utrumque tene, medio tutiſſimus ibis.

Nihil nauſeanti ſtomacho præter fas indulſimus, adverſus virum ſuis affectibus gravem; ſed à præſtigiis veritati cavimus; ne fraus, ſi qua ſit, prævaleret, & larua mendacij. Si quæ forſan calami deliquia palam fieri neceſſum fuit, illæſâ ſemper tanti viri reverentiâ, & pro mea erga piiſſimos manes jure gratitudinis pietate dictum eſſe putes. Viderint alij quibus ſingularis propugnanda theſis, congreſſûs cum eo materiam dedit, cur eis extra chorum ſaltare libuerit, & à nævis ſpecialis argumenti, quibus ſolis abſtergendis ſtandum erat, ad alios

digredi, cunctaque quæ forſan aliàs peccaverit adverſarius. in faciem regerere, quaſi licitum putent pro ſtudio veritatis, obrui charitatem. Non ea mens nobis in hac de primi ſæculi Miſſionibus quæſtione: ſtetimus erratis quæ diſſimulare fas non fuit, quantùm intrà theſis fines diſcurrere licuit: extrà vagari religio nobis fuit; & ſi quid intrà ſpeciem argumenti paullò durius excidit, non animi virus, ſed calami fatum eſſe credas, cùm zelo propugnandæ veritatis acuitur. Quædam mali hujus ſchematis forſan occurrent in hujus Diſſertationis progreſſu; ſed quæ ſincerè confitenti condonanda velit lector, & ad hanc limam reformanda. Immo non erat animus diu ventilatum hoc adverſariorum dogma convellere, iterumque ſubire laborem in cauſa communi, cui pro Areopagita Dionyſio Pariſienſibus vindicando tot egregij pugiles eruditionis famâ notiſſimi ſuam feliciter operam navaverunt; & quia pari cum aliis victoriâ gaudet Savinianus, ſi ſpectetur jam toties profligata Severi epocha ab illis, qui pro Dionyſio cæteriſque Galliarum primipilis revexêre triumphum. Æqua igitur videbatur cauſa ſilentij: ſed ſcribendi graviores interceſſere, quarum potiſſimam hîc lector accipe.

VII. Celebris eſt ad muros Senonenſes domus Viviana, ſeu cœnobium S. Petri Vivi, aut de Vivo, Ordinis ſancti Benedicti è Congregatione S. Mauri, quod Chlodoveus primus Francorum Rex Chriſtianiſſimus excitandum voluit, pinguique tunc penu & inſigni Monachorum ſodalitio plurimum auxit, cum Techilde ſeu Theodechilde Regiâ prole

Digitized by Google

ex ejus cum Chlotilde connubio. In illius Cœnobialis Baſilicæ ſacrario, & intrà cryptarum majoriſque templi ambitum, præter triginta octo & inſuper ſanctorum corpora (quorum plurimi laureâ Martyrij decorati) publicis Eccleſiæ votis cultuque celebria, primi in Gallia fidei præcones Savinianus, Potentianus & Altinus, principis Apoſtolorum delegatione clariſſimi, nobiliter requieſcunt in thecis ſeu capſis argenteis auro, gemmis & varia lapillorum ingentis pretii ſuppellectile pretioſis. Quos inſuper ambiunt ibidem plures Martyrum aggeres utriuſque ſexus, in arenariis ejuſdem Abbatiæ receſſibus ſacris tumulati, & quadraginta aut circiter Senonum Archiepiſcopi votivo funere quieſcentes prope membra ſanctiſſimi præſulis Saviniani, qui Senonas celebrem Galliarum Metropolim lumine ſalutifero, ſedis honore & ſui ſanguinis effuſione in eodem S. Petri Vivi Alodio conſecravit. Hic ille genialis thorus Eccleſiæ Senonenſis; prima fidei noſtræ ſtructura, & petra de qua exciſi ſumus. Sed proh dolor, lapis etiam offenſionis viro ceterà laudatiſſimo, & quem ipſo Launoii nomine celeberrimum dixeris, ſi veris majorum placitis adhæſiſſet, qui poſt Cl. Jacobum Sirmondum, ſed tandem ad nos reducem, ſua novitate ceteris præivit, ſibi magis quàm Severo ſtudentibus; tanti eſt apud illos per devia vagari, ſibi nomen à ſingularitate quærere, & inde ſpectabilis reddi, juxtà ſatyricum iſtud.

Quam pulchrum digito monſtrari & dicier, hic eſt.

Non me latet Diſſertatorem in extremis ſibi caventem recte pejeraſſe, & ad Bondonneti monita

(quod ſibi maximum pœnitentiæ genus) tandem ſiluiſſe. At opinamenti ſui ſtudioſos habuit & reliquit, quibus non ingrata novitas, quæ ſuos titillat & acuit, quorum inſultibus aut ſaltem ſuſurris malum hactenus ſerpſit, & præſertim apud nos in illo quod dixi, cœnobii Viviani celeberrimo ſacrario, in quo præter alia ſuperiùs memorata decora, S. Saviniani caput geminis inciſionibus ſeu percuſſuris in vertice conſpicuis totâ Gallia venerandum plures eô religionis votique cauſâ concurrere facit; quibus omnibus perhumanè exceptis vix deſunt ſcioli novæ critices alumni, & nupero germine prægnantes, nobis importuni, rati ſe fudiſſe oraculum ex tripode, cùm de Launoianis aſſertionibus noſtras vellicant aures, & inaniter obſtrepunt falſa eſſe domus Vivi encænia à ſancto Saviniano S. Petri delegato celebrata; ſpurios item, ſi eamdem ætatem ſpectes, Metropolitanæ ſedis natales, quos ſub eodem præſule conſignavit majorum fides, nec eum præceſſiſſe Marci Aurelij faſces, ſub Decio meliùs ſtatuendum. Nihil hoc ſibilo frequentiùs: nec minor petulantia vocum in ſacro majoris Eccleſiæ gazophylacio, pari pietate venerando, & quod etiam frequens adventantium cœtus inuiſit, & ubi ſanctus Savinianus nihil minus obtinet, quàm apud cœnobitas Vivi, ſi religionis & ætatis in ſede ſpectes primitiva: nam primariis & annualibus, ut vocant, honoribus in illa primatiali Eccleſia celebratur, & in nullo deſunt venerabiles Myſtæ tanto parenti. Hinc in chronologiam ejus mali fomes & origo.

VIII. Eorum igitur erat ut Monachorum de

Digitized by Google

Vivo conſtantem de Saviniani ſub Petro Senonas accurſu, majorum traditionem, primaque Cleri ſui decora tueri, & ab epidimico cæterarum Galliæ Eccleſiarum vulnere, à novantibus inflicto, ſibi cavere. Hanc propulſandi mali curam ſtudiumque non perfunctoriè nobis impoſuit Illuſtriſſimus Eccleſiæ Princeps & Primas D. Joannes de Montpezat de Carbon, quem heu ſenio virtutis & ætatis confectum, mors tamen plus æquo feſtina nobis invidit nonis Novembris anni 1685. Votis etiam parendum fuit plurium Venerabilium de Capitulo Senonenſi, cui Decanus digniſſime præeſt Clariſſimus Vir D. Jacobus Boileau, Doctor Pariſienſis & ſocius Sorbonicus, in Primatiali Eccleſia Officialis, vitæ ſpectabilis, & eruditionis variæ dotibus inter præcipuos inſignis, & ex individuo cum ſanctioribus muſis connubio prægnans multiplici prole fœcundus; qui mihi literariæ ſuppellectilis penuria laboranti, vires & libros ſuffecit; citra tamen gratæ mentis deliquium erga chariſſimos manes Joannis Launoii, quem fatis functum, ut olim vivum, impenſius colit. Mihi pariter conſilio fuit qua mirâ pollet in omnes animi facilitate & literarum locupletiſſimo penu D. Joannes Berlugay ejuſdem Eccleſiæ infulatus Eccleſiaſtes & Doctor Sorbonicus. Præiverat piis affectibus & animos addiderat multa pietate & religione pro avita traditione & patriis ſacris D. Joannes le Riche, Canonicus Senonenſis & Cantor. Non minor fuit votorum impetus inter primarios urbis cives, & Magiſtratuum præcipuos, parem à me flagitantes curam eâ quâ proni ſunt

omnes

omnes animi devotione in amantiſſimum patrem, cui juxtà & veritati nihil detractum volunt, ne tanti Præſulis & urbis ſuæ decus minuatur.

IX. Sic inſtructo & penè juſſo congredi licuit cum Adverſario magni nominis, Marte tamen ſemper invito. Dolendum ſiquidem hujus certaminis vices obtigiſſe mihi, cui cum Launoio mutuus erat amicitiæ fomes, juréque devotum grati animi obſequium. Cujus eruditione, privatis colloquiis, & literis ultrò citroque datis quamdiu ſuis adeſſe potuit, quæ non ignoro in his rixantium ſtudiorum involucris, ſcire me profiteor. Cujus etiam humanitati & approbationi debes, Lector, notas & obſervationes noſtras in octo libros Sententiarum Roberti Pulli S. R. E. Cardinalis & Cancellarii, quos cum Sententiis etiam Petri Pictavienſis, Cancellarii Pariſienſis & Primarii diſcipuli Petri. Lombardi, publici juris feci Pariſiis anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Typis Simeonis Piget. Nactus enim illos Auctores ſua ſponte difficiles, & genio ſui ſæculi plus æquo indulgentes, quo Scholaſtica Theologia nondum emerſerat è cunis, in cujus theorematibus miris verborum flexibus videntur irretiti, nec minùs ab orbita communi deflectentes in rebus gravioris momenti, ſalvâ tamen Eccleſiæ pace; ſatiùs ducebam ſtatim ab Operis limine pedem referre, niſi perplexo mihi præſto fuiſſet Diſſertator, cujus conſiliis, & amicâ manu obſtetricante geminus hic fœtus prodiit in lucem.

X. Non ea ſolùm jura gratæ mentis & Launoio devotæ remorari potuerant à conflictu ſponte re-

ē

luctantem, ſed inſitus etiam cordatis viris pudor & reverentia, manes pacis & quietis amantes iterum ad pugnam ciere, & quaſi fingere redivivum hoſtem, ut novis in eum vulneribus ſævias. Excuſari tamen poſſet pluribus SS. Patrum & inſignium Doctorum exemplis non novus ille diſputandi genius, quem inter præcipuos Hilarius licitum oſtendit. Sed his procul faceſſere juſſis, hîc profiteri ſufficiat nullum ſincerè nobis cum Diſſertatore certamen fore, ſed cum libellis ejus adhuc viventibus, vel ſi mavis, cum Scholæ ſuæ reliquiis, quas hæredes ſuos ex aſſe ſcripſit, & quibus Critices pruritus teſtamento reliquit, de quibus hîc potiſſimùm querimur. Certum eſt enim Diſſertatorem ipſum, ſi ſolum attendas, levi tantùm manu, ut mox dicebamus, Saviniani miſſionem aggreſſum eſſe; qui non tam Chriſtianis Senonum initiis, quàm Pariſienſium infenſus, ne in ſtatuenda ſub Decio Dionyſii epocha, aut vindicanda ſub Aurelio Severi chronologia à ſuis diſſentire principiis, Saviniano facilis eſſe noluit in §. 4. ſuæ ſecundæ Diſſertationis, ſed in quem ſic perfunctoriè decertat, ut levi illo conflictu patrocinari non poſſet æquius veritati, quam aſſerimus.

Secus de ſuis aſſeclis, & quibus in verba magiſtri temere jurantibus, numquam fortè certus innotuit quæſtionis ſtatus, qui tamen ex ſolo Diſſertatoris nomine audiunt eruditi; cujus famâ toti tumentes, ſed nullo ex antiquis per duodecim æræ Chriſtianæ ſæcula prævio duce, totam retrò Patrum antiquitatem erraſſe circa Caroli Magni tempora, in aſſerendis Epiſcopalium ſedium natali-

tiis; mutatam rerum faciem ex affectato tùm Apoſtolorum ſynchroniſmo; Petroque tribui, quæ vix, inquiunt, Fabiano concedenda, chronologia vera ſuadet, frequentiùs edicunt, & ſatis eſſe Diſſertatorem ſtuduiſſe Gregorio & Severo, nec ulteriùs inquirendum. Et hùc totum confluit, ut cum Juvenali loquar, *inſanabile* Criticorum *ſcribendi cacoethes.* Hos igitur ſolos aggredimur, ſed pro quibus ex dictatis ſuis reſpondeat Diſſertator.

XI. Et hìc, Lector, advertere poſſis, quanti ſit in Republica literarum periculi à regià majorum vià deflectere, & quanto veritatis diſpendio novitas irrepat, quæ per doctrinæ ſingularis fucos mentes irretiat, & quæſitis coloribus ad pompam, ſimplicioribus illudat, totamque, ſi poſſit, ſuſdeque vertat patrum fidem. Quidquid traditio jugi populorum conſenſu ſtabilis (quod infra pluribus demonſtrandum) virium obtinuit ab ipſis Apoſtolicæ prædicationis initiis: quidquid SS. Patrum auctoritas vel privatim aut in conſeſſu ſcribentium ſanxit, & quibus nuſquam incerta fuere ſuarum ſedium primordia: quidquid legitima conſecutio ratione deducta ex ipſis ſacræ Scripturæ fontibus, ut fere fidei, & ſanum Theologiæ dogma propoſuit: quidquid innumeri Eccleſiarum prælati, probitate & doctrina eximii, & tot alii Doctores, inter Theologos ſcientiarum coryphæi, antiquitatis & temporum peritiſſimi: monachorum item celeberrimi cœtus, apud quos veritatis & doctrinæ ſacrarium fuit, de primo hoc in Galliis veræ Fidei præludio docuêre: quidquid tandem diffuſa per orbem credidit Eccleſia de no-

ſtræ religionis ætate & ſanctis ejus prodromis; ad unius opinamenta Critici, ſola fide Turonenſis Monachi, male tuti, fabulis accenſetur. Hinc mœrent boni, ſincerè docti refragantur, ſtupent omnes. At ne nobis virus noceat, tandem occurrimus, alios in hac arte medendi peritiores ſequuti.

XII. Duplici via procedendum erit in hujus examine quæſtionis. Quæ Saviniano & Traditioni Senonicæ cominus adverſari videntur, referenda primùm & diluenda. Tum qua parte Severus potiſſimum & Gregorius Turonenſis nocere poſſunt, refutandi.

Hujus autem Opellæ methodus talis eſto. Primùm proponitur hiſtorica Synopſis ſacræ geneſeos Eccleſiæ Senonenſis, cujus ortum adſcribimus ſanctiſſimis Præſulibus Saviniano & Potentiano; & quarumdam Eccleſiarum ei ſuffraganearum, Pariſienſis præſertim, Aurelianenſis, Trecenſis, Carnutenſis &c. quæ eoſdem ut primos ſuæ fidei anteſignanos & parentes poſt ipſum Apoſtolici ſenatus præſidem. Ea probantur ex Actis paſſionis S. Saviniani, quæ pura labis & alia prorsùs ab iis, quæ Diſſertator ingenioſè nobis objecit, à Criticorum ſcrupulis eximuntur. Auxilio ſunt alia SS. Sanctiani & Beatæ ſororis ejus Acta, quæ cum aliis S. Columbæ Virginis & Martyris Senonicæ (quæ omnium linguis in orbe Chriſtiano celebratur) Saviniano non minùs propitia, ſchola Criticoram intacta voluit. His è ſacris Senonum promptuariis, & præſertim Vivianæ Bibliothecæ (quam ſummis olim laudibus commendavit vir inclytæ memoriæ & literarum decus J. Sirmondus) ditiſſi-

Digitized by Google

mo penu, ſumma fide relatis, præire debuit ingens è Traditione petita probatio, quæ Septimio cęteriſque Patribus maximum eſt in his præſidium. Eam ſuis libratam momentis; veterum Patrum & Auctorum primæ fidei & ſenectutis teſtimoniis non tam munivimus, quam illuſtravimus.

Cætera quæ Saviniani canos, & veram ſub Petro vetuſtatem aſſerunt, ut antiquiſſimas inſcriptiones & protogrammata, Martyrologia ſenioris ævi, Chronica mediæ quidem ætatis, ſed ad fidem veterum membranarum (ut diſertis verbis notat Gaufridus à Collone vetus ſcriptor Senonenſis, à nobis cum notis & obſervationibus, prælo ſubjiciendus) & quæ jam ævo Caroli Magni canos emiſerant, exarata; & alia id genus retrò fugientis ætatis monumenta non omiſimus.

XIII. Ordine ſuo ſuffragantur Auctores primi generis, tam qui Severo longius ætate præſtant & nominis celebritate, quàm qui præfati Cæſaris faſces (ut avebat Diſſertator, ſed ſibi parum attentus) tempore præceſſerunt. Si Severum excipias, nullos ſic ætate proximos, immò qui vel minimùm ad illam accedant & Severo famulentur, recenſere pro ſe potuit Diſſertator, quod ætas poſtera mirabitur ſemper, & hactenus doctis & ſciolis, qui ſtudent ei, lapis eſt offenſionis & petra ſcandali. Verum cùm duodecim hujus currentis ſæculi, ab anno ſcilicet 1564. ad annum 1651. magnificâ ſerie & ad fucum compoſitâ nobis objiciat in Obſervatione VI. poſt 2. Diſſert. miro legum ſuarum repudio, qui in hujus elucubrationis argumento omnes Auctores octavo ſæculo po-

Digitized by Google

ſteriores proſcribendos edicit, prævaricantem citrà ſcrupulum ſequuti, multò plures antiquioris ævi adjecimus, non qui eminus tantùm proſpexêre chronologicum hoc thema de Miſſionibus Apoſtolicis in Gallia, quales fere omnes à Diſſertatore laudati; ſed quibus indagandæ penitius rei fuit intima cura, in ſcrutandis antiquitatum ſcriniis labor aſſiduus, & ad eorum prototypa, quâ nanciſci licuit, ſpeciales ab eis elucubratæ Diſſertationes, Diatribæ, Vindiciæ, Inquiſitiones & id genus præclara reconditioris doctrinæ monimenta.

XIV. Hinc amica nobis occaſio nata contra fictitias Adverſarii regulas paululum jurgandi, qui ſolos Auctores ævo Carolino priores admittendos eſſe in hac quæſtione non citrà fraudis ſuſpicionem contendit. Non ex ſcriptorum primæ ætatis penuria, qui nobis abunde ſuppetunt, recentiores nonnumquam præferendos cenſemus: ſed quòd experientia nos doceat, & quotidianis eruditorum proventibus, Analectis, Spicilegiis, &c. qui è reconditiſſimis Bibliothecarum receſſibus & forulis, nova veritatis ſpolia jugiter venantur; quanti ſit in iis ſtudiis nuperum eſſe, hoc eſt aliis poſthumaſſe, & meliori ſæculo natum eſſe. Quàm plurima jam Severi tempore majorum ſcripta exciderant, quæ Bedæ, Flori, Uſuardi & Adonis felici indagatione & ſeria curioſitate patuerunt? Non ea fuit ſub Diocletiano, & poſtmodum ſub Danis, &c. Gallias populantibus librorum ſtrages quâ ad internecionem uſque ſævitum fuerit. Plura fidelium fraude piiſſima latuerunt, quæ hodie rem Chriſtianam mirificis acceſſionibus locu-

Digitized by Google

pletant: & quæ Euſebii, Hieronymi, Photii & plurium id genus melioris literaturæ oculos fugerunt, noſtris ſe jam obtutibus ſiſtunt, ut inſcitiæ aut oſcitantiæ ſint incuſandi, qui hæc negant.

Præterea virum cordatum ſapit & ſincerè probum, Auctoribus aſſentiri de ſe teſtantibus, non defuiſſe ſibi veterum codices qui jam exciderunt, quorum ope nobis ſua tradiderunt, ut inter alios diſerte ſcribunt Uſuardus, Ado, Gaufridus à Collone, &c. Et de illis qui ob novas paganorum infeſtationes & clades bellorum eclipſin paſſi ſunt, quis tantum excidii fuiſſe putet, ut tota perierit ad hanc uſque diem literaria penus, quæ ſuis eruta receſſibus hodie comparet? His aucta crementis recentior ætas mihi proba videtur; & longe dignior, quæ majorum penuria laborantium damna reſarciat, & antiquitati quæ jacebat, & Criticorum inſultibus patebat, vires reddat & decus.

Hînc fit, ut qui Diſſertatori ſolitarii videbantur Auctores, cùm olim ſcriberent, aut nuda tantùm Traditio nullis ſuſtentata ſcriptoribus, ut ipſe ſupponit, & qualem reſpuit, ne Severo ſuo prævaleat, nunc illam nequeant calumniam pati, ex quo quæ veterum jacebant ſcripta ſolis tineis & blattis pervia, redeunt ad lucem, & avitæ Traditioni (ſi egeret illa) ſuffragium ferunt. Ex hac antiquorum codicum, qui deliteſcebant, acceſſione nupera, ſuæ Conciliorum editioni plurimam lucem affuſam eſſe, & incrementum perhibet Sirmondus in notis, & inde multum eruditionis recentioribus acceſſiſſe gratulatur. *Tui judicii prudentiæ-*

Digitized by Google

que fuerit, Lector, in his quæ ad publicam utilitatem proferuntur, ſi quid fortè melioribus aſperſum ſe offerat, quod non perinde probandum videatur, rectis frui, & iis quæ offendant rejectis, meliori te ſæculo natum gratulari.

Dices me recentiorum ſcriptorum auctoritati ſic oppidò pronum, duodecim illos nuperæ fabricæ commendare, quos pro ſe Diſſertator allegat, ut videbimus; & illo animi mei candore ejus ſcita probari. Verùm prudens monui (ſi Sirmondum excipias, qui toties tunſus & exploſus tandem ſiluit) non parem mihi ſententiam eſſe de aliis undecim à ſe productis, qui curſim tantùm controverſum noſtræ chronologiæ thema retulêre; ut de pluribus poſt octavum ſæculum promiſcuæ ætatis à nobis recenſitis, qui ex induſtriâ & jurato labore, cuſiſque in rem Diatribis, Vindiciis, Diſſertationibus, &c. veritatis quam aſſerimus, obſides ſe dedêre. Iſtis quibus ſenſa majorum ex repertis tandem codicibus innotuerunt, fides integra maneat, neceſſum eſt: illis ſoli Severo (ſoli inquam) gregatim ſtudentibus, quid certi ſolidique concedere poſſis? At non inutiliter in gratiam Auctorum hujus ſæculi digreſſi, reliquam noſtræ Diſſertationis Analyſin proſequamur.

XV. In Scriptorum primæ vetuſtatis allegatione, ut ſecura fiat probatio, ſtatim expendimus ea, quæ Diſſertator objicit, ne nobis noceant, & ne ſit ei impune cùm eorum auctoritatem elevare molitur. Graviſſimos enim exhibemus & omni exceptione majores, quorum aſſerta, quod rei eſt, jure decidunt. Sed ne Launoio prorſus exitiales ſint, mirum quàm circumfuſa verborum laciniâ, quantis

quantis Rethorices gyris & mæandris ; quantâ ſophiſmatum & argutiarum panopliâ, & quàm temere congeſtis & decies repetitis auctorum textibus adiaphoris, & controverſum dogma longe fugientibus, fucum inducat veritati. Hæc porrò ſcriptorum recenſio eos potiſſimùm ſpectat, qui Severo proximè adverſantur, quibus licet Saviniano nominatim ſuffragari mens non fuerit; cùm tamen ſola videantur ei nocere verba Severi, illiſque ſolis totus perſtrepat novantium turbo, in illius ſolius profligatione tota cedit ei victoria.

XVI. A privatarum objectionum ſolutione ad alias ſtylum intendimus, ſive Savinianum ſpectent, ſive alios quibus communis hæc de miſſionibus quæſtio. Potiſſima diſſertatoris expoſtulatio (quæ non ſemel ventilabitur infrà) in qua tamen graviter offendit, eſt de *affectato*, inquit, *Apoſtolorum ſynchroniſmo* à primariis Galliarum Eccleſiis circa tempora Caroli Magni. Probrum illud quo nullum majus, & apud illum frequentius, tantâ ſecuritate nobilioribus etiam orbis Chriſtiani collegiis ſacris appingit, ut diceres eum ſummorum Pontificum diris, Conciliorum decretis, coævis Hiſtoriarum monimentis, publicis Univerſitatum actis, cæterorumque novitatem incuſantium quæſtibus inſtructum fuiſſe, ut illud Satyricum lemma, totis explodendum theatris, pluſquam tricies aſſereret ubique ſchedarum ſuarum. Et tamen (quod vix credent oculati teſtes) neminem habuit hujus injuriæ conſcium, aut qui præiverit. Totam evolve libellorum ejus ſtruem, ſaturas, corollaria, mantiſſas veſtiga, nullus ab eo laudatus auctor occur-

Digitized by Google

ret, qui ſe vadem dedat tantæ criminationis, quaſi ſolus ſufficeret ſibi aſſerendæ rei, quam impoſſibilem fuiſſe ſumus oſtenſuri. Quare ſpeciali titulo decertandum fuit in hac Diſſertatione contra hæc calami indecora, & à nobiliſſimo Clero eliminanda labes gratis inuſta.

XVII. Palmare quibuſdam viſum eſt argumentum pro ſtabilienda Saviniani epocha ſub Apoſtolorum Principe, Charta fundationis Monaſterii S. Petri Vivi Senonenſis à Chlodoveo magno, qui primus inter Francorum Reges Chriſtianus audit. Eam non ignobiles eruditi ſpuriam aut ſuſpectam habuêre, & ampla fuit Criticis ſcribendi ſeges: ſed, quod mireris, tanta ſententiarum diverſitate & rixâ, ut in illo partium diſſidio, veritas quæ ſemper una eſt & ſibi conſtans, non poſſet fortiùs prævalere. Ridebis, Lector, aut ſtupebis lubricam mortalium ſortem, & polymitam ſcribendi methodum, etiam apud illos partium anteſignanos, quibus primas certaminis jure deferimus, Sirmondos, Valeſios, Mabillonios, Cointios, Labbeos, Launoios, &c. qui in hujus examine quæſtionis ſibi perpetuò contrarii; cùm unus veritati ſufficere poſſet, eâ quâ ſinguli pollent celebritate nominis & doctrinæ merito; objectis utrinque ſibi mendaciis, omnes ei defuerunt: ut certè dicere liceat ex hac invicem rixantium conflictatione, quam videbimus, plurimam genuino Chartæ noſtræ characteri lucem affulſiſſe. Multa ſuccurrunt, quibus à falſi ſuſpicione vindicatur; & undecim objectionibus, quibus impetitur, fit ſatis; ſed qua felicitate, lectoris judicio remittimus.

Digitized by Google

XVIII. Cùm Clodoveanum hôc diploma ſanum aſſerimus, una nec ignobilis difficultas occurrit, quæ ſola doctiſſimum Jacobum Sirmondum fecit ancipitem, ſtatus ſcilicet Techildis, ſive Theodechildis virginis, filiæ dicti Chlodovei ex Chlotilde, quæ ſi tanto parenti aſſeri poſſet, inquit Sirmondus, nullam ei fore de fundationis inſtrumento perplexitatem. Hic iterum luſit verſatilis criticorum indoles, quibus ſchedas noſtras & membranas originales nuſquam aſſecutis, divinare neceſſum fuit, ſed infœlici prorſus & mendaci augurio, quod conſequentia demonſtrabunt. Eam parenti Chlodoveo, cœlibatui, Vivianis encæniis ſacræ cælitum apotheoſi & publicis Eccleſiæ honoribus, quâ patet orbis Gallicus, vindicamus. Et ſi fata Sirmondi ſiviſſent, cui jam ultimo ſenio ingraveſcenti veritas hîc apud nos innotuit, devotiſſimum haberet illa clientem, & in illius decora probè propenſum: uti non ita pridem illuſtriſſimum D. Ludovicum Henricum de Gondrin Senonum præſulem & Galliarum primatem, qui veteres Eccleſiæ ſuæ faſtos ſecutus, publicis eam Dypthycis recenſuit in choro Virginum, in Litaniis proceſſionalis Senonici, à ſe ſumma diligentia & ſagacitate, quâ præ cæteris animi dotibus excelluit, accurati anno 1661. A qua tamen ſolemni recenſione non ægrè abſtinuiſſet doctiſſimus & emunctiſſimæ naris antiſtes, cui nec nova critica diſplicuit, nec ejus autores & alumni, ſi vel tantillus de ſtatu Virginis ambigendi fuiſſet locus; eâ præſertim ætate quâ quidquid novitatis erat, & contentionum inter Auctores diſſidii ſibi notiſſimum erat.

Digitized by Google

Hæc in anteceſſum; nam plura, Lector, videbis, cùm ſingula, quæ natales Virginis & cœlibatum probant aut impugnant, infra diſcutientur.

XIX. Percontari poterit non nemo, cur in ſtabilienda ſub Petro Saviniani miſſione, pluribus ſuperſederim argumentis, quæ illi commoda, alios ejuſdem ævi præſules Gallicanos tutarentur à critices inſultibus aut ſuſurris: nec enim ſolus cum Dionyſio impetitur primarius ille Senonum antiſtes. Immò (quod monemus non ſemel) tutus eſſet à diris diſſertatoris, ſi jure ſuo potitus, alios in parem ſibi ſortem non acciret. Multæ ſunt in Gallia civitates, quæ ſedis honore fruuntur, quæ ſimiles cum Senonibus canos jure ſibi concedi putant, quibus nec invidemus, & ſinceré gratulamur. Omnes pene ſuos vindices habuêre, & præſentiſſimum contra virus novitatis alexipharmacum. Unus inter alios cauſæ communi patrocinatus, omnes inſigniter juvit illuſtriſſimus Petrus de Marca præſul Tholoſanus & Pariſienſis, doctiſſimâ ſuâ, & in rem ſpeciali, Epiſtolâ ad clariſſimum virum & eruditiſſimum Henricum Valeſium, in qua ſuis ſecundis curis huic noſtræ aſſertioni benevolus, & in veritatem æquior, plura pro miſſionibus noſtris primi ſæculi egregiè peroravit. Verùm pluribus non uſquequaque placuit quorumdam recenſio, quos cauſæ communi magnificentiùs, quàm veriùs ſuffragari putant. Certum enim ſibi putavit Philippum Apoſtolum, Lucam, Trophimum, Creſcentem, & Paulum Sergium in Galliæ decus & utilitatem nobis affuiſſe, & cum eo Uſſerius, aliique fere omnes, qui huic argumento ope-

ram dedêre: ſecus aliis opinantibus de celebri illo quinqueviratu, quibus tamen ingrata non eſt nec incerta traditio Senonenſis, & publica Galliæ fides. Non nobis nauſeam peperit hæc copia, nec faſtidioſo repudio in cauſæ communis contemptum, aut periculum abſtinuimus ab illâ ſaginâ, ne quis perperam criminetur. Nam

Primò ſufficientia Saviniano votiſque Senonum dediſſe, citra jactantiam omnem rêmur & ſcribimus. Solius eſt diſſertatoris ad *ſaturam* ſua proponere, quæ ſic nonnumquam inſcripſit, minimè cavens illud divinum effatum, *in multiloquio non effugies peccatum.*

Secundò prolixitatem exoſus, fortè nonnulla quæ ſuperflua videbuntur, reſecare debui.

Tertiò peculiares vindicias ſuas ſingulis Eccleſiis in quas ſævîit æſtus novitatis, reliquimus ex parte, aut ſtrictim tantùm attigimus; nec operæ juratæ defuimus, accitis nonnumquam quæ aliis prodeſſe vidimus; cùm aliorum emolumenta præſulum ſint etiam adverſus Severum Saviniano præſidium.

Tandem ne quid candori animi deſit, epocham noſtro præſuli certiſſimam, novis anfractibus & critices ſpinetis intexere noluimus, à quibus non prorſus immunes, ex aliorum ſenſu, qui pro Philippo, Luca, Creſcente, &c. decertant.

XX. Cæterùm mihi videtur operæ pretium non ſilere haud notam omnibus Diſſertatoris induſtriam, & commodum periclitanti cauſæ ſuffragium, ut ſibi caveret ab immenſo illo eruditorum aggere, qui nobis auxilio ſunt in hoc controverſo

Digitized by Google

dogmate chronologico, nec ſtatim rueret totus ille ſuæ Panopliæ apparatus. Fingit nullos in hanc palæſtram pugiles admittendos, niſi rei de qua quæritur, æquales tempore, aut ſaltem ſubpares. Nullos æquales pro ſe recenſere potuit, ſeu qui ſcripſerint ævo Marci Aurelii & Decii Cæſarum. Tota de ſupparibus difficultas. Subpares illos vult eſſe Sulpitium Severum Monachum Turonenſem, qui diſcipulus fuit S. Martini, quem anno Chriſti 400. obiiſſe volunt; & auctorem anonymum Actorum Martyrii S. Saturnini Tholoſani, apud S. Gregorium itidem Turonenſem. Ab æra Marci Aurelii ſive Martyrum Lugdunenſium ad annos Severi calamo jam plenè adulti, anni currunt ducenti circiter & viginti. A Deciana ſeu anno 252. ad ætatem Anonymi plenam vix effluxit annus, ſi prioribus Launoii dictatis ſit danda fides, qui mere divinans ſcripſerat Anonymum illum non imparem annis ipſi Martyrio Saturnini, quem imperante Decio cæſum dicunt, quibus ingrata fidei noſtræ canities. At ſuorum monitis ad ſaniora revocatus, probéque convictus ſe nuſquam legiſſe Acta S. Saturnini, in quibus Exuperium Tholoſanum etiam Antiſtitem legimus parem meritis, & Apoſtolicæ vitæ chariſmatibus ipſi Saturnino ſanctiſſimo martyri: qui tamen Exuperius floruit vivente S. Hieronymo, qui obiit anno 420. & Severi noſtri ſynchronus fuit: quos certos putabat chronologiæ ſuæ characteres pro ſcriptore anonymo, ſtatim mutavit, & ejus ætatem ducentis ad minus annis Saturnino poſteriorem eſſe fateri coactus eſt. Et hîc iterum, Lector, Critices

elementa perpende, ariolari, fingere, ſanctiùs mentiri; & quod rei momentum eſt, in ipſo difficultatis umbilico. Nam illa Anonymi pericope alterum eſt Launoianæ ſcholæ fundamentum, quod ab ipſomet ſtructore propè concuſſum vides. Sed non hîc ſtandum.

Hâc temporum putatione, ſe bene munitum ratus Diſſertator fuco non ægrè conſenſit, ut Severum & Anonymum jam ætate pares haberet ſibi viæ duces & anteſignanos, ſi ſubparitatis poſſent privilegio frui. Verùm quâ methodo? Statim Lycurgus alter leges condidit ſibi commodas, & ſubparitatem illam auctorum (indulge vocabulo, Lector, in gratiam Launoii nomenclatoris) qui teſtes idonei poſſint acciri, ducentorum ad minus annorum ſpatio circumſcriptam eſſe voluit pluribus in locis Diſſertationum ſuarum adverſus Johan. Bondonetum, ut ſi Marci Aurelii annos aut æram Lugdunenſium Martyrum cum epocha Sulpitii Severi ſcribentis conteras, ducentos viginti vel circiter annos numerabis: ſi annos Decianæ perſecutionis cum annis, quibus extrema Saturnini fata ſcribere potuit Anonymus, centum ſeptuaginta plus minus diſcriminis & intercapedinis invenies.

At quia vix ratio ſinit, ut credamus Anonymum illum, ſi ſcripſit vivente Exuperio, illum æquiparaviſſe Saturnino celeberrimo Martyri, & eâ laudum præſtantiâ, quæ viventem non decet, ut monet Scriptura, immò quæ quaſi neceſſariò arguit illum jam olim defunctum: ſibi iterum cavit Diſſertator fictitiâ ſuâ 200. annorum ſubparitate, ut ſi 30. aut 40. plus minus annis Anonymum poſterio-

Digitized by Google

rem Exuperio velis, adhuc intrà fabricatæ ſubparitatis annos ritè conſiſtat, ut ipſe Severus qui paucis excedit. Illius ſubparitatis elogia & dignus parente fœtus paſſim occurrunt apud eum, & ad hanc de æqualibus & ſubparibus auctoribus regulam, niſi probes omnium doctorum aſſerta, qui de rebus ad Chronologiæ theoremata librandis ſcripsêre, & ipſas quaſi rerum eſſentias, multandum te in *Morboniam*, deportatione Diſſertator edicit.

Hoc lepido tanti viri commento vix potuit incautis fraus parari & ſimplicioribus illudi; quaſi ſcriptor ducentis junior annis re geſta quam literis conſignandam habet, eam melius altero calleat, qui eamdem uno ſæculo ſeriùs conſcribere vellet. Aut enim prior nuda traditione (quam tamen reſpuit Adverſarius) duceretur: aut aliorum commentariis, qui poſtea fortè perierint, uteretur. Si primum, non minus per 300. annos invaleſceret traditio, quæ jugi & ſemper eodem populorum uſu & conſenſu nutritur, quàm per ducentos; & ſi quid lapſu temporis diſpereat ab hominum memoria, aut interpoletur novis acceſſionibus, non minus vitium illud irrepere poteſt intra 200. quàm 300. annorum excurſum, nec negabit quiſpiam mente ſanus.

Si poſteriùs, hoc eſt, ſi auctores illi ſubpares, qui anno rei geſtæ ducenteſimo ſcripſerunt, codicibus uſi ſunt ſuæ fidei obſidibus, poterit-ne Diſſertator aſſerere, quod ſtatim exciderint, non hoſtibus, non flammis ſævientibus; aut tam gravè ſenium duxerint & effœtæ fuerint ſenectutis illo præcisè ducenteſimo anno, qui finis eſt hujus ſubparitatis gra-

tis

tis confictæ, ut ſtatim in cineres & fumos abierint; nec ad trecenteſimum annum potuerint durare? Quo ſuppoſito caſu de immani illa membranarum & codicum ſtrage, quam nondum patrius turbo acuerat, nobis excidii tanti proferat auctores æquales aut ſaltem ſubpares (qui forſan adhuc in domeſticis laribus deliteſcunt) ſi ſtare velit legibus à ſe ſtatutis. Iſthæc totius deciſiva litis non ſemel expendiſſe ſatis erit, & in hujus lucubrationis decurſu, ut alia quædam hujus præludii, ad incudem revocantur.

XXI. Non minus fabulæ Diſſertator indulſit, ut decantatum illud affectati Apoſtolorum ſynchroniſmi convitium vel ſuaderet, cùm nullos recipiendos auctores ait, qui poſt Caroli Magni mortem ſcripſerint. Dic, ſodes, quis te conſtituit judicem, aut quibus ritibus & infulis ſupremæ poteſtatis inauguratus ſis, ut idoneus evaderes ſcribendis legibus, quarum religioni dedititia ſint omnium eruditorum fata, placitaque, & ſors literarum? Sciebat Gentilitiis vexationibus, & patriis focis fere omnes periiſſe ſacros Galliarum codices jam declinante Caroli ævo, & eorum ſubcinericio fomite ad jocum accenſus, efflictim poſtulat exhiberi ſibi, quorum cineribus tutus ſibi licitum putavit fingere mutatas fuiſſe Eccleſiarum origines, quarum natales chartis amplius adſtrui non poſſent. At dicendorum in hac diſputatione ſeries demonſtrabit non omnia excidiſſe veritati, & majorum ſinceræ fidei; & ut ipſe poſt Hieronymum inſit, *eam quidem* (veritatem) *claudi & ligari, ſed vinci non poſſe.* Præfat. in Hierem.

Digitized by Google

XXII. His in anteceſſum te volui, Lector benevole, ut argumentum toto orbe Chriſtiano celeberrimum paucis evolverem, & ſcires quantùm figmento dederit hæc ætas, & quantæ fuerit induſtriæ Diſſertator (ne majora dicam, & intra reverentiæ ſibi debitæ terminos ſiſtam) ut obviam ſibi theſin, & eminus tantùm olim ſpectatam, ſed votivis tandem & acribus ſtudiis agitatam, ſaltem ſuaderet. Ut revinceretur, & ab ipſo diſputationis limine ſtatim ad incitas ageretur, ſola ſufficiebat traditio, conſtans Eccleſiarum omnium fides, Gentiumque conſenſus: ut hæc omnia peſſum irent, & errore detecto, ſexdecim ſæculorum uſus periret, neceſſaria ſibi erat omnis fortium armatura, & ingentes machinæ, quas nullas admovit, ut infra patebit, ſeque ſuis ſemper imparem votis vidit. Verùm quâ pollebat Dialectices ſolertiâ, totus in argutationibus ſtetit, quibus ad artem excuſſis, & reddita noſtris Auctoribus (per quos traditio fortiter inolevit) ſuorum textuum ſinceritate, tota ruit, ut cum Tertulliano loquar, Critices paratura. Et certè meminerit Lector, ubi de communi traditione quæſtio ventilatur, noſtrum non eſſe quidquam probare, ſed Adverſariorum objectionibus ſeriò reſpondere, & à tricis & verborum anfractibus eximere veritatem. Quàm illud à nobis abunde præſtitum fuerit, cenſendum aliis relinquimus. Non tamen hîc ſtetimus, ſed traditam nobis à majoribus, quam de veræ religionis intra fines noſtros exortu fidem profitemur, datis in rem pluribus argumentis munivimus.

Digitized by Google

XXIII. Hic locus eſſet parænesis ad Criticos, & novi Licæi Thraſones, ne dignum cordato viro & rerum ſciente famæ ſibi ſubſidium putent inanis gloriæ ventulos aucupari, in evertendis (ſi poſſent) majorum ſcitis, ut nova venditent. Sed in hujus operis ſtructura plura monuimus, quibus ad ſanæ mentis ſitum, & nobiliores affectus poſſint reſtitui.

APPROBATIO.

DISSERTATIONEM *De Vera Senonum origine Chriſtiana* à R. P. D. HUGONE MATHOUD, Ordinis ſancti Benedicti è Congregatione ſancti Mauri Monacho Preſbytero compoſitam legi & probavi, die 18. Octobris 1686.

COURCIER.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAR grace & Privilege du Roy, en datte du vingt-huitiéme jour de Novembre 1686. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, FALENTIN: Et ſcellé. Il eſt permis à DOM HUGUES MATHOUD Preſtre, Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur, de faire imprimer un Livre intitulé, *De Vera Senonum origine Chriſtiana &c.* Et défenſes ſont faites à toutes ſortes de perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, de l'imprimer, vendre ny debiter, ſans le conſentement dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy,

Digitized by Google

DE VERA SENONUM ORIGINE CHRISTIANA DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtorica Synopſis, ſeu Traditio ſacræ Geneſeos Eccleſiæ Senonenſis.

HUIC olim argumento calamum dederam horis ſubſecivis in gratiam Eccleſiæ Cœnobiticæ ſancti Petri Vivi, quam Vivianam, *Vivi*, vel *de Vivo*, à vico qui dicebatur *Vivus*, nominant. Cujus operis in Comitiis generalibus approbati die decimo Junii 1666 cui publicam lucem nuſquam meditatus ſum, ſed quod tamen in plurimorum manus raptim devolvitur, placet hîc quædam ſubjicere quæ Selectori non ingrata fore mihi ſuadeo, quòd certus ſim me Senonenſis Eccleſiæ ſuæque provinciæ ſacras origines & ſcita quibus hactenus ſtetit, penitius indagaviſſe, nec minori ſtudio evolviſſe ope MSS. codicum melioris ævi, quâ nanciſci licuit, & præſertim Vivianorum antiquiſſimi characteris. Sic porrò ſcribebam.

I. Ut primùm B. Apoſtolorum Princeps Petrus Romanis ar-

Digitized by Google

cibus crucis trophæum erexit, injuncto ſibi muneri diſſeminandi ubique Evangelium facturus ſatis, Savinianum & Potentianum in Gallias nobiliſſimam gentem primos fidei ſatores & Verbi Dei præcones direxit. Quibus in hoc divino negotio piiſſimum virum Altinum, quem apprime Chriſtianæ religionis myſteria edoctum noverat, collegam & adminiſtrum adjunxit.

II. Ad quod opus divinitus accincti, Senonas celeberrimam tunc temporis Galliarum urbem ſuæque provinciæ Metropolim aggredi conſtituunt. Cumque per agrum Vaſtinenſem tranſeuntes in loco qui Ferrariarum hactenus dicitur (qui in inſignem poſtea Benedictinæ Regulæ familiam crevit) morarentur, ut diem natalitio Chriſti ſacrum quietiùs agerent, ecce vigilantibus omnibus nocte concubia, in ipſo ſolemni precum pervigilio per extaſim rapti, vident ipſius Salvatoris vagientis in cunis ſacra primordia, cæleſtiſque militiæ genialem Eccleſiæ hymnum repetentis concentum audiunt.

III. Quâ ſpecie interiùs exciti, ſed ipſe præſertim ductor omnium Savinianus, qui jam uberioris gratiæ proventum mirabatur, in has voces erupiſſe dicitur, & futuræ ac inclitæ domûs ſigna poſuiſſe, *Hic eſt verè Bethleem*, huicque divinæ diſpenſationis myſterio ſui Apoſtolatus primitias conſecravit. Et ne poſteris cæleſtis gratiæ monimenta deeſſent, Oratorium in Chriſti nati matriſque Deiparæ cultum nobili encænio dedicantes, illud myſtico *Bethleem* vocabulo, quo etiamnum gaudet, nuncuparunt; teneroque gregi formando, qui jam ad eorum prædicationem coaluerat, Altinum præfecerunt.

IV. Inde digreſſi, Senonas obſident & Evangelii pacificis adoriuntur machinis, nec procul ab ea urbe tentoria figunt in eo ſuburbii loco qui *Vivus* dicitur. Ibi hoſpitio excepti à Victorino nobili juxta & prædivite viro, Chriſtianis eum præceptis imbutum cum totâ familiâ, ſalutaribus intinguunt aquis: cujus exemplo permoti Senonum nobiliſſimi duo Serotinus & Eodaldus, divinæ vocis oracula poſcunt, quos in ſortem lucis Sanctorum pariter admiſſos, & Clericalibus muniis primùm initiatos, ad ſacrum Levitarum ordinem evexit.

V. Savinianus dux ſacræ cohortis, his jam auctus victoriis ſpeque majori fortiùs ardens civitatem ambit, & illius quaſi jam deditæ mœnia circuit: quibus impreſſo circumquaque crucis ſignaculo, illam ſacræ hujus inaugurationis myſtico ritu ceu templum vel ſponſam dedicat Chriſto. Quod ſalutis ſignum dum

Digitized by Google

efformaret, ceſſit digito tangentis ſaxorum rigor, quæ receptâ demum priſtinâ duritie, diu cum ſanctis illis ſtigmatibus conſpicua fuere, quæque à ſe viſa teſtatur Nicolaus de Lyra ſcribens in Abdiam Prophetam. Obiit Pariſiis 14. Octob. 1349.

VI. Interim Savinianus cum Symmyſta ſuo Potentiano verbi Dei ſemina ſpargens, agrum Eccleſiæ fertilem reddidit. Et cùm in dies creſceret credentium populus, qui non minùs ſacramentorum quàm fidei communione adunandus eſſet, eo in vico cui *Vivo* nomen, fanum inſigne quod profanis fictilium numinum litationibus inſerviebat, ritu ſolemni Chriſto dicatum, in Eccleſiam ſub ejuſdem Salvatoris (nunc ſancti Saviniani) nuncupatione commutavit. Simul his Altinus copioſo fœnore gratiæ ſibi creditæ comparato, ex agro Vaſtinenſi Senonas ſe recepit.

VII. His tam proſperis ſucceſſibus ſenſim enaſcente Eccleſia Senonenſi, Petrus & Paulus felici martyrio Romæ defuncti, ſequenti nocte Saviniano præſentes edicunt, ut exſtructa quàm primùm eodem in loco ſub eorum invocatione baſilicâ, ipſe Senonis intentus, ſocios ad uberiorem meſſem in vicina diſpergat. Quare felicem ſe ratus qui primus Apoſtolorum gloriæ titulum erigeret, Eccleſiam illam totâ Galliâ celeberrimam ſancti Petri Vivi conſtruxit: quam poſtea Clodoveus primus Francorum Rex Chriſtianiſſimus cum Theodechilde ſive Thechilde filia, majori ambitu, regia dote, & inſigni Monachorum (qui paulò poſt convenere ſub Amalberto) ſodalitio decoravit.

VIII. Savinianus diſperſis in nobiliores ſibique vicinas urbes præconibus Evangelicæ veritatis, ipſe Senonum urbi primariæ ſollicitiùs incumbens, & multa jam prole fœcundus, prece fuſa cum ſuis, templum in ea miræ magnitudinis ſolo nutu diruit, & comminutis quæ turpiter eminebant Deorum ſimulacris, tres ibidem ſibique cohærentes Eccleſias ſub nomine Deiparæ Virginis, Chriſti Præcurſoris, ejuſque protomartyris Stephani ædificavit, quarum iſta ut centrum ædificii ſic & honoris plures poſt annos obtinuit.

IX. Simul his Potentianus à Saviniano Aurelias directus cum Altino ceteriſque miſſionis hujus Apoſtolicæ lectiſſimis viris, plures ab Idolorum cultu ſegregatos, obſequio Chriſti mancipavit. Quos inter, qui vel ardore fidei vel vitæ ſanctioris exemplo ceteris prælucebant, in Clerum publicè cooptatos ſacris

Digitized by Google

ſynaxibus & ſacramentorum uſui præfecit. Tum conſtructâ in honorem levitæ Stephani baſilicâ, quæ ſub Evurtio Pontifice titulum & ſedis honorem Cruci Dominicæ ceſſit, Altinum novello gregi regendo reliquit paſtorem.

X. Inde Carnutum ad Aduram cum ſociis ingreſſus, plebem avitæ ſuperſtitioni deditiſſimam nec ſponte facilem à patriis ritibus avocari; vi tamen Evangelicæ prædicationis, ſignorum magnificentiâ, vitæque probatiſſimæ famâ ab avitis ſacris ad veri Dei clientelam adduxit: eoque certè præſtantiùs quòd cives illos ex majorum traditione Virgini parituræ devotos, ſacri ejus puerperii veritatem edocuit. Cui Virgini ſanctiſſimæ prolem divinam enixæ, & jam in cælos aſſumptæ primam poſuit civitatis illius Baſilicam; in cujus miniſterium Clericis pro more ſacratis, Adventinum præfecit, virum apoſtolicæ vitæ meritis venerandum.

XI. Aurelianis & Carnutenſibus ſic fidem edoctis, ocyus cum ſuis Potentianus Pariſios advolat, & urbem illam, in qua potentiſſimi Regni prælucebant inſignia, ſacro etiam veræ Religionis imperio potituram Chriſto conciliat: accenſam cæleſtis gratiæ facem & Dionyſianæ præambulam in omnes miſit, ubique, & quos, Deo duce, veri amor trahebat, fidei lumine colluſtravit, igne ſuccendit. Sed cùm ad alios divini verbi gerulus properaret, Lutetiæ vice ſui reliquit Eodaldum tanto muneri parem dignumque Saviniano præceptore diſcipulum. Ille quâ pollebat oris facundiâ, ſed ipſo præſertim ſpiritu gratiæ fœcundantis qui vitalem Eccleſiæ thorum repleverat, plures Pariſienſium & nobiliores ſuæ fidei devinxit. Inter quos præ ceteris enituere Agoardus & Aglibertus qui cùm in urbe & Chriſtolii vico qui Matronæ fluvio adjacet, multum opibus & auctoritate valerent, aliis promovendæ religionis incentiva dedere. Quorum ſucceſſibus fremens invidiâ impius ſacrificulorum cœtus, Agrippino judici perſuadent ut Eodaldum novitatis auctorem cum reliquo grege de medio tollat. Qui ſubductus perſequentium oculis, apud Chriſtolium ſub Agoardi tutelâ delituit.

XII. Carnuti ſævit acriùs tota myſtarum caterva, & mactatis ovibus cum Adventino paſtore, in gregis ſuperſtitis auxilium accurrit Altinus. Sed eo viſo turba ferocior in fortiſſimum athletam irruit: qui capitis proximè damnandus jamque plagis affectus, ſed nobiliori luctæ ſervatus, apud Eodaldum Chriſtolii degentem clanculum ſe recepit. Quò confertis viribus

Digitized by Google

irrumpentes ſacrilegi myſtæ Pariſienſium & Carnutenſium, primùm obvios ſibi in defenſionem aliorum Agoardum & Aglibertum præcipiti ſtrage peremerunt: mox in ceteros debacchati, vix erumpentes illius Eccleſiæ gemmas ſanguine perfuderunt. Ad necem quæſiti Altinus & Eodaldus, ſed ad Savinianum Senonas divinitus evocati uberrimam fidei meſſem amantiſſimo patri detulere.

XIII. Potentianus aſſumpto ſecum Serotino, in quo Levitici animi fortitudo ceteraque divini Spiritus chariſmata coruſcabant, Trecas nobiliſſimam Campaniæ partem invadit, quam dæmonum præſtigiis ſeductam à cultu veri numinis, verbum ſalutis edocuit, & Chriſtianis præceptis inſtructam, vitalibus undis abluit. Serotinus cui verbi circumquaque ſpargendi vices obtigerant, eo etiam munere functus plures ex finitimis oves ad caulas dominici gregis adduxit. Ex quibus unum ovile conſurgens, quò ſanctiùs more Chriſtiano paſceretur, Eccleſiam in memoriam Apoſtolorum principis ſub ejus nomine conſecrarunt. Creſcebant in dies novella germina ſanctitatis, quibus ad majora formandis paſtorem & miniſtros Eccleſiaſtico ritu devotos Potentianus inſcripſerat, cùm ab Idolorum æditius res ad Montanum defertur, quos ille probris & flagris onuſtos urbe procul & toto illo tractu jubet excedere. At illi honori ducentes & gloriæ pro nomine Jesu contumeliam pati, confirmatis priùs ad agonem fidei fratrum animis, ſacroque Chriſti corporis & ſanguinis viatico munitis, læti Senonas redierunt.

XIV. Savinianus pro tot tantiſque partis circùm victoriis redeuntibus ad ſe ſociis pio mentis jubilo gratulatus, grati animi Deo vota rependit. Id unum avebat ad ſpei cumulum, ut Eccleſiæ ſuæ Senonenſis quæ tantorum parens fœcunda pignorum, Aurelianis, Carnuti, Pariſiis & Trecis matrem ſe viderat, ſibi liceret genialem thalamum proprio ſanguine conſecrare. Cujus votis ut fieret ſatis, ecce vicinarum urbium exemplo atrocior in eum ſævit perſecutionis procella, & tamquam in fidei Chriſtianæ patriarcham ſacrificulorum odia intumeſcunt. Siquidem cum Altino & Victorino coram Severo judice velut reus capitis accerſitus nobili præconio Chriſto perorans ſeque Chriſtianum liberâ voce profeſſus, virgis & plumbatis cæditur; deinde carcere cum aliis pariter cæſis detinetur. Quo in loco Chriſti Domini viſibili præſentiâ confortati, & ab eo ſui corporis muniti viatico, iterumque fruſtra poſtridie tentati, ipſe Sa-

Digitized by Google

vinianus & Victorinus cum filio vix dum ſeptenni ferali ſententiâ morti devoventur. Cùm duceretur, impetrato orandi ſpatio ſeceſſit in obviam ſancti Salvatoris in Vivianis cryptis Eccleſiam, in cujus intimis receſſibus qui ſubtus adjacent, ſynaxim agens, ſacriſque de more peractis, Potentiano vices ſuas demandavit. At feri lictores vix moram paſſi, in cryptam illam irruerunt, & ſanctiſſimum Pontificem altari pronum enſe & ſecuri bis in vertice percutientes (plagis ad hanc uſque diem conſpicuis) occiderunt. Victorinus cum filio pluresque de grege paſtoris conſtantiam aſſecuti, ſimiles etiam palmas capitis abſciſſione conſecuti ſunt. Corpus ſancti Saviniani, pro Senonenſibus populis pignus charitatis & opitulationis perpetuæ, in eadem crypta cum venerandis aliorum morticiniis ad uſque tempora Venilonis Senonum antiſtitis requievit.

XV. Tantæ cladi ſuperſtes Potentianus cum Altino, Serotino & Eodaldo gregem in vicinis Vivianæ, ſeu Principis Apoſtolorum baſilicæ penetralibus ſacris latentem, quâ potuit ſollicitudine fovit & rexit. Sed cùm ſanguis Martyrum ſemen fieret Chriſtianorum, ſuiſque diſpendiis aucta videretur Senonum Eccleſia; qui ſopitus videbatur perſecutionis fomes, ex credentium majoribus incrementis reviviſcere cœpit. Primùm enim Serotinus jugi precum pervigilio ad Saviniani ſepulchrum excubans fuſtibus ad mortem cæſus, invictiſſimè ſuccubuit. Potentianus, Altinus & Eodaldus ad Prætorium rapti, & in fidei confeſſione ſtabiles, equuleis diſtenti, cuſpidibus ignitis aduruntur, evelluntur ex eorum digitis ungues, ipſíque Potentiano brachium amputatur. Mox ſub gravi catenarum pondere in carcerem conjecti, Angeli ope ſanantur, colloquio recreantur, & præciſum Potentiano brachium reſtituitur. His clara prodigiis Martyrum trias redit ad pugnam alacrior, & fidelium obſeſſa turmis, ab impio carnifice cervicibus diminuta non animis, ceteris prævivit ad immortales triumphos. Strages enim immanis credentium tunc ſecuta, agonem hunc militantis Eccleſiæ plurimùm commendavit. Paſſi ſunt omnes in alodio ſancti Petri Vivi, & in ejuſdem arenariis cryptis ſepulti: poſtea tranſlatis in cœnobiticam illius Eccleſiam eorum corporibus ſacris, anno 847 ille locus tot Martyrum ſanguine fertilis, cineribus dives, & patrocinio tutus, cœpit avitæ pietatis ſeminarium eſſe, in quo fuerat veræ religionis exordium.

Habes hîc, Lector, primas Eccleſiæ Senonenſis origines, &

Digitized by Google

quarumdam Epiſcopalium ſedium quas illa Metropolis ſuffraganeas habuit ad annum 1623 compendioſè redactas ex actis illorum Martyrum quæ in vetuſtiſſimis codicibus MSS. Monaſterii Viviani (Launoio nuſquam exhibitis) & in legendario Metropolitanæ baſilicæ extant. Quibus apprime cohærent quæ plurimi veteres inter & recentiores cum ſcientiâ tum probitate clariſſimi ſcripſere de Chriſtianis Senonum primordiis primo ſæculo reparatæ ſalutis. Quos inter, primas tenet Odorannus primarius ſcriptor Senonenſis, Roberti Regis amicitiâ clarus, & quem Baronius ſæpius à ſe laudatum veterem hiſtoricum nominat, ſed cui deſunt illi chronologiæ cani quibus auctorum ſuorum capillos albeſcere cupit diſſertator ne Severo poſthument. Item Clarius à nobis prelo ſuppoſitus anno 1657, Robertus Antiſſiodorenſis, Gaufridus Hiron & Gaufridus à Collone, Sirmondo codices olim familiares qui hujus Autographum reſtitui mihi curavit anno 1651. Quibus adjunge Nicolaum de Lira, Buretellum, Coquinum, & Tavellum; qui tres poſtremi rerum Senonicarum callentiſſimi, & in patriis traditionibus diu nec perfunctoriè verſati, præ ceteris audiendi videntur: ſed tantæ rei momentum ſequens caput demonſtrabit.

CAPUT II.

Sanctum Savinianum à B. Petro Senonas miſſum fuiſſe.

§. I.

Probatur primò ex traditione.

I. PRIMUM & in hoc controverſiarum genere potiſſimum argumentum ipſa eſt traditio, quæ jugi populorum conſenſu hactenus ſtetit, & quam majores noſtri ſanctimoniâ morum & eruditione probatiſſimi velut ex traduce & hæreditario jure ad nos tranſmiſere. Hoc ſe firmamento tutantur aliæ nobiliores orbis Eccleſiæ contra novitatis inſultus, quibus pari injuriâ illis ut nobis perſtrepit: nec potentioribus olim machinis hæreſes contritæ, nec efficacioribus hoc ævo profligatæ, ubi Scriptura ſiluit. Et quamvis non eadem ſit traditionum dignitas, nec ſint omnes pari religione tenendæ, nuſquam tamen à viris

Digitized by Google

cordatis & ſincerè doctis controverſum fuit num ſuum omnes pondus habeant, & ſi citra temeritatis aut erroris notam revocari poſſint in dubium illæ quæ licèt divinis & apoſtolicis minùs præſtent, longa tamen ſæculorum ſerie, conſtanti populorum fide, nec umquam dehiſcente plurium inter præcipuas orbis Eccleſiarum conſuetudine probè duruerunt.

II. Nec prorſus ferenda Diſſertatoris opinio, dum omnes Eccleſias quæ ſedis gaudent honore (ſi fortè Lugdunenſem excipias) in eam conſenſiſſe fraudem aſſerit ſtatim ab imperio Caroli Magni, ut pro primario ſuæ civitatis antiſtite ſibi ſingulæ deligerent unum qui vel Chriſto familiariter adhæſiſſet, vel ex ipſo Apoſtolorum convictu deciſus fuiſſet: poſt quem, inquit, longum videas, & ferme ducentorum annorum ad Decii tempora ſeſſionis hiatum; & hæc iterum infra. Quaſi verò tunc toto terrarum orbe Chriſtiano veritas exulaſſet, & inter tot pietate præſtantiſſimos nullus detexerit fraudem, vel ab errore tutus & à mendacii fuco liber evaſerit, & poſtea exclamaverit contra novitatis temerarios auſus, hoc celebri munitus effato Auguſtini Epiſt. aliàs 118. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

III. Verùm quid utilitatis ac commodi rebus noſtris accederet ex illo antiquitatis pruritu & Apoſtolorum ſynchroniſmo, ſi tentandus eſſet injuriâ veritatis? Non is Eccleſiæ natalium ſplendor, qui ceterorum, quibus nullis nota primordiis placet avorum canities, & è Trojanis ruderibus emerſiſſe nobilitas eſt, quique fumoſis majorum ceris luſtrandis potiùs quàm illuſtrandis jugiter hærent. Soli litat veritati Chriſtiana Religio, nec ſibi blanditur olim prodiiſſe, ſi certa non eſſent ſua cunabula, nec eam pudet ſuæ novitatis in illis Eccleſiis aut gentibus, quibus veræ fidei lumen ſeriùs affulſit. Nemini non certum, niſi dogmatis hujus auctoribus, Gallias, Hiſpanias, ceteraſque nobiliores Imperii Romani provincias Chriſto priùs conſenſiſſe quàm V. G. Sarmatiam, Norvegiam, Iſlandiam & plures alias quæ tam ſitu quàm moribus longiùs ab aliis deflectebant. Sed quid ex illa fidei intercarpedine accrevit illis, aut iſtis decrevit, ut tanto partium ſtudio, ne dicam jurgio, primatûs decora propugnentur, quibus divinum eſt oraculum quod erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi? Faceſſat igitur è Chriſtianorum animis futilis ille nimiúmque jejunus conciliandæ ſibi antiquitatis appetitus, & immanis annoſæ genealogiæ libido, ſi diſpendio veritatis

Digitized by Google

veritatis, in quam unicè collimare debet Chriſtianus, ſit ſtabilienda.

IV. Quod ſi prævaleat illa, & ad partes Gallorum Senonumque, quod hîc intendimus, ultro concedat, non poterit citra flagitium ab errore non vindicari: cui eliminando fortiſſimum traditionis telum objicimus, ut olim Tertul. lib. de Corona, his verbis: *Habentes obſervationem inveteratam, quæ præveniendo ſtatum fecit. Hanc ſi nulla ſcriptura determinavit, certè conſuetudo corroboravit quæ ſine dubio de traditione manavit. Quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? Etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta. Ergo quæramus an & traditio niſi ſcripta non debet recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quæ ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus.* Quibus egregiè dictis ſubjicit quædam exempla traditionum communi fidelium uſu receptarum, quæ nullius ſcripturæ, quantùm ad primas rei origines, teſtimonio fulciuntur: poſt quas authenticum iſtud ſequitur tanti viri effatum: *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix: rationem traditioni & conſuetudini & fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces.*

V. Quod ſi Diſſertator occurrat, & velit hæc Tertulliani ſcitiſſimè dicta de ſolis traditionibus apoſtolicis intelligenda, à quibus recedere piaculum eſt, ſecus de aliis quibus error nonnumquam ſubeſſe poteſt, & quas admittere aut recuſare liberam quiſquis habeat facultatem: jure reſpondebitur ei cum Hieronymo & Auguſtino nec etiam à traditionibus eccleſiaſticis & hiſtoricis unquam recedendum, ubi nec fides periculum, nec pietas & ratio deliquium patiuntur. De quibus æquiſſimè monet Hieronymus Epiſt. 28. *Traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas ut à majoribus traditæ ſunt.* Et Auguſt. ad Januarium Epiſt. 119 nunc verò 55. ex nuperâ melioríque recenſione patrum congregationis ſancti Mauri in Galliâ, *In his quæ variè per diverſa loca obſervantur, una hæc ſaluberrima regula retinenda eſt: Quæ non ſunt contra fidem neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque inſtitui videmus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur.* Ad quæ forſan Diſſertator non advertit, nec

Digitized by Google

illi quibus totâ ſui nominis celebritate præluxit : multò minus ad illa de quibus idem Doctor ille pacificus Caſulanum inſtruit Epiſt. 86. nunc 36. *In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura divina mos populi Dei vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt : de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis cùm certa documenta nulla veritatis inſinuet, utique cavendum eſt ne tempeſtate contentionis ſerenitas charitatis obnubiletur.* Quorum patrum teſtimoniis fit evidens non de divinis & apoſtolicis traditionibus eos eſſe locutos, de quibus nemini dubium quin parem apud omnes fidem exigant ; ſed de illis quæ quarumdam gentium & Eccleſiarum peculiares ſunt, quæ longo probatæ ſæculorum uſu, jugi populorum aſſenſu, conciliorum auctoritate, ut videbimus, Eccleſiarum tabulis, Præſulum item ſuffragiis non minus eruditione quàm ſanctitate inſignium, quos numquam mendacii aut ignorantiæ labes, nec fraudis ſuſpicio maculavit, tot tandem eruditiſſimorum virorum & Canonicorum calculis, quibus in veſtigandis Eccleſiarum ſuarum originibus par olim cum ſingulari doctrinâ ſtudium accrevit, vix certè minori certitudine pollent ; ut mirum non ſit ſi Nicolaus primus ſcribens ad Hincmarum & ceteros Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos paulò durius invehatur tamquam in antiquæ majorum fidei deſertores: *Ridiculum & ſatis abominabile dedecus, ut eas traditiones quas antiquitus à patribus ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringamus.* Illa novandi libido & majorum placita caſtigandi ſuperbiæ fœtus eſt, inquit Iræneus lib. 3. contra Hæreſes cap. 2. cujus cenſuræ non minus Eccleſiaſticarum traditionum oſores quàm Apoſtolicarum, de quibus peculiariter loquitur, ſubjiciendos puto : *Cùm ad eam iterum traditionem quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſores Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos qui adverſantur traditioni, dicentes ſe non ſolùm Presbyteris ſed etiam Apoſtolis exiſtere ſapientiores* &c.

VI. Qui primus hujus ætatis, veritati, quam propugnamus, fucum induxit, ſibi præ omnibus ſapuiſſe credendus eſt, & exiſtimaſſe ceteros omnes, quâ patet orbis Chriſtianus, doctrinæ præſtantiâ & virtutis famâ clariſſimos, aut hebetes fuiſſe qui ad mendacii larvam non potuerint advertere, aut deſides qui noluerint ; ſe verò, obſtetricante naturâ per mille & ſexcentos annos à Chriſti natali, bono publico natum, ut teſtimonium perhiberet veritati. Certè nullus ſuæ mentis optimè compos ſibi nec

Digitized by Google

aliis perſuadere poterit per tot ſæcula aberratum fuiſſe, ſaltem in Conciliis, in quibus tot patrum vota in hanc Eccleſiarum traditionem conſenſere. Exemplo ſit inter alia ſancti Martialis apoſtolatus, cui vindicando à quorumdam nullius nominis novatorum dicteriis, undecimo ſæculo pars melior Aquitanorum Præſulum incubuit in quatuor Conciliis, Lemovicenſibus uno & altero, Bituricenſi & Pictavienſi, in quibus exploſa Gregorii Turonenſis vel ſua vel in ejus ſcriptis male conſuta pericope, de qua ſuperiùs præfati ſumus, de ſeptem Epiſcopis (quos inter Martialis) ſub Decio miſſis in Galliam ab Apoſtolicâ ſede; ſtatutum fuit miro ſuffragantium conſenſu Martialem Chriſti contubernio clariſſimum, verè Lemovicenſium Apoſtolum fuiſſe, ejuſque nomen in ſacris Eccleſiarum Dipthycis inter Apoſtolos (quod unicum erat in quæſtione) recenſendum. Non minus evinces & peroraveris pro Saviniani noſtri Apoſtolatu, ſi quæ pro Martiali patres attulerint, hîc paucis advertas: maximè cùm de priori ſiluerit Gregorius, & de eo, & Sixto Rhemenſi, non malè dixerit Milletus pag. 32. alterius libri de vindicato Galliæ Dionyſio Areopagitâ: *In Sixto Rhemenſi & in Saviniano ac Potentiano nihil occurrit non æquabile, quo miſſionis tempus dubitationem ullam commoveat.* Qui acta concilii ſecundi Lemovicenſis integra perlegerit, non negabit unicè quidem diſceptatum fuiſſe de Apoſtolatu Martialis, & in eo vindicando omnes conſenſiſſe; ſed illam ſententiam Patres probaſſe ex illo potiſſimum Hieronymi effato ſcribentis in cap. 1. Epiſt. ad Galat: *Quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur Apoſtoli, illud in cauſa eſt, omnes qui Dominum in carne viderant, & eum poſtea prædicabant, fuiſſe Apoſtolos appellatos.* Quod de 72. diſcipulis luculenter probat in conſequentibus: ad quæ verba ſæpius recurrunt Concilii Patres, quibus conſtantiſſima fides eſt Martialem fuiſſe diſcipulum Chriſti adhuc mortalis, ab eo divinis chariſmatibus inſigniter auctum, & Epiſcopum ordinatum: poſtea cum Petro Antiochiâ Romam veniſſe, in Gallias ab eo legatum, & in Aquitaniâ primam evangelici verbi gratiam miniſtraſſe. Aimo Bituricenſis Archiepiſcopus Concilii præſes, Jordanus Lemovicenſis, Æmilius Albienſis, ceterique præſules in Concilio ſedentes, unà cum Abbatibus, Canonicis & Clericis, ſcientiâ & virtute conſpicuis paria dixerunt. Et inter illos Iſembertus Pictavienſis Epiſcopus, qui Hieronymi ſententiæ concors ait: *Omnes qui Dominum in carne viderunt*, (quod de Saviniano & Potentiano

pariter credit Eccleſia Senonenſis; & omnis propemodum clerus Gallicanus) *eumque poſtea prædicaverunt, fuerunt Apoſtoli: & liquidò conſtat quia Martialis Dominum in carne vidit, & eum poſtea prædicavit.* Hæc Martialis miſſio in Galliam à beatiſſimo Petro coram Joanne Papa XVIII pridem agitata, primæ ſedis auctoritate confirmata fuit, cujus deciſioni Concilium Bituricenſe (quod 150 diebus iſtud Lemovicenſe præceſſit) unanimi voto ſubſcripſit, ut perhibet prædictus Aimo Concilii Præſes, his verbis: *Textum epiſtolæ Papæ Joannis omnibus Galliarum Epiſcopis directæ, ante hos quindecim dies in Concilio Bituricenſi, ubi plures Epiſcopi congregati eramus, coram nobis recitari fecimus, ubi multa Doctorum turba interfuit, qui hanc diſceptationem ſub magna diſcretione examinantes, invenerunt ſanum eſſe quod Joannes Papa in Romana ſede, & vos in hac quæ prima omnium Eccleſiarum Galliæ eſt, ſancto Spiritu afflante, de hâc juſtiſſimâ re inſtituiſtis. Nemo denegat eum* (Martialem) *fuiſſe unum de* 72. Cujus etiam rei extat primus canon dicti Concilii Bituricenſis anno 1031 celebrati, & edictum Aimonis Archiep. pag. ſeu col. 868 tomi 9 Concil. General. editionis Pariſ. 1671. Quam ſanam doctrinam & chronologicum Greg. Turon. dogma funditus evertentem, planum eſt ex eadem Lemovicenſi 2 ſynodo, præter traditionem cui præcipuè patres inhærent, deſumptam etiam eſſe ex vetuſtiſſimis plurium gentium codicibus dictæ traditioni ſuffragantibus: *Hanc rem*, inquiunt, *antiqui codices à Franciâ, ab Hiſpaniâ, à gente Anglorum advecti demonſtrant. Hoc priorum tractatus Doctorum, qui in ejus laude quædam probè ediderunt, indicat.* Et poſt multa: *Multa alia teſtimonia penes eamdem gentem Anglorum, de cujus auctoritatis vetuſtate teſtes veraces narraverunt nobis ſe ſe comperiſſe.* Et paulò poſt laudatur ſanctus Gregorius Magnus Anglorum Apoſtolus (cujus ætas non diſplicebit Diſſertatori Launoio, qui traditionum Eccleſiaſticarum teſtes cupit Carolo magno anteriores) occaſione codicis litteris aureis ſcripti, quem Rex Angliæ miſit Duci Aquitaniæ, in quo nomina Sanctorum diſtincta cum imaginibus continebantur, & in eo Martialis nomen in ſerie Apoſtolorum: *Quod volumus* (verba ſunt Synodi Lemovicenſis) *jam olim in Concilio Pictavienſi dum hac eâdem de re quæſtio eſſet, idem Dux Willelmus litteris edoctus in teſtimonium antiquitatis Pontificibus oſtendit. Erat enim ibi Martialis in aliorum Apoſtolorum catalogo poſitus. Qui peritiſſimus Princeps dicebat Archiepiſcopo Burdigalenſi, & aliis qui ibidem aderant Epiſcopis: Conjicere, inquiens, poſſumus*

Digitized by Google

quàm egregiæ auctoritatis ſit beatus Aquitanorum patronus, de quo Gregorius in illâ ſui laboris gente hanc legem tradidit obſervandam: nimirum imperitorum eſt dubitare de quo ſanctus Papa Gregorius non dubitavit. Hæc quidem laicus Princeps, ſed patrum conſedentium calculis munita.

VII. Quibus forſan ad ſaturam tædioque tenus enarratis, cùm Martialis noſtras non ſit, ſed Saviniani Senonum Apoſtoli miſſioni mirificè profuturis; ſit evidens quantùm tot tantique Præſules, Abbates & Doctores quâ latiſſimè patet Aquitania, avitæ traditioni detulerint, quâ ſolâ ducti, ſaltem uſque ad Gregorii M. tempora, qui veram fidei Chriſtianæ genealogiam in Galliis & Occiduis partibus Anglos edocuiſſe dicitur, canones & ſynodalia decreta contra Severianam & Gregorianam epochas, quas ignoraſſe non licuit, miro conſenſu ſanxere in illis 4 Conciliis, diſcuſſis priùs ad ſanctuarii bilancem utrimque partium argumentis, & conquiſitis ac convaſatis undique vetuſtiſſimis codicibus & Eccleſiarum monimentis, ut jam ſuprà monuimus.

Opponat ſibi Diſſertator, aut ille qui ſibi novitatis facem prætulit, tot veritatis præcones, tot hiſtoricæ fidei accerrimos aſſertores, tot patrum ſacros conſeſſus, tot theologorum ſcrutinia qui hujus litis momenta ſeriò expenderunt, ipſum denique primæ ſedis oraculum; quæ ſingula traditionibus Eccleſiarum pro miſſionibus Apoſtolicis in Gallia primo ſæculo abundè ſuffragantur: opponat, inquam, ſibi nuperus auctor, aut anteſignano ſuo nullius nominis, ſuſpectæ fidei, & de chriſtiana caritate perperàm ſentientis (auctorem dico vitæ ſeu hiſtoriæ ſancti Saturnini, apud Gregorium Turonenſem intruſi) hanc teſtium nubem quâ nullum majus pro veritate tuendâ patrocinium: nuſquam conſenſerim Launoium inter alias animi dotes ſani nominis cupidiſſimum, citra pænitentiam ſic pejeraſſe in injuriam ſacramenti à ſe præſtiti doctoralibus infulis propè coronando; alioquin non fortè minus ſubſannandum quàm fuit ille clericus Encoliſmienſis in Concilio Lemovicenſi à collega ſuo, dum acta ſancti Martialis, ne diceretur Apoſtolus, naucci faceret: *Meritò brutum animal reputaris, ſi tot ac tantos & tales patres doctiſſimos priſcos & modernos, qui ejus geſta ſummâ reverentiâ & ſuſceperunt & ſuſcipiunt, nutaſſe hac in re arbitraris.* Sed quid Diſſertator ſibi cavens aut providens pro veris traditionibus ſanxerit, expendamus.

VIII. Salvâ reverentiâ & integrâ pace quam apud eruditos

Digitized by Google

jure gratitudinis tanti viri manes habebunt immortalem, nemo non mirabitur eum nuperum, ſolum, privatum nulliſque Eccleſiarum noſtratium litteris procuratoriis, ut vocant, munitum, reipublicæ litterariæ ſcripſiſſe leges artificioſè confictas, ſibi tantùm commodas, ceteris iniquas, & quæ ſacræ ſcripturæ quàm patrum placitis non minùs adverſentur, ad quarum amuſſim, ut ad Lydium lapidem vult traditiones omnes probari, ut admittantur aut reſpuantur. Tres numerat ad fucum aut faſtum; nam reducuntur ad unam, ut facilè diſcutiet cui πλεονασμὸς non aridet.

Prima eſt, *Ut de eo quod in traditione poſitum contenditur, diverſis & temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus explorata fidei viris, qui in teſtes producantur.* Secunda, *Ut ſcriptores illi niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conveniant in teſtimonio quod de re traditâ perhibetur.* Tertia, *Ut iidem ſcriptores, de quibus loquimur, ad primam rei geſtæ originem, quæ caput eſt veritatis, continuâ ſerie reducantur.* pag. 170 & 171 tertiæ Diſſertationis Launoii, & pag. 86 ſecundæ Diſſertationis, & alibi.

Verum ea non eſt traditionis indoles & natura, ut ab origine ſcripto contineatur, aut nihil authenticum habeat niſi ſcriptorum exploratæ fidei teſtimonio fulciatur. Teſtes non reſpuit ſi fortuitò occurrant, & jam ferè nullas habemus de quibus in Eccleſiis mos inolevit, quarum non ſit quædam memoria apud auctores illis poſteriores. Sed ſecurè ſolitaria graditur ab initio, ut ſuprà vidimus ex Tertulliano; & ſi ſtatim ab ortu ſcriberetur, genus ſeu naturam mutaret, & traditio non diceretur, ſed auctoritas; ut ea quæ à litteris ſive ſacris ſive profanis ad nos immediatè derivantur. Et ſi quidquam obtineret tertia Diſſertatoris regula, ut ſcriptores ſcilicet, quos exploratæ fidei teſtes pro traditionis validitate requirit, ad primam rei geſtæ originem quæ veritatis caput eſt, continuâ ſerie reducantur, tota peſſum iret in Eccleſia traditionum religio, evaneſcerent omnes cùm dogmaticæ tùm hiſtoricæ, & ſtante tali doctrinâ nemo non hæreret in ipſis etiam traditionibus fidei, niſi ſcriptor quidam optimæ notæ eis coævus eſſet qui manum ſuam, ut obſidem rei traditæ, daret in teſtimonium: quod certè ridiculum, & à ſenſu patrum & theologorum prorſus alienum. Dic ſodes, amabo, nonne aliquis eſt temporis hiatus & intercarpedo ab origine prima rei quam traditam fuiſſe omnes ſupponunt, ad primum ſcriptorem qui ejus litteris redigendæ curam ſuſcepit. Plura quàm quatuor

Digitized by Google

Evangelia ſeu codices Evangeliorum nuſquam admiſit majorum fides, & hæc una de præcipuis traditionibus Eccleſiæ; ſed antequam illa ſcriberetur in ſacro canone ſcripturarum, quas nobis ut authenticas fixit Eccleſia, laudet Diſſertator auctorem qui illi patrum noſtrorum traditioni coætaneus ſit, & cum aliis ad primam ejus originem reducatur: & ſic de aliis quæ diu ſine litteris viguerunt in Eccleſia Dei: ut mirum non ſit, ſi de non ſcriptis ut de ſcriptis monuerit Apoſtolus 2 Theſſ. 2. *Tenete traditiones quas accepiſtis per ſermonem ſive per epiſtolam.*

Quibus verbis edocti patres Concilii general. Conſtantinop. VIII. primum canonem ſuum condiderunt ſub hac forma. *Sanctiones Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ per traditionem, tum à ſanctis omniſque laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab orthodoxis œcumeniciſque & provincialibus Conciliis, aut à quovis deiloquo patre & doctore Eccleſiæ acceptas ſervandas cuſtodiendaſque profitemur. Traditiones enim ſive per ſermonem ſive per epiſtolam majorum noſtrorum qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas, diſertè magnus apoſtolus Paulus tenendas monet.* Quibus pari commentario ad eumdem Pauli locum præiverat Chryſoſtomus, quem hîc vernaculè ſcribentem placet audire: Ἐντεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως, ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα καὶ ταῦτα ἐστιν ἀξιόπιστα. ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα, παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει. Baſilius item cap. 27. libri de Spiritu ſancto utrumque fidei penu collocat in verbo non ſcripto ſeu traditionibus, & in ſcripto; nec ſcriptores adſciſcit illis coævos quibus neceſſariò inhæreant, & velut in cunis illas excipiant: *Dogmata quæ in Eccleſia ſervantur ac prædicantur partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione in myſterio ad nos delata recepimus: quæ utraque eamdem ad pietatem vim habent; & nemo his contradicit qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet.* Ne ſim nimius, unicus tantæ veritati aderit Auguſtinus, qui quaſdam traditiones agnoſcit ut Apoſtolicas quæ nec priorum nec poſteriorum ſcriptorum teſtificatione muniuntur: ſic enim lib. 4. contra Donatiſtas, c. 6. *Illa conſuetudo quam etiam tunc homines ſurſum verſus reſpicientes non videbant à poſterioribus inſtitutam, recte ab Apoſtolis tradita creditur.* Nec aliter cap. 7. lib. 2. *Quam conſuetudinem credo ex apoſtolica traditione venientem, ſicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſterio-*

rum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Et lib. de unitate Eccleſiæ, c. 19. ubi de Baptiſmo pro baptizatis hæreticis non iterando: *Cùm hoc nuſquam legatur, credendum eſſe* (monet) *teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt.*

IX. Quid ad hæc & alibi plura, retorquere poſſet Diſſertator cui nulla ſuccurrere poſſit traditio, quæ ſtatim ab ortu ſuo ſcriptorem habeat velut Angelum cuſtodem, quique rem indigitet quæ caput eſt veritatis? Nullum proferre poterit anteriorem Severo, cujus tam acriter epocham propugnat, & multò minùs antiquiores Euſebio quos continuâ ſerie reducere poſſit ad Marci Aurelii ætatem, ſub quo primum in Galliis viſa martyria ſcribit Sulpitius; qui cùm nullos citet auctores, nec ſibi vadem adſciſcere poſſit Euſebium, quem contraria ſcripſiſſe videbimus infra, nihilque ſubſidii poſſit eſſe Diſſertatori ex epiſtola martyrum Lugdunenſium, fit evidens, ſi quid valeat opinio Severi, illam à traditione neceſſariò profluxiſſe. Verùm cùm nullum ei valeat ſcriptorem coætaneum adjungere Diſſertator, fateatur neceſſe eſt aut vanum eſſe quod ſcripſit Severus de dilata converſione Gallorum, aut fictitiam eſſe regulam quam dedit de reducendis neceſſariò continuâ ſerie ſcriptoribus ad primarios traditionum fontes. Duoſne Aurelianis & Decianis temporibus numerabit auctores qui de Chriſtianis noſtratibus vel quid tantillum attigere? Sola pluribus annis regnavit traditio: ſola per plurimas ætates cucurrit, ſola poſteros edocuit cùm ſacris in rebus, tùm etiam in profanis; cujus ope deſtituti nobiliſſimi ſcriptores tot hiſtoriarum & ætatum mundi, & quorum placitis & relationibus non aſſentiri piaculum ducimus, non illas nobis reliquiſſent elucubrationes & tam præclara ſuorum ſtudiorum monimenta, in quibus evolvendis & addiſcendis etiamnum hodie toti ſumus, aut cœcutimus; nec conſcii fuerunt rerum à ſe ſcriptarum, nec laudant auctores quorum ſcriptis edocti fuere; aut ſi qui nonnumquam proferuntur, aliquâ ſemper intercarpedine dehiſcunt à re geſta quæ caput eſt veritatis, inquit Diſſertator. Id ſola præſtitit traditio & majorum fides, quæ conſenſu firmata populorum idem continuâ ſerie narrantium ſemper prævaluit, donec illa præſtantiſſima ingenia in quibus ſcribendi genius incaluit, in poſterorum utilitatem illa litteris conſignarunt.

X. Quis credat ipſum traditionum oſorem in hanc ſenſim veritatem

veritatem conceſſiſſe, nec potuiſſe tanto lumine non affundi? Sufficerit hoc unum ſpontaneæ confeſſionis exemplum. Argumento negativo quo ſemper præſtantius tumet, ſuadere voluerat ex Prudentio, Oroſio & Fortunato, nullos ante Severianam æram martyres in Gallia paſſos, eo quod nuſquam eorum meminerint illi: hanc ſibi viam incommodam poſtmodùm ratus, cùm ex ſilentio præſertim Fortunati ſequeretur illos etiam martyres, quos ſub dicto Imperatore in Galliis occubuiſſe ſcribit Severus, & de quibus inficiari nequit Diſſertator, numquam extitiſſe, ſi certus eſſet ejus ratiocinandi modus; aliâ ſibi viâ procedendum exiſtimavit, dum ſecundis curis expendens ea quæ in Diſſertationibus ſuis obrepſerant, ad tutiſſimam traditionis anchoram confugit, ut oſtendat Gallicanos martyres ſub Marco Aurelio neci traditos fuiſſe Fortunatum non ignoraſſe. *Tertius* Fortunatus *circà annum* 580 *ſcripſit, quo tempore ex certa majorum traditione noſſe poterat quinam in Gallia primi pro Religione mortem tolerarint.* Hæc Launoius. Sed quos auctores Fortunato numerabit, qui ſpatio quadringentorum & amplius annorum ad uſque tempora Aurelii continuâ ſcribendi ſerie reducantur ad illam martyrum ſtragem in Galliis patratam, quæ caput eſt veritatis, unde certa fiat traditio, quam ut ſibi propitiam implorat Diſſertator? Si vel unus tutelaris comes illius traditionis præſto fuiſſet Fortunato, nec oculos nec calamum fugiſſet Diſſertatoris, cui tam hîc quàm alicubi diſputationum ſuarum hæc traditio ſolitarie currens, nulliſque ſuſtentata ſcriptis (ſaltem ab origine rei geſtæ) inviſa non fuit, ſed ſeriò ſalutaris ut forſan videbitur in conſequentibus. Tanta eſt virtus veritatis, ut, velint nolint, quibus eſt ingrata, ultrò ſe prodat excidatque vel incogitantibus.

Sed forſan non aberrabitur à ſcopo, ſi citrà Diſſertatoris injuriam hîc obiter adnotarim, vel Prudentium non legiſſe, quem citat contra nos non ſine ſupercilio, ut probet, dum *ille cecinit*, inquit, *Martyres Gallicanos* in lib. Periſtephan. nullos agnoviſſe qui Aurelium ætate præceſſerint: vel ſi legit, uſum eſſe codice nemini hactenus noto; nullos enim Martyres Gallicanos cecinit Prudentius, ſed ſolùm Hiſpanos quoſdam & Italos, ſi ſit adhibenda fides omnibus Prudentianis exemplaribus MSS. & impreſſis. Quid ad hæc reponere poſſit Diſſertator, qui de Prudentio ſic diſertè ſcribit, *Dum Gallicanos Martyres canit*, inquirant alii. Certè ſi non obeſt nobis veri Prudentii verum ſilen-

Digitized by Google

tium, minus nocebit fictitius cantus pſeudo-Prudentii. Alterum nævum advertes, dum ambitioſius laudans & expendens Oroſium, qui lib. 7. Hiſt. perſecutiones Eccleſiæ latè recenſuit, commodum etiam ſibi putat ejus ſilentium, qui nullos commemorat Galliæ martyres ante quartam perſecutionem (aut quintam ut volunt alii) quæ poſt annum 163, quo Marcus Aurelius imperare cœpit per 19 annos, ſævire cœpit? *Cur rei memoratu digniſſima mentionem ſciens ac volens omiſiſſet*, infit Diſſertator. Sed dic, amabo, quos Gallicanos martyres, quos ſub Decio, Valeriano, Aureliano, Maximino & Diocletiano jugulatos fuiſſe in Galliæ non ambigis, recenſuit Oroſius? Num eo ſilente, nullibi Galliarum trucidatos fuiſſe fateberis? Cur etiam ſiluit de ſuis Hiſpanis, ut de re memoratù digniſſima ſibi? Immò nullum per illa tria patientis Eccleſiæ ſæcula martyrem invenies, quâ patet totus orbis Chriſtianus, ab Oroſio nominatum. Et ſi quidquam valeret illa ratiocinandi methodus per argumenta negativa, cui potiſſimum Diſſertator inhæret, certè ſequeretur Oroſium nullos in Eccleſia martyres agnoviſſe, cujus tamen invictiſſimos agones ſeu decem perſecutiones tanta fide & religione conſcripſit. Suum igitur ſinceræ mentis candorem noluit hîc nobis palam eſſe vir alias optimè bonus; ſed cui, poſt illos veritatis flexus & mœandros, quos frequentiores habet, & à quibus, ut à præſtigiis cautum lectoribus eſſe vellem, illud repono quod §. 15. ſuæ ſecundæ Diſſertationis prudens ſuggeſſit: *Ab his commentis mirum quantùm abhorret Chriſtiana Religio, quæ unica in ſola profeſſione veritatis conſiſtit.* Hactenùs de prima & tertia Diſſertatoris regula, quibus nemo facilè ſubſcribet. Secunda tota redundat; nam ſi ſcriptores quos veluti tutelares traditionibus adjungit Diſſertator, ſenſu conveniant, parum intereſt veritati quibus illam verbis enuntient. Si verba ſint eadem, qui fiet ut ſenſu diſcrepent? Sed jam oſtendimus traditiones omnes prodire feliciter in lucem nullius obſtetricante manu, ſeu ſcripturâ, ſed ſolo Eccleſiarum conſenſu & gentium uſu. Quod ſi poſteà traditiones illæ ſcriptis redigantur, & exploratæ fidei ſcriptores veritati teſtimonium perhibeant, conſuetudinem quidem & communem uſum teſtantur, ſed inde nulla rei major auctoritas accedit, ſicut nec ſcripturæ ſacræ, cùm Patrum & doctorum elucubrationibus illuſtratur.

XI. Non tamen negarim traditionibus illis, de quibus hîc diſputamus, notha quædam & minus conſona obrepere poſſe,

Digitized by Google

& digna certè doctorum obelo. His nonnumquam ſpurcata mendis facilis avorum religio, quibus ſuis intenta commodis turba nugatorum illudebat, falſa quædam veris admiſcuit, quæ nonnihil faceſſunt negotii illis, quibus incumbit ſeparare pretioſum à vili. Jam fœdatus erat hoc ſpurio ſemine dominicus ager tempore Tertulliani, cui purgando, & ut legitima ſecernere poſſis ab adulterinis, cautum eſſe voluit hoc effato, lib. de Præſcriptionibus: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Quam unitatis teſſeram ſemper habuit traditio Senonenſis pro ſuo Saviniano; à qua poſt quingentos ſuprà mille annos aut circiter, nullus quod ſciam umquam diſſenſit, ſi Diſſertatorem excipias, qui tumultuaria velitatione potiùs quàm juſto conflictu primum hunc Senonum antiſtitem aggreſſus eſt, ne à ſe diſſentiret, dum ſeptem aliis Gallicanis Præſulibus, quos ſuus recenſet Gregorius Turonenſis, Decianam æram aſſignat. Genethliacon illud Chriſtianæ Senonum fidei profitetur Eccleſia Romana veritatis & religionis ſecuriſſima cuſtos; tota credit Gallicana in illis Diœceſibus, in quibus de Saviniano & ſociis celebris memoria; & ne in ceterarum recenſione lectori nauſea fiat, ſufficiat dicere reperiri neminem antè Launoianam apocalypſin, vel qui non dederit huic aſſertioni ſuffragium, aut qui contradixerit. *Quod igitur apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Hâc eadem panopliâ traditionis veritatem propugnat Irenæus, ab unitate quam ubique Chriſtianarum gentium eamdem eſſe monſtrat his verbis, lib. 1. cap. 3. adverſus hæreſes: *Neque hæ quæ in Germaniâ ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Iberis ſunt; neque hæ quæ in Celtis; neque hæ quæ in Oriente, &c.* Verùm quibus aliter ſapere viſum eſt in hoc ſæculo, tot ſenſus placuere quot capita, aliis Severianam epocham probantibus, aliis Gregorianam: illis, inquam, quibus annoſa veritas & canos habens tandem diſplicuit. Ipſe Diſſertator in varia ſcinditur, dum Severo ſtudet & Gregorio, qui de Gallicanarum miſſionum ætate tantum inter ſe differunt, quantum à Decio Marcus Aurelius. Nec ſibi magis idem eſt vir clariſſ. Boſquetus, qui Severi magiſterio prope tumens, lubricum etiam fecit nupero dogmati, quamvis rigoroſam nimis ratus Severi ſententiam, eam mitigandam eſſe cenſeat his verbis lib 1 Hiſt. cap. 36 quibus palinodiam canere videtur, aut epinicion Saviniani victoriæ, ut infrà videbitur, in ejus nomine.

Digitized by Google

Ego verò, inquit, *licet antiquitas luce clarior mihi non appareat, tamen martyrio Lugdunenſium Chriſti fidem in Galliis priorem fuiſſe pro comperto habeo. Neque ideò Severi authoritatem elevatam exiſtimo. Ille breviori modo ſcribendi minus dixit quàm ſenſit; & ſerò ſuſceptam religionem ac tum primùm viſa martyria ſcribens, non ideò tamen fidem priùs prædicatam fuiſſe negavit. Illuſtria & in omnium oculis martyria intellexit quæ demùm ſub Aurelio Galliarum conſpectui exhiberi cœperunt, ſuſceptâ jam Chriſti religione.* Quid amabo, fortius in rem noſtram aut dilucidius dici poteſt, à viro præſertim cui primas certaminis dedere neoterici pugiles & inter alios Diſſertator. Si martyres in Galliâ Lugdunenſium agones prævenere: ſi antè ſævitum quàm Aurelius rerum potiretur; figant Boſquetus & alii cùm Diſſertatore certum cædium natalem in Galliâ, & ſub quo Romano Principe palæſtræ noſtræ Chriſtianorum ſanguine rubuerunt? Prior à finita Severi epochâ recedens, de indefinita nihil ſtatuens (de quibus infra) quam quiſque ſeligere velit temporis notam pro prima Gallorum converſione, liberum relinquit, & ſic dum apud eum ceteroſque ſuæ ſortis ſic nutat veritas, & in diverſa ſcinditur, *unum non invenitur*, juxtà Septimium, & proinde quod ab eis aſſeritur, *non eſt traditum, ſed erratum.*

Hujuſmodi ſchiſma mirificè nobis oſtentat ipſe Gregorius Turonenſis, cujus auctoritas ſola palmare eſt Diſſertatoris argumentum. Nam ut ſiſtam in ſola pericope quæ caput eſt hujus diſputationis, quæ ſuo loco paucis diſcutietur; numquid vir ille ſincerè quidem probus, ſed vix ſibi conſtans in pleriſque, varia docet de Saturnino, quem Tholoſates primum habent Epiſcopum, quem in illa pericope lib. primi Hiſtor. cap. 30 (ſi ſit illa partus ejus genuinus) miſſum dicit in Gallias ſub Decio, anno circiter 252 aut ſequenti. *Hujus tempore,* Decii, *ſeptem viri Epiſcopi Ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim: Sub Decio & Grato conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Tholoſana civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem: hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gatianus Epiſcopus; Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dyoniſius Epiſcopus, Arvernis Stremonius Epiſcopus, Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.*

Hæc Gregorius, qui tamen lib. de Gloria martyrum cap 48

Digitized by Google

contraria ſcribit, ſed veriora: ***Saturninus verò martyr, ut fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in urbem Tholoſatium eſt directus, qui impulſu paganorum bovis petulci religatus veſtigiis per gradus capitolii præcipitatus, præſentem finivit vitam, capitis compage diſperſa.***

Non minor apud eumdem ex aliorum ſententia contradictio reperitur de Urſino primo Bituric. Antiſtite, & cui Diſſertator fucum inutiliter induxit. Lib. de Gloriâ confeſſorum cap. 8 ſcribit, ***Bituriga verò urbs primùm à ſancto, Urſino qui à diſcipulis Apoſtolorum ordinatus Epiſcopus, in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Bituricenſem primùm inſtituit rexitque.*** Secùs (ſed perperam) opinatur lib. 31 Hiſtoriarum, ubi recenſitis ſeptem Epiſcopis ſub Decio miſſis, de quibus ſuprà: ***De horum***, inquit, ***diſcipulis quidam Biturigam civitatem ingreſſus, ſalutare omnium Chriſtum Dominum populis nuntiavit.*** Ut auctorem ſuum ſic diverſa ſentientem conciliet Diſſertator, putat librum Hiſtoriarum poſteriores eſſe curas Gregorii, in quo retractarit quidquid alibi ſcripſerat minus veritati cohærens. At de ſcriptorum ejus chronologicâ ſerie non eadem opinantur alii, maximè doctiſſimus Hugo Menardus pag. 56 ſuæ Diatribæ pro unico Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo. Verùm citrà litem, nobis interim ſufficiat, virum, opinione Launoii, inter noſtrates hiſtoricos facilè principem, communi mortalium conditione tanta deliquiſſe, & in nobiliſſimo de quo contendimus, argumento, ſic à ſe & à vero diſſenſiſſe, ut proinde dignè cum ſuis vapulet anathemate Tertulliani, qui ſuprà monuit ubi unitas deſideratur, errori locum eſſe, non traditioni.

Quod ſi Diſſertator opponat Gregorium poſterioribus curis primas correxiſſe, en in eodem hiſtoriarum libro virum fœdius adhuc contra ſe pejerantem, nec ab orbita noſtra deflectimus. Lib. 10 c. 30 ſcribit de Gatiano primo Turonenſi Epiſcopo: ***Poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, & fidem Chriſti per omnia dilatatam*** : & cap. 48 contraria tradit, loquens de eodem; ***paucis Chriſtianis per eumdem converſis.*** Pares ejuſdem ſecum pugnantis ſententiarum rixas referre non pigeret, ſi citrà lectoris tædium id fieri poſſet, cui jam ex aliorum Diſſertationibus plus æquo innotuit, quanto diverſarum opinionum ſchiſmate, & quàm variis temporum epôchis à ſe ipſo diſtraxerint Dionyſium Areopagitam, unum de ſeptem à Gregorio recenſitis ſub conſulatu Decii & Grati ad annum circiter 252, quem ſub tot Pon-

tificibus & Imperatoribus vel Athenis vel Pariſiis paſſum opinantur: qui tandem poſt varia ultrò citroque ſcriptionum tormina pacificè degit ſub æra Clementis Romani Pontificis, quâ miſſus in Galliam ; & Adriani Imperatoris quâ, paſſus Lutetiæ. Sed lepidum illud de Launoio quod cùm Sirmondo pertinacius hæſerit, hic tamen Dionyſii fata poſtrema ſub Domitiano, ille ſub Decio ſcribit contigiſſe. Reliquos Gregoriani ſeptemviratus antiſtites prætereo, ne ſim nimius, in quorum ſtabilienda vel miſſionis vel paſſionis epocha tot adhuc pruriunt ſenſus quot capita. Apud illos igitur nulla ſubeſt traditio vera, quantum ad primigenios Chriſtianæ fidei natales in Gallia, qui veritatem ſic miſerè ſciſſam, nobis obtrudunt.

Secùs de Saviniano & ſociis Senonum fides, pacificâ traditione firmata jugique populorum, quâ ſe diffundit Chriſtiana religio, conſenſu ſtabilis, ut ſuperiùs expoſita fuit. Scimus quemque ſibi traditionem adſciſcere: ſed eam tibi lector oſtendimus nullis obſitam fucis, & à Launoianis commentis defœcatam, quæ nativum & verum exhibet characterem unitatis.

XII. Vice coronidis adtexam quod alii fortiſſimum urgent contra novatores, præſcriptionem ſcilicet quæ jus eſt ex pacifica & diuturna poſſeſſione conquiſitum. Antè hanc ætatem & priuſquàm de duobus Dionyſiis tota perſtreperet novantium ſchola, ne mutire quidem auſus eſt aliquis contrà publicam Senonenſium fidem de ſuo Saviniano ab Apoſtolorum principe ſibi legato ut Evangelio Chriſti celeberrimam illam Galliarum partem imbueret. A quingentis & amplius ſupra mille annis hæc veritas obtinuit, crevit, adolevit, nec adhuc emarcuit tot conſperſa canis & venerabili ſenio. *Qui eſtis* (Tertulliani ſunt famoſiſſima verba) *quando & unde veniſtis, qui in meo agitis non mei ? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis authoribus quorum fuit res , &c.* Hæc ille traditionum & præſcriptionum adverſus novatores ſtrenuus vindex lib. de Præſcriptionibus cap. 37, qui pari telo Marcionem confodit ſcribens contra eum lib. 4 cap. 4. *Quis inter nos determinabit niſi temporis ratio & præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur ; & ei præjudicans vitiationem, quod poſterius revincetur?* Hinc judicet lector cui præſcripta ſit auctoritas, cui præjudicata vitiatio, præſcriptio jam novies & vigeſies pleniſſime decurſa (ut cum doctiſſ. Quatremario loquar) an ſcriptio Launoiana, quam nox una fungi inſtar peperit, nox altera fumi inſtar exhalavit?

Digitized by Google

§. II.

Probatur ſecundò ex actis paſſionis ſancti Saviniani.

I. NIſi ſecus ſuaderet ordo propoſitus ſub finem præfationis de diſcutiendis ad caput tertium hujus opellæ Diſſertatoris objectionibus, quæ facili negotio, Deo juvante, ibi diluentur, hîc priùs purganda forent hæc Acta vitæ & mortis ſanctiſſ. Præſulis à vana Doctoris noſtri ſuſpicione, qui pro more cuncta proſcribit, quæ ſibi non placent, & quorum pondere vel authoritate tota peſſum iret panoplia novitatis. Jam ſupra vidimus eum iniquis conatibus contra nobiliores orbis Eccleſias ſtatuere voluiſſe, ſtatim ab obitu Caroli Magni veritatem cum ipſo defeciſſe, & ſingulos ſibi finxiſſe præſules Apoſtolis coævos, ſedeſque vix Anthiochenæ aut Romanæ ſuppares. Inde mutatas earum origines, Acta Sanctorum qui primi præſederunt, corrupta, interpolata & miſerè ſciſſa ut antiquitati tam ambitioſè quæſitæ ſuccurreret larua mendacii. Quid peculiari jurgio contra Savinianum molitus ſit Diſſertator, & quàm deluſus fuerit in Actorum illius examine, ſuo loco videbimus. Jam ex illis in pervetuſto Codice ſancti Petri Vivi exaratis, & quibus fides par antiquitati ſuffragatur, iſta depromimus: plurima præcedunt in Actis illis quæ miſſum eum in Gallias cum ſociis ſuis clarè demonſtrant, ſed illam hîc exhibemus pericopen, quæ præter miſſionis Apoſtolicæ teſtificationem, primam fundationis Baſilicæ Vivianæ, ſeu ſancti Petri Vivi deſignationem luculenter oſtendit.

II. [Interea cùm per beati pontificis *Saviniani* inſtantiam plurima civium multitudo Chriſtianæ fidei Sacramenta ſuſciperet; reminiſcens idem B. pater qualiter à ſancto Petro Apoſtolo ipſe cum ſociis ſuis directus eſſet ad Gallias luce fidei perluſtrandas convocavit ſanctiſſ. ſocios ſuos Potentianum, Altinum, Eodaldum & Serotinum, & taliter fertur ad eos dixiſſe. Gratias agamus, dilectiſſimi fratres, Salvatori noſtro, quod per nos famulos ſuos regnum ſuum dilatare per Gallias diſpoſuit, ſicut impræſentiarum videtis, & videndo gaudetis. Ecce enim Senonica Metropolis potens & nobilis verbum Domini ſuſcepit ex parte, & abjectis idolis ſuis converſa eſt ad Dominum Creatorem ſuum. Dignum eſt igitur ut ceteræ «

„ gentes Galliarum ad Dominum convertantur & credant, cre-
„ dendo cognoſcant, cognoſcendo diligant, diligendo teneant,
„ & tenendo non dimittant. Quocirca fratres, abſque dilatione
„ induite vos armatura Dei, & aliis civitatibus annuntiate nomen
„ & fidem Salvatoris noſtri. Adſtipulatur etiam huic meæ admo-
„ nitioni mandatum Apoſtolicæ authoritatis, quod per noctur-
„ nam viſionem noviter accepi. Noveritis enim beatos Apoſtolos
„ Petrum & Paulum nocte præterita per viſum mihi apparuiſſe, &
„ certis ſignis indicaſſe Martyrii ſe palmam adeptos, & relictis
„ glebis corporum, ſupernis ſedibus invectos eſſe. Addiderunt
„ etiam ut Eccleſiam in memoriam eorum ædificare non diffe-
„ ramus, & Gallias ad Dominum convertere feſtinemus, quia
„ & nos poſt modicum calicem Domini bibituri ſumus, quem
„ ipſi feliciter ante nos biberunt.]

Exſcribendus hîc eſſet totus Actorum illorum contextus, ut ſci-ret lector quàm in eis genuina veritatis indoles, nec fucatus emen-dicatæ antiquitatis character. Singula memorant de quibus ſu-pra in Synopſi hiſtorica, cùm natalitia ſacra Senonum recen-ſerem, quibus mihi neceſſarium incumbit (ut infra patebit) adtexere quæ de Martyrio beatiſſimi præſulis, & plagis adhuc conſpicuis in ejus capite eadem Acta perhibent.

„ [Beatum Potentianum pontificali induit infulâ, & data om-
„ nibus ſociis benedictione, poſtquam divini Sacramenti pere-
„ git officium, videns caterva paganorum quoniam diutius intus
„ moraretur, cum grandi accedentes ſtrepitu, beatum dignæ
„ memoriæ Savinianum, ſimulque ejus diſcipulum Victorinum
„ & quemdam filium ejus parvulum circumveniunt. Quorum
„ unus ſanctiſſimi viri verticem ejus ſacri capitis enſe; alter
„ ex altera parte ingenti ſecuri percutientes, martyrii termi-
„ num compleverunt. Beatum verò Victorinum multatum trun-
„ catione capitis ſimulque filium ejus parvulum, relinquentes
„ eorum corpora, abierunt, &c.] Conſentiunt vetuſtiſſimæ Membranæ Eccleſiæ Senonenſis, ad quas recognitum ejus Bre-viarium anni 1641. ſub Octavio de Bellegarde.

„ [Noctis præteritæ in ſilentio attonitus *B. Savinianus* mira-
„ culi ſtupore magno pro beatiſſimis Petro & Paulo qui perlu-
„ cidæ claritatis indicio apparuerunt mihi nuntiantes jam ſe
„ ab hoc fragilitatis corpore reſolutos & per continuæ paſſionis
„ obedientiam perveniſſe ad cæleſtis claritatis gaudia ſempi-
„ terna. Eumdem ergo calicem paſſionis inſeparabili conſtan-

tia

Digitized by Google

tia commonent quantocius nos ſuſcipere & ceteras Gallia- «
rum civitates ad unius cultum veritatis inſtruendo memo- «
riter revocare. Recognoſcat etenim ad extremum omnis Gal- «
lia ſibi fore ſuæ ſalvationis, & perpetuæ protectionis eoſdem «
Apoſtolos & Doctores, præcipiunt etenim quantocius in ſui «
veneratione Eccleſiam Domino conſecrare.] «

Eadem Acta confirmat etiam Chronicon Vivianum, quo nullum antiquius deprehendi, quod doctiſſimo Sirmondo per 30 annos uſui fuit, ſed ab eo morti proximo mihi reſtitutum.
[Anno ſecundo Claudii ſanctus Petrus Romam venit, & Ro- «
manis arcibus, ibi fundata Eccleſia, Evangelium, Chriſti «
prædicando, & prædicationem ſignis confirmando annuntia- «
vit, & viginti quinque annis ipſius urbis papatum tenuit. De- «
ſtinavit autem prædicatores in partibus Occidentis, ſanctos «
ſcilicet Savinianum & Potentianum, atque Altinum, qui de- «
ſignati ſunt à Domino Jeſu Chriſto inter ſeptuaginta duos «
Diſcipulos, Senonas, &c.] «

Ex eiſdem Actis pariter decerpſit, quæ habet in Chronico ſuo Gaufridus à Colone Cœnobita ſancti Petri Vivi, cujus autographum penes me habeo, quod jam perfecerat ante annum 1294.

Tabula 2 fol. 16 verſo, ſic [Verùm cùm beatus Petrus «
Romæ fidei fundamenta collocaſſet ...... convenit ſanctos «
Savinianum & Potentianum cum B. Altino & eos leniter «
commonuit, ut Galliarum gentem fortem & ferocem, armis «
præcincti divinis expeterent, &c.] Et fol. 19 verſo. [Ea- «
dem nocte ſuæ paſſionis Petrus & Paulus ſancto Saviniano «
Senonenſi Archiepiſcopo apparuerunt, ſuam paſſionem & «
conſequutam gloriam intimantes, &c.] Quæ de conſtruenda «
ſancti Petri Vivi Baſilica, jubentibus Apoſtolis, ut ſupra luculenter ediſſerunt.

Habent iterum hæc Acta ſuffragium & genuinam veritatis teſſeram ab antiquiſſimo dictæ Baſilicæ ſancti Petri Vivi Legendario, quod ne rixantium blattarum & tinearum fame tandem periret, juſſu Roberti pii Francorum Regis novis apicibus reſtitutum fuit, ut hactenus extat. Eadem quæ ſupra retulimus egregie commemorat; videlicet de miſſo in Gallias per Petrum Saviniano, de fundata per ipſum Eccleſia Senonenſi, & per diſcipulos nobilioribus aliis Eccleſiis ſibi vicinis, & de ſingulorum martyrio ſtrenue peracto. Quod verò ſpe-

Digitized by Google

ctat ad illas capitis percuſſuras, quibus Savinianus occubuit, ut
„ Acta teſtantur, hæc ille codex Robertinus. [Quod autem
„ martyrii coronam vere idem beatus pontifex Savinianus
„ acceperit, teſtimonium illi perhibet uſque hodie ſanctum ac
„ venerabile caput, & ſanguis adhuc recens apparens per ejuſ-
„ dem capitis percuſſuram tribus percuſſionibus gladii ictum.
„ Duæ uſque ad præſens manent cruore ſanguineæ; tertia quæ,
„ ut putatur, glorioſam mortem intulit, nil habet ſanguinei
„ cruoris.]

A quo & à viſu ſuo Gaufridus de Colone Monachus Vivianus excepit quæ ſequuntur pag. 49 & 79 ſui Chronici, de
„ quo ſuperius. [Anno Domini 847 per Dominum Venilonem
„ Senonenſem Archiepiſcopum, tempore Domni Abbatis Ana-
„ ſtaſii (qui paulo poſt obiit) octavo calendas Septembris
„ tranſlata fuerunt corpora ſanctorum martyrum Saviniani, Po-
„ tentiani, Altini, Eodaldi, Serotini Victorini & parvi filii,
„ de loco in quo primo jacuerant, in Monaſterium ſancti Pe-
„ tri Vivi Senonenſis, in quo honorifice conſervantur. In nocte
„ illorum tranſlationis voces Angelicæ ſupra dictum Mona-
„ ſterium ſancti Petri Vivi, & circa altare auditæ ſunt à popu-
„ lo univerſo. Dum beatus Savinianus à ſarcophago levare-
„ tur, duæ percuſſuræ in ipſius capite adhuc ſanguineæ, & quaſi
„ recentes apparuerunt, & à clero & populo viſæ ſunt, &c.]
Hoc anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo quinto quo iſta ſcribimus, dictæ cicatrices ea pari forma cernuntur, omnium oſculis & veneratione celeberrimæ; quarum major cranium perforavit, & ad ipſam cerebri ſubſtantiam penetravit: alia levis ex altera verticis parte quæ cranium ex toto non aperuit, ſed tenus inſedit, uti pluries adverti, cùm pro officii mei munere ſacrum illud caput nova ad cautelam argentea cidari ſub pretioſiſſima mitra, quæ nobiliſſimum reclinatorium pariter argenteum, auro gemmiſque grave contegit, obfirmari juſſi.

Harum occaſione plagarum, quæ in S. Pontificis vertice conſpicuæ ſunt, & jugem ejus martyrii teſſeram perhibent, liceat hîc ingrato par ergo paria referre, quæ Gregorius Tur. lib. 1. de Mirac. cap. 56, & ex eo Ado de Eutropio; *Reſerato ſarcophago, contemplati ſunt cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat ſecuris acumen. Cumque ſequenti nocte ſtraviſſent Sacerdotes membra quieti, apparuit eis per viſum, dicens: Cicatricem quam contemplati eſtis in capite, ſcitote me per eam martyrium conſummaſſe.*

Digitized by Google

Tantæ fuit eruditionis idem Gaufridus de Colone, & tanta fulſit ſanctimonia vitæ in eodem ſancti Petri Vivi Cœnobio; ut non pigeat eum iterum lectori vadem dare ſinceræ fidei eorumdem Actorum ſancti Saviniani, & certæ ipſius in Gallias miſſionis ab Apoſtolorum principe. Præter ejus Chronicon mira varietate & eruditione locuples, quod per tredecim ferme Eccleſiæ ſæcula partitur, & cui lucem publicam meditabar anno 1669 cum notis & obſervationibus meis in ejus tabulas chronologicas; aliud volumen conſcripſit cui titulus iſte, *Incipit Libellus editus ſuper reliquiis Sanctorum & Sanctarum quæ in Monaſterio ſancti Petri Vivi Senonenſis continentur; & quomodo tranſlata ſeu donata fuerunt, & de fundatione dicti Monaſterii.* Obvius mihi fuit hic codex (quem autographum exiſtimo) inter rudera domus Abbatialis anno 1656, qui olim uſui fuit Buretello Cœleſtino, & Hiſtorico Senonico, ſed ignotus pluribus aliis Senonenſium rerum ſcriptoribus, qui in res Vivianas fœde peccaverunt. Sic autem in rem noſtram Gaufridus folio 47 verſo. [Sanctus Savinianus primus Senonenſis Archiepiſcopus, Hebræus genere fuit & ex Chriſti diſcipulis. Poſt aſcenſionem Domini ab Apoſtolorum principe Petro ad prædicandum Gallias miſſus eſt cum ſanctis Potentiano & Altino. Hi tres primi patroni Senonicæ civitatis, ædificando Eccleſias & maxime ſanctam Eccleſiam protomartyris ſancti Stephani infra muros prædictæ civitatis, illuſtriſſimam fundaverunt. Cumque in eadem urbe multitudinem populorum ad fidem Chriſti miraculis & prædicatione convertiſſent, ab iniquo duce Severo beatus Savinianus capitali ſententia condemnatur. Ad ultimum cùm ad decollandum duceretur, orandi ſpatium impetravit. Qui in hac hora divinum Sacramentum celebrando, ſanctum Potentianum loco ſui eadem gratia inſtituit, eumdem ſacerdotali infulà veſtiendo. Poſtmodum ingenti ſecuri & enſe martyrium conſummavit; & cum eo Victorinus hoſpes ſuus, & quidam filius parvus cum chriſtianis. Quod actum fuit pridie Calend. Januar. in vico qui Vivus dicitur, in Eccleſia quam in honore conſecraverat Salvatoris; ibique decenter à fidelibus ſunt ſepulti. Horum verò ſacratiſſima corpora per prudentem virum Wenilonem Senonenſem Archiepiſcopum tempore Anaſtaſii Abbatis tranſlata fuerunt in monaſterium ſancti Petri Vivi anno ſexto regni Lotharii, Ludovici & Karoli, filiorum Ludovici auguſtæ recordationis].

Præfationi libri ſui ſubjicit Gaufridus hoc lemma litteris miniatis : *Hæ ſunt rubricæ reliquiarum monaſterii ſancti Petri Vivi Senonenſis, & quarumdam materiarum libello præſentis opuſculi conſcriptarum anno Domini M. CC. nonageſimò tertio.*

Sed antequam è manibus noſtris elabatur hic codex, ingratum non erit, nec ab inſtituto prorſus alienum paucis obſervare ex illius præfatione, quanta religione noſtri caverent olim, ne codices quos habebant antiquiſſimæ ſenectutis, lapſu temporis quod omnia corrodit, & nimio ſenio interirent, ſuas ſcilicet membranas renovando. Hînc enim oſtenditur antiquitas MSS. codicum bibliothecæ Vivianæ, eorum qui poſt trinam Cœnobii conflagrationem (de qua idem Gaufridus, & ante eum Clarius in Chronicis) dante Deo, feliciter ſuperfuerunt : qui cum per ætatem vix potuiſſent legi duodecimo ſæculo; & ii qui nunc habentur eorum loco tunc ſubſtituti, nullo adhuc veterno laborent, ſignum eſt, ſi ſit aliquid rationabili conjecturæ concedendum, priores longiſſimum ſenium maturaviſſe, & Caroli Magni tempora longe præceſſiſſe, quod genio ſuo ſemper » proximus Diſſertator avebat. Sic porrò Gaufridus. [Quæ» cumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut » per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habea» mus. Per quod evidenter apparet quod ea quæ prædeceſſores » ſcripſerunt, ad exempla & conſolationem ſequentibus reli» querunt. Inde eſt quod ego *immitis bellua*, *ſagumque cilicium* (alludit humilitatis ergo ad quædam priora præfationis verba) » videns prædeceſſorum ſcripturas ſuper reliquiis Sanctorum & » Sanctarum, in noſtro Monaſterio ſancti Petri Vivi Senonen» ſis honorifice ſervatis, longævis temporibus jam tranſactis » editas, adeo veteratas, ut abſque difficultate non valeant reco» gnoſci...... viro religioſo priori noſtro placuit renovare, &c.] Eadem ſupra diximus de Legendario curis & expenſis Roberti Regis ad fidem veteris nimia vetuſtate labentis, reſtituto. Hæc iidem confirmat Gaufridus in præfat. Chronicorum.

Hæc item Acta ſancti Saviniani probant omnes cùm veteres tùm moderni melioris notæ ſcriptores (quorum prolixæ recenſioni ſuperſedeo, ne ſim nimius) quibus certiſſimus eſt ejuſdem primi Senonum præſulis Apoſtolatus in Gallias circa medium primi ſæculi æræ Chriſtianæ. Satis erit duos tantùm ex illis magni nominis viros huc adſciſcere, quorum primus qui Chronicon Antiſſiodori ſcribebat anno 1210 famam habet à doctiſſimo

Camuzatio, *copioſiſſima ſacræ profanæque hiſtoriæ ſupellectile inſtructum fuiſſe, ſincere & ex bona fide ſingula narrare, veritatis (quam hiſtoriæ animam nemo neſcit) tenaciſſimum*, &c. Qui Author tanti fecit Acta, de quibus hîc diſſerimus, ut iis fere verbo tenus conſtanter adhæſerit. Sed quæ de miſſione Saviniani recenſet ad annum Domini 46, qui natalis fuit Romanæ Cathedræ, nobis ſuffecerint. [Hoc tempore B. Petrus Apoſtolus dum Romæ verbum Dei inſtanter prædicat audiens gentes Gallicas adhuc idololatriæ errore deluſas, plures ex diſcipulis quos Salvator elegerat, plures etiam ex ſuis quos ipſe ſibi adſciverat, ad prædicandum delegat. Inter quos beati Savinianus, Potentianus atque Altinus de illorum 70 numero qui à Domino deſignati fuerant ex Domini Petrique imperio tranſalpinant, Senones expetunt, Galliæ urbem, præ ceteris tunc inſignem tam affluentia opum quàm confluentia populorum, &c.]

Alter ipſe eſt Nicolaus de Lira, ſuo nomine celeberrimus, qui ſcribens in duos hos verſiculos quibus clauditur prophetia Abdiæ, *Et tranſmigratio exercitus hujus filiorum Iſraël, omnia loca Chananæorum uſque ad Sareptam: & tranſmigratio Jeruſalem quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit civitates Auſtri. Et aſcendent ſalvatores in montem Sion judicare montem Eſaü; & erit Domino regnum*: totum illud vaticinium de noſtris Senonenſibus Apoſtolis ſic explicat [Per iſta loca intelliguntur omnia alia ad quæ derivata eſt per Apoſtolos fides catholica. Sciendum tamen quod ubi tranſlatio noſtra habet uſque *in Sareptam*, in Hebræo habetur uſque *in Seraphat*, id eſt uſque *in Franciam*, ut dicit Rabbi Salomon. Et ſecundum hæc exponitur quod dicitur hîc, *Et tranſmigratio exercitus hujus*, id eſt, collectionis fidelium in Judæa exiſtentium, qui erant exercitus fortis contra Diabolum & perſecutionem infidelium, qui hîc Chananæi nominantur, procedentes uſque in Franciam, ſcilicet ſanctus Savinianus qui fuit de 72 diſcipulis unus, & convertit ad fidem civitatem Senonenſem, quæ tunc erat Metropolis in tota Francia, & civitas aurea vocabatur; & poſt civitatis converſionem, eam Domino dedicavit, faciens cruces in muro civitatis cum pollice, cui cedebat lapis ſicut cera mollis: & adhuc apparent in pluribus locis, ſicut ego vidi, qui hæc ſcripſi, & ſocii ſancti Saviniani alias civitates Franciæ plures ad fidem converterunt, ut ex Actis eorum habetur.] Hæc homo gente Neuſtrius, cui libera à patriæ fuco ſola placuit ve-

Digitized by Google

ritas Senonenſis, quam integram deprehendit in Actis de quibus hîc ſermo. Pari ſuffragio conſenſere quotquot de rebus Senonicis ſcripſere, ut Odorannus, de quo ſupra, partim editus partim MS, Clarius, Gaufridus Hyron, Gaufridus alter jam citatus, Tavellus editus, Coquinus MS, Buretellus, Cotronius etiam manuſcripti, & quorum omnium partim autographa partim apographa hîc habemus.

Nondum de his Actis ſententiam lectoris rogamus, donec ad objecta Launoii abunde ſit factum ſatis capite tertio, quod in plures etiam ſectiones ſeu paragraphos dividemus.

§. III.

Probatur idem ex Actis martyrii SS. Sanctiani, Columbæ & Beatæ.

CErtum eſt hæc Acta paris cum prioribus antiquitatis non eſſe, & conſcripta fuiſſe B. Germano Antiſſidiorenſi Epiſcopo jam ab humanis erepto, aut (quod æquius opinari licet) adjectum fuiſſe quod de capite Priſci martyris ab eodem Antiſtite reperto legitur. Quod reliquum eſt germanam ſpirat vetuſtatem, & cum plurium Eccleſiarum traditionibus, de quibus illic ſermo, probè cohærens. Omnes quos ſuperiori §. recenſuimus Chronographos Senonenſes, & vetuſtiores membranas noſtras, Legendaria, Martyrologia & ſacra Dipthyca ſeu tabulas chorales, quæ poſt tot conflagrationes nondum in cineres abierunt, in hæc Acta collimaſſe perſpicuum eſt.

Sanctianus & Beata ejus ſoror, necnon ſanctiſſima virgo Columba, conſanguinei erant & Hiſpani genere, qui Senonas ſimul venientes ad ſepulchra martyrum, extrema pro fide paſſi ſunt ſub Aureliano Imperatore, anno reparatæ ſalutis 274 aut præcedenti. Acta Columbæ omnium gentium linguis & majorum ſcriptis celeberrimæ cœlitis, olim legi in Tabulario ſui Monaſterii prope Senonas (in quo requieſcit in argenteo feretro, ab Eligio Noviomenſi Epiſcopo egregie cuſo) & in codice Cotroniano, & alibi, in quibus expreſſum habes quod frequens beatorum martyrum Memorias viſebat. Verum cùm Sanctianus & Beata jam Saviniano propius hæreant, & in eodem ſancti Petri Vivi Sacrario ab anno Chriſti 876 glorioſe conquieſcant, quo eorum ſacra corpora è ſuburbana Metropolitanæ

Digitized by Google

civitatis villa, à Sanctiani nomine olim nuncupata, tranſlata fuere ab Anſegiſo Galliarum primate, tunc temporis inſtituto, qui ſanctos iſtos mirifice coluit, præſtat ut eorum Actis potius quàm Columbæ veritati ſuffragium conquiramus.

[Inſignis igitur Sanctianus martyr, ut jam prælibatum eſt, « ab Hiſpaniis ſe movens cum B. Auguſtino, & ſorore ſua Virgine Beata, & nobiliſſima æque virgine Columba aliiſque « pluribus, uſque Senonas, quæ eſt Galliarum Metropolis, « perveniens, aliquanto tempore cum præfatis virginibus inibi « commorans, martyrii palmam quam ſe evaſiſſe, ut humana « natura ſe habet, exiſtimabat, conſequi promeruit. Namque « avito tempore beatus princeps Apoſtolorum à Roma beatos « præſules Savinianum & Potentianum ad urbem Senonicam « dirigens, ut in Geſtis illorum paſſionis reperitur, eamdem « Metropolim martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt...... « Dum ergo venerandus Sanctianus cum ſociis loca ſanctorum « martyrum, orationibus inſiſtendo aſſidue frequentaret, & eorum Eccleſiarum limina tereret, perlatum eſt ad aures Aureliani pervicaciſſimi Cæſaris, quod ii qui talibus operibus ſe « exercerent, eſſent Chriſtiani, &c.] «

Verùm ne quis in hæc Acta germanæ fidei novus inquiſitor (præter Diſſertatorem) inſurgat, eo quod apud Clarium mox citandum, quem in lucem edi curavimus, dicatur de ſancto Auguſtino, quem pariter cæſum cum Sanctiano & Beata teſtantur hæc Acta, quod ex quorumdam antiquorum relatione fuerit Archiepiſcopus Trevirenſis [*Narrant etiam*, inquit Clarius, *antiqui de iſto ſancto Auguſtino quod fuerit Archiepiſcopus Trevirenſis, orationiſque cauſa ad ſanctum Martinum devenerit & feſſus à labore, hoſpitandi gratiâ in illa villa Sanceia forte obierit, ſepultuſque juxta tumulum Sanctiani Martyris.*] Obſervandum iſta non à ſe ſed ex popularium ſenſu dixiſſe Clarium, & poſt eum Robertum Antiſſiodorenſem, qui ſchedis ejus jugiter adhæſit. Conſtans eſt enim codicum omnium fides, & traditio Senonenſis, Auguſtinum iſtum martyrem fuiſſe & ſocium Sanctiani gentilis ſui. Sic ſentit doctiſſimus Odorannus, quem omnium Hiſtoricorum Senonenſium ut antiquiorem, ſic veritatis anteſignanum nominavimus ſupra, qui referens dicti martyris tranſlationem corporis ad ſanctum Petrum Vivum, hæc habet in Chronico [*Hujus temporibus corpora ſanctorum martyrum San-*

Digitized by Google

ctiani atque Auguſtini de villa quæ dicitur Sanceias à fratribus jam dicti loci & Presbytero ejuſdem nomine Eodaldo, tranſlata in eodem Monaſterio VIII. cal. Julii.] Non aliter ipſe Robertus pag. 70
„ ſui Chronici, qui tamen popularem opinionem reticere noluit:
„ Tranſtulit & prædictus pontifex Anſegiſus corpus B. martyris
„ Sanctiani de villa, quæ ex ejus nomine Sanceia vocatur, cum
„ corporibus Auguſtini martyris, & Beatæ virginis, prædicti
„ Sanctiani ſororis, quos omnes in Baſilicam ſancti Petri con-
„ digne recondidit. Feruntur autem iidem martyres Sanctia-
„ nus & ejus ſoror Beata fuiſſe conſanguinei ſanctæ Columbæ
„ martyris, & ob amorem ejus à partibus Hiſpaniæ cum aliis
„ pluribus adveniſſe, & apud Senones Aureliani Imperatoris
„ juſſu martyrium pertuliſſe. De ſancto verò Auguſtino fertur
„ quod fuerit Archiepiſcopus Treveris, orationiſque cauſa ad
„ ſanctum Martinum devenerit, & itineri labore confectus,
„ hoſpitandi gratia in villam Sanceiam diverterit, ibique æ-
„ grotans diem extremum clauſit, ſepultuſque eſt juxta tumu-
„ lum martyris Sanctiani.] Clarius autem, à quo Monachus Antiſſiodorenſis mutuatus eſt tam quæ vera ſunt, quam quæ vulgi ferebat commentum, hæc ſcribit pag. 66 & 67 anti-
„ quioris codicis. [Videns itaque Domnus Anſegiſus Archie-
„ piſcopus ita deſtrui circumquaque Eccleſias pretioſum Chri-
„ ſti martyrem Sanctianum tranſtulit de villa, quæ ex ejus no-
„ mine Sanceia vocatur, in Baſilicam ſancti Petri cum corpore
„ ſancti Auguſtini martyris, qui ibi quieſcebat Eodaulo ipſius
„ villæ Preſbytero. Tranſtulit etiam idem ſubſequenti tem-
„ pore corpus ſanctæ Beatæ virginis in eadem Eccleſia, & po-
„ ſuit in locello juxta fratrem ſuum ſanctum Sanctianum.] Sequuntur duæ pericopes jam ſupra recenſitæ in allegatione Roberti ſancti Mariani Monachi: prima de eorum propinquitate ſanguinis cum B. Columba, & eorum martyrio ſub Aureliano. Altera de ſancto Auguſtino, ſecundum vulgi exiſtimationem, præſule Trevirenſi, quam non ſequitur, nec Eccleſia Senonenſis in ſuis ſacris Tabulis & Breviario cùm antiquo, tum nuperæ recognitionis anni 1641. Nullus item in Elencho Trevir. Antiſtitum occurrit Auguſtinus qui huic fabellæ ſuccurrere poſſit, quam aut neſcivit Odorannus, aut ſapienter ſuppreſſit.

His pro tuenda Actorum fide neceſſario præmiſſis, ex illis contra doctiſſimum Diſſertatorem Launoium arguimus certum eſſe

Digitized by Google

eſſe quod ſanctus Savinianus à B. Petro directus fuerit in Gallias fidei prædicator ; quòd jam ſopitis ad tempus gentilium iris, nec ſævientibus Cæſarum edictis, Deo in ejus & ſociorum honorem constructæ fuerint Eccleſiæ ; & quod tam illuſtris fuerit meritorum hujus pontificis fama, & ſignorum magnificentia, quæ jugiter fiebant ad ejus Titulum, ſicuti Acta teſtantur, ut nihil eorum lateret exteras nationes ; quibus exciti nobiliores Hiſpani ad ejus tumulum venerationis cauſâ, aut fidei ſuæ præſidium quæſituri, convolarent. At ſi primi fidei præcones in Gallia fuerunt illi ſeptem præſules, quos Gregorius Turonenſis ſub Decio miſſos nobis exhibet, ſolo vadimonio fretus Actorum Saturnini Tholoſani præſulis & martyris, ita ut nullus eos ætate præceſſerit in Gallia verbi Domini prodromus ; quo ſuppoſito, non numerentur inter primos à Petro & Clemente miſſos, contra communem ſententiam ; quî fieri potuit ut Savinianus, ſi ſub Decio tantùm occubuit, immo (quod majorem moram exigit) tantùm ſub eo miſſus ſit poſt annum 253 ; intrà paucos annos qui ab eo ad Aurelianum uſque putantur, publica apotheoſi, votivis honoribus, peregrinationibus fidelium exterorum, Titulo ſub ejus invocatione constructo, ceteroque cultu qui longiores Chriſtianæ pacis inducias poſcebat, ſe viderit inſignitum ? Præſertim cùm intra illud viginti aut circiter annorum ſpatium, quod à Decio ad Aurelianum excurrit, non minus atrociter in Chriſtianos ſævitum fuerit ſub Valeriano & Gallieno octavæ perſecutionis generalis auctoribus. Quare ſtandum videtur Veterum placitis, & fidei Chronicorum noſtrorum, quæ conſentanea docent cum traditioni noſtratium, tum Actibus ſancti Saviniani jam à nobis expenſis, & infra copioſius probandis, in quibus præter Eccleſiam Chriſto Domino ſub titulo ſancti Salvatoris poſitam à Saviniano, alteram ſub invocatione B. Apoſtolorum Petri & Pauli in Cryptis Vivianis ab eodem ædificatam, & tres alias ſibi contiguas in urbis umbilico, & forſan ſub eodem tecto, in quibus tota poſtmodum coivit templi majoris amplitudo & ſedis honos. De ſacello peculiari ſancti Serotini primi Levitæ Senonenſis & martyris, quod à parentibus ejus ſplendore generis, & opum affluentia inter primarios Senonenſes conſpicuis erectum ſub ejus nomine ſanctus Potentianus ſacravit, ſic habent eadem Acta ſancti Saviniani : [Cumque jam pene poſt veneranda certamina beati Pontifi- «
cis Saviniani volveretur annus, & jam memoratus Chriſti- «

Digitized by Google

» Levita Serotinus ab incœpti operis non ceſſaret labore, & hæc
» fama ad aures ducis *Severi* pervolaſſet, ſtatim miſit arma-
» tos milites ad ſepulchra martyrum in ſuburbio civitatis; oc-
» culte autem propter metum paganorum, quoniam magnæ no-
» bilitatis & excellentiæ vir erat, & illuc eum crebrius cauſa
» orationis advenire ſciebat. Venientes verò ad eumdem locum
» maxima cum cautela, invenerunt eum peragentem excubias
» vigiliarum. Quem unanimiter comprehendentes tamdiu for-
» titer fuſtibus mactaverunt, uſquequo exhalaret ſpiritum. Cu-
» jus corpus exanime relinquentes ad proprii præſidii tutamina
» confugerunt. Quod audiens beatus pontifex Potentianus unà
» cum aliis diſcipulis Altino & Eodaldo tulerunt corpus ejus
» & in eodem cœmiterio ubi memoriter quieſcebat illorum præ-
» deceſſor, tumulaverunt illud maxima cum reverentia. Ve-
» nientes autem & urbis nobiles viri, qui fuerant ejus parentes
» & propinqui, conſtruxerunt mirifico opere Baſilicam ſuper
» eum pulchræ ædificationis, quam beatus pontifex Potentianus
» poſtmodum Eccleſiam conſecravit in memoriam martyris.
» Multi autem infidelium, qui per prædicationem & virtutes
» B. Serotini martyris in Chriſtum crediderant, ad tantorum
» martyrum ſepulchra aſſidue reddebant excubias vigiliarum.
» Multorum infirmantium, claudorum, aridorum ægritudines,
» illorum meritis Chriſti refovebat clementia, in tantum ut
» jam ipſa infidelium turba ob timorem Dei, & virtutum eorum
» crebra indicia, honoraret illorum ſancta ſepulchra.]

Gaufridus à Collone fol. 21 Chronici MS. paucis eadem perſtringit: *B. tunc Potentianus ſecundus Archiepiſcopus Senonenſis hunc*, Serotinum, *in eodem cœmiterio ſepelivit; & parentes ipſius martyris turrim ſuper ſepulchrum conſtruxerunt, quam poſtmodum ſanctus Potentianus Eccleſiam conſecravit, quæ poſtea à Vandalis & paganis deſtructa fuit, & ideo corpus martyris ſeptimo calendas Aprilis fuit tranſlatum in Monaſterium ſancti Petri Vivi, &c.*

Ex his non otioſè poſſit inferri, & ex ingenita Senonibus religione credi peculiares etiam memorias ſanctis Saviniano & Potentiano fuiſſe conſtructas ſecundum morem enaſcentis Eccleſiæ; quæ tamen, ut Baſilica prima Serotini, vel bellorum cladibus attritæ fuerint, aut certe tempori ceſſerint; nam *mors etiam ſaxis, marmoribuſque venit.*

Et ſi conferre lubeat Actus ſancti Saviniani cum Actibus SS. Sanctiani, Columbæ & Beatæ, qui mutuo veri præſidio ſibi ſuf-

Digitized by Google

fragantur, vix aliud colligi poſſe videtur ex his verbis: *Dum ergo venerandus Sanctianus cum ſociis loca SS. martyrum orationibus inſiſtendo aſſidue frequentaret, & eorum Eccleſiarum limina tereret;* quàm illis primis Senonum Antiſtibus ſpeciales titulos pridem erectos fuiſſe, ad quos martyrum illic quieſcentium patrocinio tutos & inſignes jugis fieret fidelium concurſus: & quibus erigendis commoda fuerint extrema Trajani tempora, pacem Plinio ſuadente, & tota ferme ætas Hadriani, qui 21. annis rerum potitus eſt, ut ſcribit Paulus Oroſius cap. 8. lib. ſeptimi Hiſtoriarum: [Trajanus, ut quidam ferunt, apud Seleuciam « Iſauriæ urbem profluvio ventris extinctus eſt anno ab Urbe « condita 867. Hadrianus conſobrinæ Trajani filius, 14. ab « Auguſto principatum adeptus uno & 20. annis imperavit. « Hic per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem A- « thenienſem, virum fide & ſapientia plenum, & per Serenum « Granium legatum libris de Chriſtiana Religione compoſitis « inſtructus atque eruditus præcepit per epiſtolam ad Minucium « Fundanum proconſulem Aſiæ datam, ut nemini liceret Chri- « ſtianos ſine objectu criminis & probatione damnare. Idem « quoque continuò Pater Patriæ in Senatu ultrà morem majo- « rum appellatur, & uxor ejus Auguſta. Hadrianus Rempubli- « cam juſtiſſimis legibus ordinavit .... ultuſque eſt Chri- « ſtianos quos illi, *Judæi*, Cotheba duce, quòd ſibi adverſus « Romanos non adſentarentur, excruciabant; præcepitque ne « cui Judæo introeundi in Jeroſolymam eſſet licentia; Chri- « ſtianis tantùm civitate permiſſa, &c.] Hujus auctoris, ma- « gni in Eccleſia nominis, ſenſum ſequitur doctiſſimus Hugo Menardus contra Severum Sulpitium agens pagg. 9 & 10 ſuæ Diatribæ.

Non ſum neſcius E. C. Baronium & plures alios inſigniter doctos ſecus ſenſiſſe, nec ab illis diſſentio, plures ſub Hadriano principe martyres occubuiſſe, quorum agones ſacri recenſentur in faſtis Eccleſiæ. Nec me latet etiam quoſdam è recentioribus, qui de decem perſecutionibus ſcripſere, tertiam, quæ Trajani nomine inſcribitur, Hadriano feciſſe communem; ſed certum eſt nullius edicti feralis incuſatum fuiſſe, nullaque lege publica contra Chriſtianos ſæviiſſe, & quæ martyrum ſui temporis certamina ſcimus, privatis gentilium odiis, aut prioribus Trajani decretis (cujus memoriæ ſtudebat impenſius) nondum plene reſciſſis contigiſſe. Non diffitetur ipſe Baronius ad an-

Digitized by Google

„ num Chriſti 120 n. 3. [At licet nullum in Chriſtianos edi-
„ ctum ab Hadriano promulgatum appareat, quod & teſtatur
„ Tertullianus; tamen (quod aliàs dictum eſt) ſatis erant anti-
„ qua jura Romanorum, quibus nova & peregrina vetabatur
„ Religio, ut quilibet magiſtratus in eoſdem poſſet lege agere,
„ quod & faciendum eſſe vetus Trajani exemplum non tan-
„ tum admonebat, ſed propemodum compellebat, &c.] Hæc ſcriptor clariſſimus qui Cæſaris hujus infenſum in noſtros animum, quaſi ſua ſponte ſæviſſet, innuere videtur, contra fidem Oroſii, & ipſius etiam cui adhærere debuerat, Euſebii qui lib. 3 Eccleſ. Hiſt. cap. 33 mitiora ſcribit; primùm de Trajano qui
„ Plinio ſecundo reſcribens, edixit, [Chriſtianos quidem re-
„ quirendos non eſſe, oblatos vero puniri oportere. Quo facto,
„ perſecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat,
„ reſtinctum quidem aliqua ex parte videbatur; iis tamen qui
„ nos maligne & fraudulenter aggredi vellent, non minus op-
„ portunum ſuppetebat, &c.] Hæc Euſebius & quæ proſequitur ex Tertulliano in Apologetico, qui tamen manſuetudinem illam Imperatoris ſugillat, quaſi quorumdam præſidum & populorum vexationibus in Chriſtianos, quorum Religioni minus quàm facultatibus tunc inhiabant, connivere videretur. Hæc eadem perhibet Quadratus in libello defenſionis quem Hadriano Cæſari nuncupatum reliquit, non eum, ſed quoſdam malevolos homines in martyres privatis odiis inſurgentes perſtringens, ut ſcribit Euſebius cap. 3 libri 4 Hiſtor. Conſentit Juſtinus in Apolog. ad Imperat. Antoninum.

Verùm ſibi ipſe ſuffragetur Hadrianus, ex cujus & Antonini filii duabus epiſtolis ab eodem Euſebio relatis lib. 4. jam citato, cap. 9 & 13 hæc decerpo. In priori ſcribens ad Minutium
„ Fundanum, ut jam prælibavimus ex Oroſio: [Nec ſane, *inquit*,
„ mihi videtur res iſta abſque diligenti inquiſitione prætereun-
„ da, ne forte & Chriſtiani homines turbentur, & delatoribus
„ calumniandi occaſio præbeatur ...... Quod ſi quis eos de-
„ tulerit probaveritque contra leges quidquam agere, tu pro
„ gravitate delicti in eos ſtatue. Sin me hercule calumniæ cau-
„ ſa iſtud intenderit, operam dabis, ut pro gravitate criminis in
„ illum animadvertas.] Nec mens fuit Hadriano (quod contra Baronium eſſe videtur) ut inter illa crimina pro quibus cauſam dicere juberetur Chriſtianus, accenſeri deberet profeſſio Chriſtianæ Religionis, ut peregrinæ & per Romanorum jura

Digitized by Google

vetatæ, quod in odium Hadriani, quaſi cædium auctor fuerit, ſcribit Baronius à me laudatus: ſic enim ab ea calumnia ſibi cavet Imperator Antoninus & Hadriano patri ſuo, ſcribens pro Chriſtianis ad Commune Aſiæ.

[De his hominibus *Chriſtianis* plurimi provinciarum Re « ctores Divo patri noſtro antea ſcripſerunt, quibus ille reſ- « cripſit ejuſmodi homines nullo modo afficiendos eſſe, niſi for- « te contra ſtatum Imperii Romani aliquid moliri viderentur. « Sed & multi ad me de illis retulerunt, quibus ego patris mei » conſtitutionem ſecutus reſpondi. Quod ſi quis adhuc pergit » cuiquam illorum negotium faceſſere ex eo quod Chriſtianus « ſit, delatus quidem crimine abſolvatur, tametſi conſtet eum « revera Chriſtianum eſſe. Delator autem ipſe pœnas luat. Pro- « poſita, *conſtitutio illa*, in publico conventu Aſiæ. Hæc quidem ita geſta eſſe Melito Eccleſiæ Sardienſis Epiſcopus, qui iiſdem temporibus floruit, perſpicue teſtatur in Apologetico, &c. Legendus idem Euſebius cap. 26. ejuſd. libri, majora referens in hanc rem ex eodem Melitone. Nec ipſe Auguſtinus lib. 18 de Civit. c. 52, quem præſtat audire quàm Severum, ſingulas Eccleſiæ perſecutiones recenſens, & oſtendens non ad ſolas decem, quæ ex communi placito ſic numerabantur, reſtringendos eſſe ceteros Eccleſiarum agones, ullum inſcribit Hadriani nomine. Quin habemus ex Lampridio in Alexandro, ſic ſua ſponte propenſum fuiſſe in Chriſtianorum dogmata, ut Chriſto templum erigere, eum inter Deos recipere, templaque in omnibus civitatibus nulla ſimulachrorum ſuperſtitione fœdata conſtruere ſibi fuerit in votis: Chriſtianos etiam honore proſecutum fuiſſe, docet nos Xiphilinus in Antonino pio. Nec male Vives ad eumdem Auguſtini locum, *Hadrianus ex animo Chriſtianis favit, ſed occulte. Quin & molitum ferunt, ut Chriſtus pro Deo reciperetur, templaque in eum uſum erexiſſe.* Quod ſi templa pro Chriſtianorum ſynaxibus erigere mens illi fuit, vana non erit conjectura (qui ſcopus hujus diſputationis contra quemdam de clero Senonenſi ſecus opinantem) eis liberum tunc fuiſſe, ſi forte non prius, ut ſibi conſtruerent ipſi in honorem martyrum & ſuper eorum ſepulchra; quod de Saviniano, Potentiano, Serotino, &c. conſtans hactenus fuit Eccleſiæ Senonenſis traditio, veterrimis noſtris ſuſtentata membranis, & præſertim Actibus SS. Sanctiani, Columbæ & Beatæ de quibus hîc diſſerimus. Nec opponas contra ſuperius allegata martyrum cædes ſub Hadriano

Digitized by Google

(quem hîc defendere nullus intendo, ſed ſolum veritati ferre ſuppetias) & fœdatum ab eo ignominiis & equeſtri ſtatua templum Hieroſolymitanum. Certum eſt enim, quantùm ad hæc in Judæos probra, ut ex Oroſio mox dicebam, & ipſe conſentit Euſebius, non in Chriſtianæ profeſſionis odium, ſed in ultionem Judæorum contra Romanos acerrime debacchantium illa contigiſſe; quamvis inter illa dum tumultuario ſcelere ſævitum fuit, nonnihil diſpendii paſſa ſint quædam loca ſancta & Chriſtianorum potiſſima. Judæis enim extorribus factis, ut ne quidem in ſanctam civitatem liceret illis proſpectus, ex Hadriani decreto Chriſtianis manſit liber ad illam acceſſus. Quantùm ad martyres neci traditos eo imperante, certum eſt ex præmiſſis non induſtriâ, nec fraude Cæſaris, ſed provincialium Præſidum, aut populorum tumultuariis odiis ſublatos fuiſſe, ut proinde neceſſarium ſibi fore duxerint Quadratus, Ariſtides, Juſtinus philoſophus, Melito Sardianus, &c. luculenter fidei cauſam perorare apud Imperatores, ne gentilibus eſſet impune, quod eis neſcientibus, in Chriſtianos furerent illi, neve prætextu Religionis, cujus amplius inſimulandi non erant, ſacrificulorum aut vulgi diræ contra eos prævalerent. Quod diſertis verbis expreſſum videas in Antonini, & Hadriani deceſſoris ejus Reſcriptis in favorem rei Chriſtianæ conceſſis.

His tam ubertim quàm utiliter præmiſſis, jure nullus damnaverit Acta Sanctiani, & Columbæ, quòd in eis mentio fiat Eccleſiarum, quæ ſuper martyrum Senonicorum ſepulchra longe ante Aureliani Cæſaris ætatem, ſub quo paſſi ſunt, conſtructæ fuerant, quaſi nullibi Chriſtianis liberum fuerit, priuſquam Conſtantinus Magnus rerum potiretur, Baſilicas excitare: quod contra quemdam de clero Senonenſi non infimæ notæ, falſi poſſem arguere, ſi tantillo ſubſidii hæc veritas indigeret. Unum ſat erit ex Euſebio referre rei demonſtrandæ commodum, eo præſertim quod primarium hujus Diſſertatoris argumentum de Miſſionum Apoſtolicarum antiquitate oppidò probat. Caput eſt
» 37 lib. 3. [Eadem tempeſtate floruit etiam Quadratus, qui cum
» Philippi filiabus prophetica gratia illuſtris fuiſſe memoratur.
» Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt, in-
» ter Apoſtolorum ſucceſſores principem obtinentes locum. Qui ut
» pote diſcipuli tantorum virorum, admirabiles plane, ac divi-
» ni, Eccleſiarum fundamenta, quæ variis in locis Apoſtoli
» prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt; prædicationem

Digitized by Google

Evangelii magis ac magis providentes, & ſalutaria Regni « cœleſtis ſemina per univerſum terrarum orbem latè ſpargen- « tes. Si quidem plerique ex illius temporis diſcipulis, quorum « animos ardentioris philoſophiæ deſiderio verbum Divinum « incenderat, Servatoris noſtri præceptum jam antea expleve- « rant, diviſis inter egentes facultatibus ſuis. Deinde relicta pa- « tria peregrè proficiſcentes, munus obibant Evangeliſtarum iis « qui fidei ſermonem nondum audiviſſent, Chriſtum prædicare, « & ſacrorum Evangeliorum libros tradere ambitioſe ſatagen- « tes. Hi poſtquam in remotis quibuſdam ac barbaris regioni- « bus fundamenta fidei jecerant, alioſque paſtores conſtitue- « rant, & novellæ plantationis eiſdem commiſerant, eo conten- « ti ad alias regiones, comitante Dei gratia ac virtute prope- « rabant, &c.] Et cap. 17. lib. 8. loquens de Maximiano Im- « peratore, metu mortis ad mitiora converſo, & Baſilicas Chri- ſtianorum, dum atrocius omnia ſævirent, everſas reſtitui edi- cente, earum antiquitatem vix dilucidius oſtendere poſſet. [Convocatis deinde palatii ſui proceribus, abſque ulla dila- « tione perſecutionem Chriſtianorum cohibere eos jubet, & « Eccleſias illorum quantocius extruere Imperiali reſcripto præ- « cipit; quo Chriſtiani ſacra ſua ſolito more peragere poſſent, &c.] Sed quid ad ſolem facem accendimus. Certe Diocletiani tem- pore quadraginta Baſilicas Romæ viguiſſe nullus inficias ierit, qui Optatum legerit lib. 2, & Euſebium lib. 6 Hiſt. c. 43. Cor- nelius Pap. Romæ 46 extitiſſe ſuo tempore teſtatur, ſcribens ad Fabium Antiochenſem Epiſc. triginta tribus aut circiter an- nis prius quàm imperaret Diocletianus, & dum immanis vi- geret Decii ſævities.

Nec ſe cordatum virum exhibet Adverſarius (Clericum dico Senonenſem, non Diſſertatorem Launoium) cùm reſpondet Eccleſias illas non alias fuiſſe, quàm Spelæa furtim defoſſa, aut Cryptas martyrum curioſis Gentilium oculis non facile per- vias. Certum eſt enim cum ex noſtris, tum ex profanis Aucto- ribus Baſilicas plures Chriſtianorum quæ tunc temporis ſyna- xibus agendis uſui erant, aut quæ ſuper ſepulchra martyrum eminebant, eminus conſpicuas fuiſſe, aut amplioribus diductas ſpatiis, quàm ſubterraneæ ſpecus ſoleant circumſcribi. Illud potiſſimùm evincit, quod habet Euſebius c. 1 lib. 8 Hiſt. lo- quens de his quæ præceſſerunt æram Diocletiani. [Jam verò « quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Chriſti con- «

Digitized by Google

„ fugientium turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis „ urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris „ cumulate poſſit deſcribere? Quo factum eſt ut priſcis ædifi„ ciis jam non contenti, in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis „ fundamentis extruerent Eccleſias. Atque hæc progreſſu tem„ poris increſcentia, & quotidie in majus ac melius proficientia, „ nec livor ullus atterere, nec malignitas dæmonis faſcinare, „ nec hominum inſidiæ prohibere umquam potuerunt, &c.]

Magis forſan arridebit Lampridii locus in Alexandro de Chriſtianis & Popinariis contendentibus de loco publico, in quo Baſilicam illi, iſti popinam erigerent: prioribus Cæſar indulſit hoc celebri effato: *Cùm Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra Popinarii dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit* Imperator *melius eſſe ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis dedatur.* Lucem affundet Doctori nupero locus alter apud Flavium Vopiſcum ſub Valeriano Imperatore, cui 26 aut circiter annis ſubpar fuit Diocletianus. Dic amabo, num furtiva tum fuerint Chriſtianorum collegia, num templa Solem averſantia, ſacra humi defixa? Et ſi placeat Tertullianicum iſtud, *frugi* quidem *Religio, ſed jam non pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, nec temeraria de ceſpite altaria, &c.* Dixerat enim idem adverſus Valentinianos cap. 3 (ex recenſione Rigaltii) alludens ad formam & ſitum Baſilicarum noſtrarum: *Noſtra columba etiam domus ſimplex, in editis ſemper & apertis, & ad lucem.* Senonenſi noſtro lapis offenſionis fuit Minutius Felix in his ſibi à Cæcilio objectis: *Cur nullas aras habent,* Chriſtiani, *templa nulla, nulla nota ſimulachra, numquam palam loqui, numquam libere congregari?* Quæ ſuo tempore vera fuiſſe, quantum ad publicos conventus, cùm in Chriſtianos cæde & incendiis cuncta ferverent nullus ambigo: ſed extinctis Nerone & Domitiano, ſub quo figimus æram inaugurationis Eccleſiæ Senonenſis, Saviniani ſanguine Chriſto dicatæ, & pacatis tantiſper rebus, nemini dubium ex citatis ſuperius Imperatorum Edictis, è latebris Cryptiſque Chriſtianos emerſiſſe, in quibus pro reverentia ſacrorum ſuorum, & ſui tutela tegi fas erat, & Eccleſias variæ ſtructuræ ſeu Baſilicas nemini non notas ſuis uſibus publicis erexiſſe. Quibus conſentit ipſe Diſſertator §. 16. Diſſert. 2. *Fuit in more poſitum, ut jam notavimus, inſtitutoque veterum Chriſtianorum, ut Apoſtolis ſuis, ſi modo confeſſione vel martyrio illuſtres fuerint, Baſilicas dedicarent.* Quod de Se-

nonibus

nonibus nulla prorſus ambigendi ratio ſuppetit, cùm præter Acta SS. Sanctiani & Columbæ hîc jam plus æquo diſputata (ut Clerico illi Senonenſi ſcrupuloſius cuncta rimanti fieret ſatis) in quibus Eccleſiarum fit mentio, quas ad pretioſa Saviniani, & ſociorum ejus morticinia pridem poſitas, Sanctianus & Columba, jugi pervigilio celebrabant; jam vidimus ex aliis Actis S. Serotini, nulla critices ſcrupuloſitate damnatis, quod *urbis nobiles viri, qui fuerant ejus* Serotini *parentes & propinqui, conſtruxerunt mirifico opere Baſilicam ſuper eum, pulchræ ædificationis, quam B. Pontifex Potentianus poſtmodum Eccleſiam conſecravit in memoriam martyris, &c.* Cujus Titulum, ſeu Baſilicam in modum turris erectam fuiſſe, docet nos Gaufridus à Collone pag. 21 Chronicorum ſuorum, his verbis ſuperiùs recenſitis [*Et parentes ipſius martyris turrim ſuper ſepulturam conſtruxerunt, quam poſtmodum S. Potentianus Eccleſiam conſecravit: quæ poſteà à Vandalis & paganis deſtructa fuit. Et ideo corpus martyris VII. calend. Aprilis fuit tranſlatum in monaſterium ſancti Petri Vivi, & poſitum ſub altari in honore ipſius & ſancti Vincentii dedicato; ubi multa divina operationes per S. Serotini merita fuiſſe facta multoties dignoſcuntur, prout inferius declarabo.*] Eadem de turri ſcribunt alii. Sed bellorum cladibus everſâ, ſupereminebat, alia ſepulchrum martyris ambiens, & in altum ambitiosè porrecta in Cryptis S. Petri Vivi, cum primùm Serotini corpus ad eas tranſlatum: quam (ex Odoranno celeberrimo ſcriptore) à Normannis, ut ita ſcribit, funditus everſam circa tempora Anſegiſi, qui Senonis ſedebat anno 876, alia paris formæ & altitudinis, ne quid venerandæ vetuſtati & avitæ devotioni detraheretur, ibidem reſtituta fuit ante annum 938, quæ machinis iterum & incendio tentata ut peſſum iret, integra ſtetit; quamvis cetera Monaſterii, & ſuburbana flammis perirent, & ſtat adhuc ad hanc uſque diem mirabili ſitu, propter ſepulchrum ſanctiſſimi Levitæ, virtute febricitantibus notâ, Senonis celeberrimum. In hujus verticem turris, ſeu baſilicæ turritæ (ſi nomini parcas) erigendus erat novi Doctoris animus, ne diutius hæreat humi defixus in Cryptis primorum martyrum, putetque memorias eorum nullis elatas faſtigiis, & cacuminatim patuiſſe ante tempora Conſtantini magni: & proinde damnanda litteratorum anathemate martyrum Senonenſium Acta, licet pura labis, quod in eis mentio fiat *Eccleſiarum*, quam nomenclaturam vitium retur, & quid interpolatum, ſi per illas ſacram ædem intelligas apice & ſtructurâ eminentem; eâ ductus opinione ſu-

Digitized by Google

perius indicatâ, quod per tria prima æræ Chriſtianæ ſæcula non fierent alibi ſynaxes, quàm in cameratis ſcrobibus, ad quos per ſinuoſos anfractus & humi mæandros ſolùm pateret acceſſus; aut nonnumquam in ſecretioribus domorum adytis; quod univerſim falſiſſimum eſſe nemo non dixerit. His de martyrum memoriis in ſublime jam tumulatis, & præſertim de ſacello Serotini in modum turris aſſurgente, nolim adverſari iis quæ tam erudite quàm ingenue obſervavit vir clariſſimus, & ubique litterarum celeberrimus Had. Valeſius in defenſ. diſceptationis ſuæ de Baſilicis pag. 155. & ſeq. de turrito ſepulchro Dionyſio Pariſienſi pariter erecto: legendus Greg. Turon. lib. 1. de Mirac. ca. p. 72 & Colvenerius in ſcholiis ad hiſt. Flodoard. pag. 757.

Superfluum videretur Actis SS. Sanctiani & Beatæ hîc adtexere, quæ de Colomba virgine teſtantur ejuſdem ſanctiſſimæ martyris Acta in vetuſtiſſimo Codice monaſterii ſui nominis prope Senonas, cùm ibidem pariter dicatur, quod martyrum Eccleſias frequens Senonis viſeret, donec Aureliani Cæſaris nuptias reſpuens, nobili ſui ſanguinis encænio virginitati ſuæ ſimul & fidei trophæum erexit. Ex quibus omnibus integra maneat fides Actorum ſancti Saviniani, & ejus ſub Petro in Gallias Apoſtolatus.

§. IV.

Idem Probatur ex inſtrumento fundationis monaſterii ſancti Petri Vivi Senonenſis.

QUibus Diſſertator ſuâ novitate præivit, non diſplicebit ætas hujus argumenti & Merovingicæ ſtirpis monumentum, quod 300 circiter annis ætatem ſuperat imperii Caroli magni, poſt cujus æram nullas ſinceræ fidei chartas admittit Launoius. Inſignis eſt Charta fundationis monaſterii ſancti Petri Vivi, cujus autographum extabat adhuc in eodem monaſterio anno 1620; ſed cauſa forenſium negotiorum Pariſios tranſlatum, hactenus hæſit in illuſtriſſima domo D. de Meſmes. Illud Diploma plures referunt, præſertim Renatus Choppin lib. 1. Monaſt. titul. 3. n. 19. Rapinæus in Chronico, Buretellus Senonenſis Cœleſtinus, Antonius Yepez Abbas Valliſolet. in Chronicis generalibus Ord. ſancti Benedicti, Victor Cotronius in Chronico Senonico pag. 138. Blaſius Jodriſlat vir integerrimæ fidei, probitatis eximiæ, & eruditionis ſingularis, Baillivus ſeu judex prætor dicti cœnobii Viviani, qui tranſſumptum illius Diplomatis ad fidem originalis ſibi exhibiti juridicè fieri juſſit; vir doctiſſimus Cointius tomo 2 Annal. ad annum 564 hoc privi-

Digitized by Google

legium etiam refert ferè ex integro: ſed cùm ei nuſquam pervia fuerit originalis lectio, ſed inciderit in quædam tranſſumpta, Amanuenſium incuriâ vel inſcitiâ fœde corrupta, & interpolata, (quæ labes alios pariter infecit) ſibi plurimùm complacuit repeririſſe menda, præſertim in data Diplomatis, quæ vitium ejus præ ſe ferant, aut fidem dubiam relinquant. Verùm quàm iniquè, videbitur infrà. Taceo clariſſimos viros ſuoque nomine celeberrimos Sanmarthanos fratres, & alios quoſdam non ignobilis famæ, quibus ſimilia interpolatorum aſſutamenta nauſeam pepe-rere, & amplam Monachos inſimulandi materiam, tamquam de conficto ab ipſis primario ſuæ fundationis titulo.

Stante ſincerâ Diplomatis fide, quam integram ſumus aſſerturi, validum profert in cauſa Saviniani momentum, cùm in eo dicat Chlodovæus primus Francorum rex Chriſtianiſſimus, qui privilegium illud dedit & ſubſignavit anno quingenteſimo ſeptimo, menſe Octobri, (uti colligitur ex Indictione prima in eo diſertè notata, quæ à 24 menſis Septembris proximè præcedentis incipiebat) quod *ab antiquis temporibus* erant conſtructæ Senonis Eccleſiæ in honorem ſancti Saviniani & ſociorum martyrum, in quarum cœmitiriis plures quieſcebant Senonum Antiſtites, quos inter quidam recenſentur, ſed minus benè perpenſo ab Amanuenſi ſedentium præſulum ordine; quem turbatum fuiſſe certius evincunt Acta concilii Colonienſis in cauſa Euphratis anno 346 celebrati, cui Severinus Senonum antiſtes interfuit, & quem recentiores Tabulæ chronologicæ ad amuſſim exactæ perhibent fuiſſe nonum aut decimum inter præſules Senonenſes. Mirum tamen videri poſſet quod Sanmarthani & ipſe Tavellus in recenſendis Senonum Antiſtibus ſeriem non mutarint, quam exhibet ipſum Diploma Chlodovæi, cui forſan ceu primariæ quam habemus Præſulum illorum notitiæ ſtandum eſſe cenſuerunt, cum veteribus etiam indicibus noſtris, quaſi poſthabita, aut certè diſſimulata Chronologiæ veritate; cui tamen cautum eſſe voluit Tavellus hoc effato pag. 7 & ſeq. quo ſeipſum & alios Diplomati propitios correxiſſe videtur, nec malè: [Hîc « ſubſiſtere lubet, & fateri multos fuiſſe in Chronographia erro- « res, & ideò pleraque obſcura & incerta eſſe in Hiſtoria. Non « enim ſæpius conveniunt anni Conſulum Romanorum cum an- « nis Chriſti, alii à Chriſto nato, alii à Chriſto paſſo numerant « annos. Notavimus Severinum Archiepiſcopum fuiſſe tempore « concilii Agrippinenſis, illudque concilium celebratum anno «

Digitized by Google

„ Chriſti 346 juxta Coſſ. deſignatorum tempus : Vrſicinum au-
„ tem à Conſtantino (Conſtantio) in exilium miſſum cum Hi-
„ lario anno 337 (melius 355) Itaque annorum ſeriem diligen-
„ ter obſervandam cenſemus , & cognoſcendam. Aut igitur Vr-
„ ſicini durante exilio Severinum Epiſcopum fuiſſe , aut poſte-
„ riorem Vrſicino fatendum eſt. Quamvis & in veterum Archie-
„ piſcoporum nomenclationibus , & antiquo qui Hiſtoriæ Odo-
„ ranni præfixus eſt cathalogo Severinus Vrſicinum anteeat ; in-
„ ter quos & quatuor ſunt interpoſiti , ſcilicet Audatus , Hera-
„ clius primus , Lunanus & Simplicius. Sed videtur factum illo-
„ rum inſcitiâ qui nomina Epiſcoporum collegerunt, quique abſ-
„ que judicio , neque conſiderato ſatis temporum ordine , prout
„ ad notitiam illorum venerunt , in cathalogum digeſſerunt. Meo
„ autem judicio potius ſtandum eſt his , quæ teſtimonio autho-
„ rum fulciuntur , cùm ſcilicet conſtat Actis publicis quo tem-
„ pore vixerint.] Hæc Tavellus ad ſaniora redux , niſi quod Vr-
ſicinum Severino poſtponere debuit. Huic veræ Chronologiæ conſentit Cotronius in Chronico , Claudius Robert in Gallia Chriſtiana , & qui facem illi prætulerunt , nonum aut decimum in ordine Severinum recenſentes.

Aliam inivit viam Petrus Coquinus , cui chartæ & ſcrinia capituli Senonenſis domuſque Archiepiſcopalis diu patuere , multis aliis inviſa. Videtur enim duos agnoviſſe Severinos , ſi certum ſit Severinum , quem in Elencho quartum habet , ſediſſe Anacleto & Evariſto Romanis Pontificibus , quorum prior cœpit anno Chriſti 101 ; alter deſiit 119. Hic enim ſcribit folio 6 mei co-
„ dicis [Sanctus Severinus 4 Senonenſis Archiep. defuncto Leon-
„ tio prædeceſſore ſuo Eccleſiam Senonenſem ſuſcepit regen-
„ dam anno Domini centeſimo tertio , regitque eam annis vigin-
„ ti ſex ...... Sepelitur cum patribus ſuis in cœmitirio B. Savi-
„ niani, in privilegio quodam, quod Chlodovæus primus Chriſtia-
„ norum Rex dedit monaſterio S. Petri Vivi ob reverentiam SS
„ martyrum , qui ibidem ſepulti ſunt] Nec potuit ſupprimere alium Severinum, qui in concilio Colonienſi ſedit anno 346. Vix genuinos iſtos Severinos reſpuit Claudius Robert , qui de illo nemini non noto ſuccenſet Demochari , qui quarto loco eum recenſuit : *Malè verò in ordine ponitur 4 à Demochare , niſi fuerint duo eiuſdem nominis temporibus diverſis.* In quam partem lector propendeat , vel de duobus Severinis , vel de unico , ſed ante Vrſicinum immediatè collocando , perinde eſt , nihilque decreſcit Chronologiæ noſtræ.

Digitized by Google

Sed ſi ſtandum eſt ordini à Chlodovæo in charta Viviana ſtatuto, ut reverà poſt Severinum numerandi veniant Audatus, Eraclius, Lunanus & Simplicius Senonum antiſtites; illeque Severinus idem ſit, qui citrà dubium omne ſedit in concilio Agrippinenſi anno 246: cùm aliunde certiſſimum ſit ſanctum Urſicinum exulem actum fuiſſe cum ſancto Hilario Pictavienſi anno 355; oporteret intra novennium ſex ſucceſſivè præſules Senonis ſediſſe. Immò cùm nullibi conſtet quo anno deſierit iſte Severinus, & incœperit Urſicinus; num poterit dici alterum alteri immediatè ſucceſſiſſe? Quo igitur tempore collocandi quatuor illi Pontifices intermedii? Ex quo rationabiliter inferas Severinum, qui in ſynodo Colonienſi legitur Senonenſis Epiſcopus, alium eſſe ab eo qui in Diplomate Chlodovæi ponitur ante Audatum: ſicque catalogo Senonenſium metropolitanorum nonus accreſcet pontifex, quo computato cum ſancto Polycarpo, qui à pluribus admittitur, undecim numerabuntur Præſules bene noti ante poſtrema fata Conſtantii Imperatoris, qui obiit 3. Novemb. anni 361 æræ Chriſtianæ.

Sic ſupputatis annis quibus ſinguli Præſules illi Senonis ſederunt (etiam nullâ mentione factâ, ſi velis, novi hujus Severini, ſeu antiquioris) uti numerantur in veteri Chronico Senonenſi (à quo alii) & apud Gaufridum à Collone, qui faſtos Senonenſes à Saviniano ad uſque Stephanum Bequard, ſeu ab anno R. S. 74 ad 1294 probè recenſuit, & apud Petrum Coquinum in Chronico MS. mihi dudum familiari, videas trecentos ad minus annos æræ Chriſtianæ ante Severinum, (qui nominatur in Diplomate) præceſſiſſe; maximè ſi Polycarpum numeres à quibuſdam omiſſum, ab aliis recenſitum. De quâ ſumma ſingulis Præſulibus illis à Chlodovæo memoratis partiuntur ſuæ ſedis annos tum membranæ Senonenſes, tum ipſe Coquinus, hoc computo, cujus nolim citrà ſcrupulum hîc me vadem dare.

Poſt Potentianum ſancti Saviniani ſucceſſorem, quem ſub Domitiano cæſum putant, cujus imperium cœpit anno Chriſti 81, & deſiit *96*.

Leontius ſedit annis 58.
Audatus annis 32.
Eraclius primus annis 40.
Lunanus, alias Lucianus, 38.
Simplicius annis 32.
Severinus annis 26.

Quibus 226 annis poſt cædem ſancti Potentiani tranſactis, ſi annos addas ſancti Polycarpi, quem ſub Aurelio Probo ſediſſe tradit Chronicon MS. anno circiter 279, & longius ante tempora Severini, quem nonum Senonis præſediſſe authores melioris notæ opinantur, vix hiatum ullum, aut interpontificium advertes, inter Savinianum & Severinum, ſuppoſitâ prioris epochâ ſub Domitiano paſſi, & alterius anno 346 Coloniæ de fide definientis. Et hinc peſſum ibit Gregorii Turonenſis ſententia, de qua diſputamus (ſi ſit genuinus tanti viri fœtus) quem nullos, ait Diſſertator, agnoſcere præſules Gallicanos ante ſeptem viros apud ipſum recenſitos, & Decianam æram, quæ medio ſæculo tertio cœpit. Nam cùm à Decio ad concilium Agrippinenſe citatum vix nonaginta quatuor fluxerint anni, ſi Savinianus miſſus non fuit in Gallias ante annum 252, quî fieri potuit, ut tanta fecerit & patrarit pro converſione Senonum, & vicinarum gentium, & ſtabilienda nobiliſſima ſede; & poſt ipſum ſeptem aut octo præſules ſederint (ut ex hoc Chlodovæi privilegio colligitur) intrà tàm breve temporis ſpatium, quod duo Pontifices facilè fuiſſent emenſi, eâ præſertim ætate quâ divini providentiâ Numinis, cum neceſſitatibus Eccleſiæ concurrebat, ut plurimum, prælatorum vita prolixior, ut ſapienter obſervavit Baronius in notis ad 9 Oct. Martyr. Romani?

Dices Severianam epocham quæ Marci Aurelii tempora complectitur, qui ab anno 161 ad 180 imperavit, totidem annis, ſive nonaginta Decianam excedere, intrà quam Savinianus mitti potuerit, ac etiam cædi. Illud dici poſſet, ſi alia non ſuccurrerent in contrarium argumenta. Sed tunc in ancipiti luderet Diſſertatoris animus, cui cùm nihil certum occurrat, quo citrà controverſiam figere poſſit determinatum tempus miſſionis Saviniani, nunc recurrit ad finitam Sulpitii epocham; quâ variis exploſâ machinis, mox indefinitam comminiſcitur; quâ iterum facili negotio repudiatâ, Decianam arripit tamquam homo jamjam naufragio periturus. Et quis amabo tremulum, nec ſibi conſtantem viæ ducem audeat ſequi?

Deinde gratis minueretur præſtitutus ab antiquis & recentioribus Chronologis cuique præſulum ſuprà nominatorum numerus annorum ſedis, anni videlicet 226: qui ſi integri maneant, eoſque numeres ab inchoato Aurelii principatu, ſummam colliges 388 annorum ab Incarnatione Domini, non computatis in ea annis SS. Saviniani, Potentiani, & Polycarpi, pro quibus ſi

Digitized by Google

viginti ad minus annos ſumas, quadringenteſimus octavus Chriſti annus erit poſtremus ſedis Severini, quem verior Chronologia nonum in ordine conſtituit inter præſules à Chlodovæo laudatos cum Saviniano & Potentiano, & cum Polycarpo (ſi ſit iſte aliis accerſendus) decimus erit.

Verum ſtare nequit hæc annorum diſtributio, ſi veterum placitis & eorum tabulis ſit habenda fides, qui ſcribunt Severinum 26 tantum annis infulatum fuiſſe; cùm tamen hic calculus ex Severi epocha, aut anno natali imperii Marci Aurelii confictus, ſexaginta duos ad minus Pontificatûs annos ei concedat, & forſitan plures ſi ante concilium Agrippinenſe forent numerandi.

Secundò ſequeretur ſanctum Urſicinum inter Senonum epiſcopos celebrem, & ſacris Eccleſiæ Romanæ Dypthicis notiſſimum, præſulem fictitium eſſe; quem tamen ejus Acta, codices omnes MSS, membranæ Senonenſes variæ ſenectutis, Gaufridus à Collone fol. 30. 33. & 35 poſt Odorannum integerrimum ſcriptorem, Buretellus, Tavellus, Coquinus, Breviarium Senon. nuperæ reformationis anni 1641, aliique complures ſcribunt exulaſſe in Oriente cum Hilario Pictavienſi, & aliis lectiſſimis Eccleſiæ Gallicanæ fidei pugilibus: in quod exilium acti ſunt anno Chriſti 355, & revocati 360, vergente ad mortem Conſtantio Cæſare. Quæ ſingula non ſatis comperta fuere quibuſdam ætatum peritis, qui Severinum Urſicino ſucceſſiſſe volunt.

Prætereà non minus exploditur illa Severi Sulpitii martyrum Gallicanorum geneſis, quàm Deciana, illo Senonenſium antiſtitum Necrologio, quod ex veterrimis bibliothecæ Vivianæ ſchedis erutum, ſed non ſine quibuſdam Chronologiæ mendis in uno aut altero præſulum, uſui fuit authoribus, qui Eccleſiæ Senonicæ faſtos conſcripſere, quibus recenſendis, quia ſunt editi, ſuperſedemus.

Hæc omnia mihi videntur argumentum palmare contra Diſſertatorem, & ſequaces ejus, ſi Charta hæc fundationis monaſterii ſancti Petri Vivi ſit genuinum antiquitatis monumentum. Indubitatum eſſe fœtum pietatis primi Francorum Chriſtianiſſimi Regis aſſerimus. Et ſi quibuſdam olim diſplicuit, nec etiamnum arridet, non eſt vitium originis, nec incuſanda primigeniæ labis; ſed aberrantis calami in apographis fœde corruptis, ad quæ novi critices ſtudioſi, non ad noſtrates & primarios fontes intenderunt. Ex ea longiùs excurrente depromimus ſolùm quæ ſtabiliendæ veritati magis conveniunt.

Digitized by Google

§. V.

Vindicatur à falſi ſuſpicione privilegium Chlodovæi primi, ſeu Charta fundationis monaſterio ſancti Petri Vivi conceſſa.

VAria currunt, ut jam præmonui, hujus Chartæ exemplaria, quorum adſcititii nævi mendacii larvam induxere. Cotronius vir integer vitæ, & emunctæ naris fruſtrà tentatis mediis, ut ſibi præſto eſſet ad horam autographum (quæ mihi gratia anxiè ſollicito pariter excidit) apographo illi peculiariter adhæſit, de quo ipſe proteſtatur in Chronico ſuo pag. 138, quod ejus manu ſcriptum penes me habeo; [Ex tranſſumpto authentico, ſigillo præpoſituræ Senonenſis munito & ſignato J. Hubelet anno Domini 1487 die 20 menſis Martii.] Ex quo, quæ ſequuntur.

„ In Chriſti nomine Chlodovæus Rex Francorum omnibus Chriſti fidelibus, qui conſiſtunt in univerſo Regno meo, pax & veritas ſit ſemper vobiſcum. Anno tertio poſt quam Baptiſmi * gratiam, ſacramentum percepi per manus patris mei Remigii Remorum Epiſcopi, & catholicè imbutus ſum omnem legem Chriſtianam; reſidente me in urbe Pariſiaca cum uxore mea Crochilde, * per cujus exhortationem ad Chriſtianam legem perveni, unà cum filiis meis Theodorico videlicet, Chodomiro, * Childeberto & Chlotario, ceteriſque proceribus Francorum, venit ante præſentiam meam filia mea chariſſima Theodechildis, quæ ſe devovit virginem in Chriſto, poſtulans à me multis precibus, ut ei quantulamcumque portionem condonarem de hereditate mea, ſeu de hereditate matris ſuæ. Poſtulans inſuper ut in ipſa hereditate ei liceret ædificare monaſterium Monachorum in honore Apoſtolorum. Audiens igitur ego tam juſtam poſtulationem, & tam benignatam devotionem, tradidi illi partem de hereditate mea, quæ venit in ſorte mea ex parte uxoris meæ Crothildis; quæ hereditas fuit patris ejuſdem uxoris meæ, Chilperici Regis Burgundionum.

* al. ſacratam.

* al. Chrotilde.

* al. Chlodomiro.

„ In primis igitur trado ei Eccleſias meas duas, unam in honore beatorum martyrum Saviniani & Potentiani: alteram in honore beati Serotini martyris, cum omni decimatione, & quidquid ad ipſas pertinere videtur. Diſtant enim ipſæ Eccleſiæ ab urbe Senonica milliario uno. Inter autem ipſas duas

Eccleſias

Eccleſias ſunt paſſus ferè quinquaginta. Igitur in cœmetirio «
ipſarum Eccleſiarum per voluntatem meam, & uxoris meæ, «
filiorumque meorum, & procerum Francorum, volo, conſen- «
tio, ut ædificet monaſterium ſuum filia mea cariſſima ad ſimi- «
litudinem ipſius Baſilicæ, quam cœpimus ædificare ego & uxor «
mea in conſpectu Pariſiacæ urbis in honore Apoſtolorum. Eſt «
enim in ipſis Eccleſiis beatorum martyrum ab antiquis tempo- «
ribus ſepultura Præſulum Senonum, ſeu clericorum ſancti Ste- «
phani & procerum ejuſdem urbis, populique ipſius pagi ob «
amorem eorumdem martyrum. Nam ibi requieſcunt pretioſa «
corpora martyrum, ſucceſſoreſque eorum venerandi Pontifices «
Senonicæ urbis, id eſt Leontius, Severinus, Audatus, Era- «
clius, Lunanus, Simplicius & Theodoricus Archidiaconus «
cum aliis ſanctis viris. «

Trado etiam illi villam meam indominicatam, vicum nomi- «
ne cum appendiciis ſuis, in qua, ſicut diximus, ædificare de- «
ſiderat filia mea cariſſima monaſterium ſuum, &c.] «

Plures ſequuntur in illo Diplomate donationes Eccleſiarum, villarum, prædiorum &c. quibus hactenus fruitur ex parte monaſterium Vivianum, cæteris per Archenebaldum, & quoſdam alios Senonum Præſules & Abbates (ut ferunt antiqua Chronica) & vicinos optimates injurioſè diſtractis & retentis. Si liceat per otium & valetudinem, notas & obſervationes hiſtoricas proſequi in Chronicon Gaufridi à Collone, quibus Senonis incumbebam anno 1669, genuinum & integrum dabimus hujus chartæ apographum, quod ſic explicit.

[Si quis autem contra hanc ſcripturam venire * tentave- « *al. conaverit.
rit, in primis iram Dei incurrat, & nullo modo evincere «
valeat. Omnipotens autem Deus, qui dixit, Mihi vindictam, «
ego retribuam, ipſe illum condemnet qui hanc noſtram char- «
tulam in aliquam calumniam immiſerit. Amen. Actum pu- «
blice in urbe Pariſiaca coram filiis meis. «

Ego Chlodovæus in Dei nomine rex Francorum, manu pro- «
priâ firmavi & ſubſcripſi. «

Ego in nomine Dei Chrothildis Regina. «

Ego in Dei nomine Theodoricus filius Rex. «

Ego in Dei nomine Clodomirus Rex filius ejus. «

Ego in Dei nomine Childebertus Rex filius ejus. «

Ego in Dei nomine Chlotarius Rex filius ejus. «

Ego in Dei nomine Theodechildis filia ejus cariſſima. «

Digitized by Google

„ Ego in Dei nomine Eraclius Archiepiſcopus Senonum.
„ Ego in Dei nomine Remigius jam ſenex, Remorum Epiſco-
„ pus.
„ Ego in Dei nomine Principium Sueſſionis Epiſcopus.
„ Ego in Dei nomine Medardus Noviomenſis Epiſcopus.
„ Ego in Dei nomine Vedaſtus Atrebatenſis Epiſcopus.
„ Ego in Dei nomine Germanus Pariſiorum Epiſcopus.
„ Ego in Dei nomine Auſtregiſillus Bituricenſis Archiepiſco-
„ pus.
„ Ego in Dei nomine Genebaudus Laudunenſis primus Epiſ-
„ copus.
„ Ego in Dei nomine Aurelianus conſiliarius Regis.
„ Geylebertus hoc teſtamentum ſcripſi & ſubſcripſi.
„ Data menſe octobri, Indictione primâ, in Dei nomine, Pa-
„ riſius urbe regiâ.

Cotronius in MS. ſuo codice hæc notat propria manu in margine : *Hic Buretellus addit, anno Domini quingenteſimo, regni verò 16. à baptiſmo autem, tertio.* Quam temporis notam, (quæ doctiſſimo Carolo Cointio jure diſplicuit) in aliis melioris notæ codicibus, nec in chartis Vivianis, nec apud Clarium, Gaufridum, cæteroſque veteres Chronologos legiſſe me memini. Hinc tamen primus contra Chartam efferbuit criticês impetus, opinantium non male, annum Chriſti 500, cum Indidictione prima non poſſe cohærere. Claudius Robert in recenſione Abbatiarum Galliæ, parem cum ſchedis noſtris agnoſcit privilegii datam, anni ſcilicet 507, Indict. primâ. Sed antequam diluantur objecta quibus illud Diploma fraudis ſuſpicionem ingenerare videtur, aut in dubium revocari; ſtabiliendum illud (ſaltem quantùm ad ſubſtantiam illius ut vocant) per media ex ipſo rationis penu deprompta, ultróque conceſſa ab ipſis adverſariorum anteſignanis clariſſimis, juxtà & doctiſſimis viris Henrico Valeſio, & Carolo Cointio, Mabillonio, &c.

1. Prima pro veritate Diplomatis ratio, quantùm ad ſolidum rei, hæc eſt. Monaſterium ſancti Petri Vivi Senonenſis celeberrimum hactenus extat in Gallia regiæ pietatis & magnificentiæ monimentum; nullibi natales ejus leguntur, niſi ſub Chlodovæo magno; non eſt in concavo lunæ creatum, nec partus è cœlo tonante delapſus; proferant igitur adverſarii fundatorem alium à Chlodovæo, vel ſi mavis, ab ejus filia Theo-

Digitized by Google

dechilde ſeu Techilde ; nam utrique Cœnobii primordia concedunt quotquot de rebus Vivianis ſcripſere veteres & moderni: de aliis, cujuſlibet ætatis aut ſtatûs fuerint, altiſſimum apud omnes ſilentium. Clarius in Chronico, tomo 2. Spicilegii doctiſſimi Lucæ Dacherii: [Anno 503 Chlodovæus baptiſatur à ſancto « Remigio Remenſi Archiepiſcopo, & quatuor filii ejus, Theo- « doricus videlicet quem de concubina genuit, & Chlodomirus, « Childebertus, & Chlotarius quos ex Chrochilde chriſtianiſ- « ſima regina habuit, quique poſt eum regnarunt. Fuit quoque « præfato regi & reginæ filia nomine Techilda quæ baptiſata « vovit virginitatem & tenuit, ſeptuaginta quinque annis vi- « vens. Quæ adhuc vivente patre, adjuvante matre & fratribus, « cœpit ædificare ad orientalem plagam urbis Senonicæ cœno- « bium in honore Apoſtolorum Petri & Pauli. Regebat tunc « ſedem Apoſtolicam Hormiſda Papa, Archipræſulatum Seno- « nicæ Eccleſiæ beatus Heraclius, Remenſem Eccleſiam ſupra « dictus beatus Remigius jam ſenex.] Cum quo conſentit Gaufridus à Collone fol. 47 ſui Chronici. [Poſt hæc vero Theo- « dechildis filia regis vovit Deo virginitatem, quam tenuit 75 « annis vivens religioſe. Quæ vivente patre, adjuvantibus ma- « tre & fratribus, cœpit ædificare in vico, qui Vivus dicitur, « monaſterium ſancti Petri Vivi circa annos Domini quingen- « tos & ſeptem. Regebat tunc Apoſtolicam ſedem Hormiſda « Papa ſanctus confeſſor, & beatus Eraclius regebat Eccleſiam « Senonenſem, quæ tunc fide & meritis, ut in Remenſibus hiſto- « riis continetur, per Gallias prægaudebat. Præfecit nominata « virgo Theodechilda monaſterio ſancti Petri primum Abbatem « nomine Amalbertum, virum Deo amabilem, ſanctum ac reli- « gioſum, & floribus ſapientiæ & philoſophiæ multùm ditem.] « Similia profert aliis in locis, & in libro peculiari de ſacris reliquiis.

Cui præiverat Robertus ſancti Mariani monachus Præmonſtrat. in Chronico: [Per id tempus florebat Theudechil- « dis, Chlodovæi regis filia, virginitate pariter & pietate famo- « ſa. Hæc in conſpectu Senonis cœnobium ſub honore Apoſto- « lorum conſtruxit, multis illud ædificiis amplians, & prædiis « locupletans.] «

Tribus iſtis auctoribus facem prætulit Odorannus, qui ſcribebat anno 1020 ſub rege Roberto. Sed cùm non ſint ejus ſenectutis quæ placeat Diſſertatori Launoio, occurrit privilegium

Digitized by Google

ab eruditiſſimo Carolo Cointio laudatum tomo 3 Annal. ad annum 657, pro libertate monaſterii ſancti Petri Vivi datum anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto æræ Chriſtianæ, uti colligitur ex ejus data, quæ ſic habet, tam in codice MS anni milleſimi, quàm apud doctiſſimum Mabillonium pagg. 613, & ſeq. partis 2, ſæculi 3 Actorum, &c. ubi privilegium iſtud refert integrum cum ſuis ſubſcriptionibus, ejuſdemque meminit in illo ſuo mirabili opere *De re Diplomatica*, pag. 300. [Ejuſdem „ Chlotarii III. anno 3. *Manſolaco curte Dominica* conſedit Epiſ„ coporum ſynodus, qua Emmonis Epiſcopi Senonenſis privi„ legio pro Senonenſi monaſterio ſancti Petri Vivi numero „ viginti quinque (cum Emmone) ſubſcripſerunt.] Sic inquam, privilegii data: *Actum Manſolaco curte Dominica anno tertio regni Domini noſtri Chlotarii regis.* In qua Charta, ſeu privilegio, quod vix 90 annis Theodechildis ætatem ſuperat, diſerte legitur, quod monaſterii Viviani auctor fuerit, & in eodem ſepulta. „ [Et quia vir venerabilis Aghilenus Abba unà cum fratribus „ ſecum conſiſtentibus de monaſterio ſancti Petri & Pauli, quem „ domna Theodechildis regina quondam ſuo opere conſtruxit, „ vel ipſa ibidem ſuum videtur habere ſepulchrum, ſub oppi„ dum Senonis civitate, &c.] Celebris eſt hujus conſeſſus memoria apud ſcriptores Senonicos Odorannum, Clarium, Gaufridum à Collone, ut taceam recentiores, & præſertim Philippum Labbe S. J. eruditiſſimum Theologum, qui ſynodum iſtam (quam vocat Senonenſem 30 Epiſcoporum) inſertam voluit tomo 6 Conciliorum generalium pagg. 534 & ſeq. cujus verba, ne quid deſit inſtituto noſtro pro veritate Chartæ fundationis cœnobii Viviani, hîc deſcribenda duximus.

„ Synodus Senonenſis 30 Epiſcoporum
„ Tempore Chlotarii III. regis Francorum Chriſtianiſſimi
„ in qua ſubſcriptum fuit privilegium immunitatis
„ Monaſterio ſancti Petri Vivi.

„ Clarius monachus, auctor Chronici Abbatiæ ſancti Petri Vivi „ Senonenſis, hujus rei teſtis eſt pag. 705 tomi 2 Spicilegii R. P. „ Lucæ Dacherii Benedictini hiſce verbis. [Anno DCLXXV. „ tranſiit ad Chriſtum Emmo Senonum Archiepiſcopus, ſepul„ tuſque eſt in Baſilica beati Petri Vivi. Hic privilegium li„ bertatis, unà cum comprovincialibus Epiſcopis, monachis

Digitized by Google

ſancti Petri ſynodaliter fecit, temporibus Chlotarii regis, & «
Baltechildis matris ejus. In quo conventu fuerunt antiſtites «
glorioſi ſanctus Audoenus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & «
ſanctus Faro Epiſcopus Meldenſis, ſanctuſque Eligius Novio- «
menſis Epiſcopus, & ſanctus Amandus Tregetenſium Epiſco- «
pus, cum aliis 30 Epiſcopis.] Hæc ille paucis, qui rem ad- «
modum gratam feciſſet haud dubie lectoribus, ſi privilegium illud integrum unà cum ſubſcriptionibus præſulum, qui interfuerunt, poſteritatis memoriæ commendaſſet. Quam gratiam, ut innumeras, alias præſtitit Johan. Mabillonius ſupra laudatus, apud quem tamen, & in Viviano codice pervetuſto numerantur tantùm 26 Epiſcopi, quorum quædam nomina paululum deflectunt à nomenclatura communi, quam exhibent indices impreſſi. Horum autem antiſtitum ſedes adnotavit in margine, & brevi ſcholio illuſtravit idem R. P. Mabillonius.

Verùm ejus & Cotronii pace dixerim, cæterorumque qui cum eis cecinere cantum cuculi (forſan ut Antonii d'Yeſpes Abbatis Valliſoletani ſententiam de monaſterio Puellari, Cœnobio ſancti Petri Vivi contiguo à Theodechilda virgine & Chlodovæi filia conſtructo, confirment) irrepſit in eorum ſcripta nævus calami ex mera amanuenſium incuria, dum quædam privilegii verba ſic legunt: [Et niſi rogatus à congregatione «
ipſa, vel Abbate, nulli noſtrorum audeat adire ſecreta, aut «
feminum ſepta, ut quatenus monachi, qui ſolitarii nuncupan- «
tur, de perfecta quiete, duce Domino per tempora, & «
ſub ante dicta regula viventes, & ſanctorum patrum vitam «
ſectantes pro ſtatu Eccleſiæ & ſalute regis, vel patriæ valeant «
exorare. Et ſi aliter ipſi monachi de eorum religione tepide «
egerint, ſecundùm regulam ipſius domni Benedicti & ſancti «
Columbani, &c.] Ubi vides nullam hîc monialium, aut fœ- «
minarum (male *feminum*) fieri mentionem; ſed de ſola monachorum quiete & ſolitudine, exercitiis regularibus, præſertim apud Benedictinos, oppidò neceſſariâ. Quod inſigniter evincitur ex Marculfo, qui hoc privilegium, aut ſimilia legere potuit, cùm conficiendis formulis ſuis incumbebat eodem tempore. Sic enim in formula prima de privilegio tomo 6. Conc. generalium editionis anni 1671 pag. 533, & tomo 16 Biblioth. Patrum anni 1654, pag. 4 ipſiſſima fere privilegii Senonenſis verba repetens: [Et niſi rogatus à congregatione illa, vel Abbate pro oratio- «
ne ſacranda, nulli noſtrùm liceat monaſterii adire ſecreta, «

Digitized by Google

„ aut finium ingredi ſepta ; & ſi ab eis illuc Pontifex poſtulatus „ pro lucranda oratione, vel eorum utilitate acceſſerit, cele„ brato ac peracto divino myſterio, ſimplici ac ſobria benedi„ ctione percepta, abſque ullo requiſitu, domo ſtudeat habere „ regreſſum. Ut quatenus monachi, qui ſolitarii nuncupantur, „ & perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, „ & ſub ſancta regula viventes, & beatorum patrum vitam ſe„ ctantes, pro ſtatu Eccleſiæ & ſalute regis, vel patriæ valeant „ plenius Dominum exorare.] Hæc Marculfus monachus qui vel Emmonis privilegio formam ſeu formulam dedit, aut ex illo ſuam concinnavit. Hanc autem inter *feminum* & *finium* hallucinationem detegere placuit, quòd quibuſdam lubrica fuerit, ut de Parthenone Senonenſi à Theodechilde virgine prope Vivianam Baſilicam conſtructa, plura parùm certa ſcriptitarent. Non quod mea quidquam interſit religioſum regiæ virginis ſtatum in dubium revocare, ſi forte monialis fuerit : ſed quod probari non poſſit ex illo amanuenſis vitio, quo nihil ineptius, cui tamen ſpuriæ lectioni impenſius hæſit Victor Cotronius in Chronico, qui privilegium illud etiam integrum retulit, ſed maculatum.

Habes igitur ex illo, tot illuſtrium patrum Manſolaci conſedentium auctoritate firmato, indubios natales monaſterii ſancti Petri Vivi ab illa virgine fundati ex bonis paternis ſibi à Chlodovæo, & matre Chlotilde conceſſis. Quæ Theodechildis, cùm nemini primariò innotuerit, tum quà fundatrix, tum quà Chlodovæi & Chlotildis filia, niſi ex hoc parentum privilegio, ſeu charta fundationis, certum eſt illam non eſſe ſuppoſititiam, aut à Monachis ambitioſe confictam.

Mabillonius ſuprà citatus aliam refert chartam donationis Leotheriæ, ſive Mummiæ ſororis ſancti Ebbonis Archiepiſcopi Senonenſis, anno Chriſti, ut putat, 695 conſignatam, in qua meminit hujus Theodechildis reginæ Senonis in monaſterio Vivi corpore quieſcentis. Sed cui magis credendum quàm ipſi Theodechildi in charta donationis factæ anno nono regni Chlotarii fratris ſui, menſe Septembri, Indictione 2, quæ denotat annum 524, & Chlodovæum patrem obiiſſe anno 514 (non 511?) In quo donationis inſtrumento, quod integrum apud Vivianos extat, ſed in apographo anni 1221, ſe Chlodovæi filiam aſſerit, ſe Chlotarii ſororem, ſe Cœnobium Vivianum conſtruxiſſe, ſe domeſticis opibus, regiis fundiis, & Baſoli ducis Aquitanorum

ſpoliis dotaviſſe. In quo plures enumerat villas à patre Chlodovæo pridem conceſſas, quæ juris hactenus ſunt abbatialis menſæ & conventualis: quibus alias quæ ſibi hæreditario jure obtigerant, ſuperaddit. Tum Baſoli ducis dominia fiſco regio addicta, ſed patris munificentiâ ſuæ doti nuncupata, & Chriſto dicata prolixiùs recenſet; ex quibus poſtea nobiliſſimus ſurrexit & accrevit Decanatus Mauriacenſis in diœceſi Claromontana, qui hactenus juris eſt monaſterii ſancti Petri Vivi, primaque ejus filia, ut loquuntur veteres membranæ. Si cætera noſtris arrideant votis, & fas ſit inchoatas in Gaufridi à Collone Chronicon notas proſequi, publico bono prodibit inſtrumentum iſtud donationis ſanctæ Theodechildis, quod ſic incipit: [Domino ſancto ſacro monaſterio in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub oppidum civitatis Senonum noſtro opere fundamentis conſtructo, ego in Dei nomine Theodechildis filia Chlodovæi quondam regis, &c.] Sic autem explicit.] Actum Senones in menſe Septembrio anno nono regnante Chlotario rege germano meo, Indictione ſecunda, in Dei nomine feliciter, amen. Ego in Dei nomine Theodechildis Deo devota manu propria firmavi.] Sequuntur decem & novem ſubſcriptiones, poſt quas ultimus omnium ſubſcribit Amalbertus Abbas ſancti Petri Vivi, ut quidem conjicio: [*Ego in Dei nomine Amalbertus peccator Abba hoc teſtamentum, rogante domina mea Theodechilde, ſcripſi.*]

II. 2 ratio quæ chartam hanc Chlodovæi primi fictitiam non eſſe viro cordato perſuadere poſſit, hæc eſt, quod ſine ea nulla foret memoria Baſoli ducis Aquitanorum & Arvernorum nec originis Decanatûs Mauriacenſis, qui notiſſimum hactenus eſt monaſterium, ut mox dicebam. Utrumque admittunt Sanmarthani fratres in indice Senon. Archiepiſcoporum pag. 620, ſcilicet Theodechildem & Baſolum comitem Arverniæ fundaſſe Mauriacum. Mabillonius parte prima ſæculi 3 Actorum, &c. in præviis obſervat. ad vitam ſancti Ebbonis pag. 648. [Nec alia ſine dubio fuit Theodechildis cœnobii ſancti Petri Vivi conditrix, quæ Baſolum Arvernorum comitem ob defectionem in vincula conjectum à patre in ſuum ipſius aſceterium excepiſſe fertur.] Citat ibidem doctiſſimus Mabillon. Urbanum Reverſey in MSS. Annalibus Eccleſiæ Senonicæ. [Anno DX. Chlodovæus debellatis multis principibus, Baſolum ducem Aquitaniæ in carcerem Senonicum miſit, quem virgo

„ Theodechildis precibus à patre obtinuit, ut eum in mona-
„ ſterium beati Petri Vivi efficeret monachum tonſuratum,
„ quod & fecit. Tunc ipſe dux monaſterio beati Petri vicum
„ Mauriacum in Arvernia devotionis gratiâ ſponte & propria
voluntate delegavit.] Quibus verbis non aliò collimaſſe hos cæteroſque auctores certo certius eſt, quàm ad hanc Chlodovæani Diplomatis pericopen. [Trado etiam illi (Theode-
„ childi) ducem Baſolum admodum ſuperbum & tumidum;
„ modò verò humiliatum, quem catenatum retineo cum omni
„ hæreditate ſua, cum caſtellis, vicis, terris, & Eccleſiis, &
„ reliquas poſſeſſiones ſuas eo tenore, ut ab hodierna die &
„ deinceps totum & ad integrum rem inexquiſitam ad prædi-
„ ctum monaſterium ſancti Petri omnibus temporibus permanere
„ decernimus, in alimoniam ſervorum Dei, qui ibidem per
„ tempus ſucceſſerint, & aſſiduam pauperum receptionem, & lu-
„ minaria concinnanda, & ſacrificium offerendum. .... Sunt
„ autem ipſæ res Baſoli in Arvernica provincia, & in Lemovi-
„ cino pago, & in Caturcenſi pago, & in Petragorico pago, &
in Gavaldano pago.] Quæ dominia ſpecialius enumerat ipſa virgo Theodechildis in inſtrumento ſuæ donationis ſupra memorato, quod Carolus Cointius legiſſe videtur, & Theodechildis ſub nomine teſtamenti nuncupaſſe tomo 3. Annalium ad annum 564, ſcribens Fortunatum Epiſcopum in carmine de Theodechilde, hoc ſcilicet diſticho:

Eccleſiæ ſacræ te diſpenſante novantur
Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.

„ alludere [ad Cœnobium quod Theodechildis in conſpectu
„ Senonenſis urbis, ad inſtar illius quod Chlodovæus prope Pa-
„ riſios conſtruxerat in honorem ſanctorum Apoſtolorum, ædi-
„ ficavit, & ut ſub ſancta religione, & Abbatis imperio mona-
„ chi cunctis diebus Deo deſervirent, inſtituit, corpuſque ſuum
„ ibi ſepulturæ tradere mandavit. Quidquid vero citra Ligerim
„ in Francia, vel ultra Ligerim in Aquitania, ſive de poſſeſſo,
„ ſive de acquiſito habere potuit, eidem monaſterio ſub titulo
„ teſtamenti contulit.] Quæ Cointii verba ſpectant procul dubio Diploma Chlodovæi, & chartam Theodechildis ejus filiæ, ut primigenias ſcripturas, & originales Tabulas ex quibus tum veteres, tum moderni rerum Senonicarum ſcriptores, ut & Mauriacenſium, ſua ſenſa depromſere, Odorannus, Robertus Autiſſiodorenſis, Clarius, Gaufridus à Collone, Urbanus Reverſey

in Annalibus

Digitized by Google

in Annalibus Senonicis, Buretellus, Tavellus, Coquinus, Sanmarthani fratres, Cotronius, Mabillonius qui feliciſſime tantorum virorum agmen claudit, & veritati ſic ſuffragatur loco ſupra citato. [Monaſterium ſancti Petri in quo Monachum « induit Ebbo (Senon. Archiepiſcopus) ſitum in villa ſeu vico, « qui dicebatur Vivus in ſuburbio Senonenſi, condidit Theo- « dechildis, ſeu Techildis regina ; locupletarunt Baſolus Ar- « vernorum comes, & ipſe S. Ebbo cum ſororibus duabus.] Quæ Cointii & Mabill. verba iterum à nobis reſumenda ſunt infra. Non aliò ſpectarunt quàm ad illud Chlodovæi Diploma, inſtrumentum donationis Theodechildis, & aliud Ludovici pii anno 827 conceſſum ; & in Archivis Archiepiſcopalis domus Senonis aſſervatum, inquit Cotronius in Chronico, nobiliſſimi chronologiſtæ Clarius, tomo 11 ſpicilegii Dacheriani, & Gaufridus à Collone ; quorum prior [ipſe Jeremias (Senonum præ- « ſul) ædificavit cellam in Aquitania, in loco qui dicitur Mau- « riacus, mutans nomen ejus, & vocans Noviacum, in hono- « re ſancti Petri in proprio fundo ſancti Petri Senonenſis, quam « Theodechildis filia Chlodovæi regis, & Baſolus comes Arver- « niæ ob amorem Dei ad ſtipendia Monachorum reliquerant « per deprecationem Frodoberti abbatis Cœnobii ſancti Petri « Senonenſis ipſam cellam conſtruxit, eo quod homines ipſius « pagi terras & prædia ſancti Petri diriperent, & in proprios « uſus retinerent. Inſtituit autem & Monachos regulares de « Eccleſia ſancti Petri Senonenſis, qui illic Deo ſervirent, qua- « tenus locus ipſe prædia & terras, quas adhuc poſſidebat, ex « toto non perderet, & ut ipſa cella, Deo auctore, per cuncta « tempora ſub cuſtodia Frodoberti abbatis, & ejus ſucceſſorum « eſſet ; & ita gubernarent villas & Eccleſias, quæ conjacent « in Aquitania, & Arvernia, in Lemovicenſi pago, ſicut ante- « ceſſores ſui gubernaverunt. Poſtulavit autem idem Jeremias « Archiepiſcopus, & Frodobertus abbas à Ludovico Auguſto fie- « ri ſibi privilegium de eadem cella, & de omnibus appendi- « ciis quæ adjacent Cœnobio ſancti Petri Senonenſ. quod & « impetravit.] Eadem fere Gaufridus fol. 75. [Apud Mau- « riacum in Arvernia anno Domini 824 monaſterium in ho- « nore ſancti Petri conſecravit in territorio quod ſancto Petro « Senonenſi dederat dux Aquitaniæ Baſolus, quando monachus « factus fuit, ad petitionem ſanctæ Theodechildæ filiæ Chlo- « dovæi regis, primi Chriſtiani è Regibus . . . . . . Ludovicus «

„dedit privilegia ſancto Petro Senonenſi de dicta cella.]

Vis antiquius hujus veritatis monimentum ? Dabit ipſius Baſoli ducis epitaphium, quod ſepulchralem ejus urnam & membra corporis contegit, ad lævam majoris altaris in Baſilica Viviana ; & quod olim interiori urnæ, dum jaceret in ſacello ſancti Bartholomæi, intimum erat. Quod tanti fecit doctiſſimus Sirmondus, & ipſe Arvernus, ut ſinceram illam antiquitatis teſſeram publico bono dari voluerit in æs inciſam, eo tempore quo illuſtriſſimus Octavius de Bellegarde Senonenſis Antiſtes oſſa prædicti Baſoli è veteri urna in novam tranſtulit die 16 Octobris anni 1643, peractâ prius ab eodem Præſule ſolemni tranſlatione corporis ſanctæ Theodechildis virginis filiæ Chlodovæi primi (de qua hîc ſermo) præſentibus ad hæc pietatis officia nobiliſſ. viris Ludovico Henrico de Gondrin, qui ſedi ſucceſſit, Rogerio duce de Bellegarde, domino de Monteſpan, Magiſtratibus cleri & populi, &c. Crediderim quod novæ critices patroni paulò liberalius indulſiſſent avitæ veritati, quantùm attinet ad ſtatum virginis hujus, & primas Vivianorum origines ſub Chlodovæo magno, ſi legiſſent epitaphium iſtud vetuſtis characteribus lapidi inſculptum, quod eſt ejuſmodi :

Dux Aquitanenſis, monachus tandem Senonenſis,
Hic tegitur Baſolus, Petre beate, tuus.
Quem, Thechilda, tuus pater & rex dat Chlodovæus
Cum multis patria rebus Aquitanicæ.
Quas tibi qui tulerit, Paradiſi flore carebit,
Augens hæc habeat, cum Baſolo valeat.

In libro Obituum anno 1298 novis characteribus reſtituto ejus obitus ſic notatur, 8 *Idus* * *Januarii* (male 17 Februarii apud Urbanum Reverſey) *obiit Baſolus dux Aquitaniæ & monachus hujus loci, cujus anniverſarium facimus.*

* apud Gaufridum à Collone 17 Calendas Februarii.

Aliud viſebatur ejus epitaphium paris ſenectutis in oratorio ſancti Bartholomæi ad murum ſepulchro vicinum, ante conflagrationem mediæ partis Eccleſiæ 6 Junii 1632, quod integrum habes apud Gaufridum à Collone lib. peculiari de ſacris reliquiis Eccleſiæ ſancti Petri Vivi anno 1298 conſcripto. Refertur etiam à R. P. Johanne Mabillon. ubi ſupra : ſed quia ibi aliqua legimus ab optimæ notæ codice noſtro diſcrepantia, non ingratum erit lectori, nec ab inſtituto alienum, hîc genuinum exſcribere.

Conſulis hic artus recubant, Arvernica tellus

Digitized by Google

Magnifici Baſoli, quem dedit eſſe ſuis.
Dux Aquitanenſis, fœlix ſua rura beavit.
Pacis in augmento conſolidans populos.
Francorum Regem Chlodovæum corpore vivens
Abdicat eſſe ſuum hunc proprium dominum.
Artibus & variis tandem Rex, quem proditoris
Conſtrictum tenuit carceris in tenebris.
Regia ſed mitis proles regina Thechildis
Ereptum precibus conſtituit monachum.
Rex proprii juris firma ſub lege reliquit
Petro Sennenſi, atque ſuis monachis
Pagus Aquitaniæ, vel quantum Arvernica tellus
Hujus habebat opes, contulit hic monachis.

Hæc, ni fallor, abunde ſuffecerint pro ſecunda ratione, quæ in favorem Diplomatis Chlodovæi deſumenda videbatur ex notitia Baſoli ducis, qui nuſquam majoribus innotuit, niſi ex illa primordiali charta fundationis domus Vivianæ.

III. Tertia ratio non minoris videtur eſſe ſubſidii, ne quis fictitium putet regiæ donationis inſtrumentum. Plures recenſentur in eo Eccleſiæ, villæ, pagi, prædiaque, quæ propriis nota vocabulis, uti leguntur in privilegio, hactenus extant ſub Abbatis dominio & monachorum, niſi quæ diſtraxit olim quorumdam Senonenſium præſulum immanis cupiditas, ut ſupra querebamur, nec ſiluit Ludovicus pius in ſuo Diplomate pro monachis ſancti Petri Vivi, ſancti Remigii Senonenſibus, & ſancti Joannis ad muros pariter Senonenſes, qui tum regulæ Benedictinæ parebant, dato anno 14 imperii ſui Indictione quinta, qui eſt annus æræ Chriſtianæ 827. Pluribus item tumet inſtrumentum illud gratiis, immunitatibus, & prærogativis, quibus etiamnum gaudet Viviana domus, quas pari munificentiâ confirmarunt poſteri Chriſtianiſſimi reges ad hæc prima gratiarum Chlodovæi ſpecimina collimantes. Verùm mihi pridem in tabulariis & ſcriniis illius celeberrimæ domus affatim verſato, & chartas omnes variæ ſenectutis revolventi, nullus occurrit titulus conceſſionis, nullum donationis inſtrumentum, nullæ tabulæ, quæ alium à Chlodovæo, & Theodechilde filia largitorem exhibeant authenticæ conceſſionis villarum, burgi de Vivo (ubi ſitum Vivianum cœnobium) Saligniaci, Malleoti, Malleii regis, Ciconiarum, Vicinarum, Sanceias, Fontanis, Paredi, Volgradi, Fuſciaci, Baniaci, & plurium aliarum quas enume-

rare, ut jacent, in charta, nec lectori gratum, nec mihi foret. Eccleſiarum item ſancti Saviniani, ſancti Sanctiani, &c. quæ magni apud Senones ſunt nominis, utpote prima ſibi Chriſtianæ religionis incunabula tot Martyrum ſudoribus & ſanguine conſperſa, quarum hæc charta meminit, amplo potitur dominio, & præſertim ſancti Petri de arce in urbe (vulgò du Donjon) quæ ſacellum erat olim palatii reginæ Chlotildis. [Juxta portam, inquit Chlodovæus, quæ eſt ad orientalem partem capellam meam indominicatam in honore S. Petri dicatam, quam conſtruxit uxor mea Chrochildis.] Eccleſia, inquam, hæc regia, cæteræque prolixius recenſitæ, villæ, pagi, prædiaque, quæ non tam liberali, quàm ſtupenda congerie Diploma illud complectitur, juris ſunt hactenus cœnobii Viviani: harum conceſſio patrum memoriam ſuperat & ætatem, nec ulla figi poteſt temporis epocha, quæ certum agnoſcat auctorem cum excluſione Chlodovæi. Non potuit cœnobium illud ſtatim à cunis tam immenſa bonorum largitate pene ad invidiam locuples, illa furari aut uſurpaſſe diſpendio dominorum. Quis igitur ille munificus, ne dicam prodigus largitor, cui pene animus erat fiſcum regium prorſus exhaurire? Quis, inquam, fundator domus, quæ regia ſemper audivit? Quis benefactor, niſi quem charta fundationis, exteris etiam nationibus notiſſima; quem noſtræ membranæ, quæ rixatæ diu cum blattis & tineis nondum interierunt; quem denique Gallorum communis ſenſus, conſtanſque Senonum traditio Chlodovæum agnoſcunt?

In chronico Cotroniano ex originalibus inſtrumentis monaſterii S. Petri Vivi, à me ſimiliter viſis, ſincere confecto, plures ſummorum Pontificum Bullas inſpicies, in quibus ad illud regium Chlodovæi Diploma animum ſimul & calamum intenderunt, per hæc verba toties repetita. [Quod videlicet monaſterium (ſancti Petri Vivi) ſanctæ memoriæ Theodechildis Chlodovæi regis filia fundaſſe, & rerum ſuarum muneribus ditaſſe cognoſcitur.] Hæc Paſchalis II. pag. 530 ex originali; ſic Honorius II. pag. 580, Innocentius II. 592, Lucius II. 603, Alexander III. 632, Lucius III. paginâ 654, &c. Conſentiunt pariter cum Chlodovæo plures è Chriſtianiſſimis regibus, quorum originales tabulæ mihi demonſtratæ fuere, & de quibus grati animi voto meminit idem Cotronius. Sed ne lectoribus ſtomachum moveam, unus inter plures ſufficiat Philippus primus

Digitized by Google

pag. 494. Privilegium eſt ab eo ſubſignatum anno 1064. à Richerio Senon. Araldo Meldenſi (quem alii Adraldum dicunt, & Gaufridus à Collone pag. 194 Arraudum vocat) à Galthero Carnotenſi Epiſc. Valerano Camerario, Frođerico Dapifero, Widone pincernæ magiſtro, Alelino Coneſtabulario, Hugone de Puteo, Hugone de Domo-martino, Gaufrido de Calvomonte. *Gaufridus Cancellarius relegendo ſubſcripſit.* Inter alia ſic in rem noſtram. [Hoc regale præceptum, quod Deo « & ſancto Petro, cæteriſque apoſtolis: & martyribus ſacris, « Saviniano videlicet & Potentiano, & ejuſdem cœnobii cæteris « Sanctis, eorumque monachis Deo ſervientibus, ad plenum « firmare ſtudemus. Igitur volo, ut audiatis clamorem abbatis « Gerberti, & monachorum ſancti Petri de noſtris præpoſitis, « & miniſtris Senonenſibus de valde injuſtis & malis conſuetu- « dinibus, quas injuſte per terras ſancti Petri Vivi facientes « opponunt. Nam de omni ſæculari inquietudine, & poteſtate « reges Francorum anteceſſores noſtri præceptum inviolabile « eidem caſæ Dei luculenter ſtatuentes firmaverunt: & poſt- « modum avus noſter Robertus ob amorem Dei, & beati Petri, « ſanctique præſulis ac martyris Saviniani, cujus venerabile « corpus idem avus meus à ſolo elevans auro, & gemmis orna- « vit. Ergo illud quod præfati reges Francorum præceptum « corroborantes ſtatuerunt, ſimiliter & nos regali auctoritate « firmiter conſolidamus, &c.] Et fortaſſis ejuſdem regiæ fundationis & dotationis tabulis inſtructus erat Ludovicus VI, qui Baſilicam ſancti Petri Vivi *ſuam* eſſe dicebat in litteris ad Epiſcopum Lingonenſem, quibus à rege jubetur, ut Retiacum & Pauliacum villas Tornodorenſis tractûs, quas olim monachis Vivianis conceſſerant Ingoara & Leotheria ſorores ſancti Ebbonis, ut ſupra vidimus, illis reſtitui curet. [Nunc autem, « quoniam Eccleſia ſancti Petri Vivi noſtra eſt, mandamus & « obſecramus ut de præteritis & de futuris beneficiis eam reve- « ſtiatis propter noſtram amicitiam, &c.] «

Nec piget hîc obiter adnotaſſe omnes, quas legerim, chartas, ſeu regum Diplomata monachis de Vivo conceſſa, nullius conceſſionis inſtrumenta eſſe, tamquam ab ipſis de novo factæ, ſed meras ratificationes (ſi nomini parcas) primariæ donationis, ſub diverſis principibus toties repetitas, ita ut ad ſolum Chlodovæum magnum, velut ad fontem largitionum, omnia fere bona reducantur, quibus hactenus fruitur domus Viviana.

Digitized by Google

IV. Quarta pro veritate Diplomatis poteſt afferri ratio, quod cœnobium ſancti Petri de Vivo, ſeu Vivianum à fundamentis erectum, & munificentiſſime dotatum, non unicum fuit regiæ pietatis monumentum. Plures aliis in locis conſtruxit Eccleſias, & Monaſteria Chlodovæus, & ubere penu ditavit; inter quæ ſupereminent quæ Apoſtolorum principi poſuit, quem impenſius coluit, & quem Theodechildis filia peculiarem patronum ſuum nominat in inſtrumento donationis, v. g. Ferrarienſi, Pariſienſi in clivo, Reomaenſi, &c. quorum omnium non facile ſibi perſuadebunt viri cordati fictitias fuiſſe origines, cùm præſertim auctor vitæ ſanctæ Chlotildis in pervetuſto codice Sangermanenſi; & quam evulgavit Mabillonius tomo primo » Actorum, &c. pagg. 98 & ſeqq. bis de marito aſſerat. [Cœ- » pit ergo Rex conſilio beatæ Chrochildis fana deſtruere, » Eccleſias ædificare, eaſque terris & muneribus copioſe ditare, » pauperibus eleemoſynam largiter erogare, viduis & orphanis » miſericorditer ſubvenire, cunctiſque bonis operibus ſedule & » devote inſiſtere.] Et poſt pauca. [Tunc cum exercitu ma- » gno Rex perrexit; Regina Pariſiis remanſit, Eccleſiamque » ſanctorum Apoſtolorum ædificavit. Reverſuſque, victoriâ ad- » eptâ, regnum Francorum ſtrenue rexit, monaſteria plurima » ædificavit; & ſicut à ſancto Remigio & beata Chrochilde » didicerat vitam religioſam uſque ad mortem deduxit.] Inter illa plurima monaſteria recenſere Senonenſe quid vetat?

V. Quintum quod ſuccurrit pro tuendo Chlodovæi Diplomate, ipſe eſt auctorum conflictus, qui de monaſterii Viviani natalibus tam diverſa ſcripſere. Celeberrimos & critices anteſignanos jure nominamus, videlicet Jacobum Sirmondum, Hadrianum Valeſium, Johannem Mabillonium, Carolum Cointium, & ipſum nominatiſſimum Diſſertatorem Johan. Launoium, à quibus omnibus & ſingulis vel minimum receſſiſſe mihi probro ducerem, niſi tandem veritas prævaleret. Cùm illa ſtet in indiviſibili, nec magis aut minus intendi poſſit (philoſophica ſunt effata) mirum quod auctores illi, qui ſunt emunctiſſimæ naris, non potuerint quæ rei ſunt ſubodorari, quandoquidem unus eorum ſufficeret adſtruendæ veritati. Quis enim neget Sirmondo fidem, cùm de ſana vel infida antiquitate dijudicat? Quis non adhæreat Hadriano Valeſio, aut Cointio noſtratis hiſtoriæ peritiſſimis, ſi præſertim de Regum noſtrorum privatis, aut publicis rebus quæſtio verſetur? Quis tandem

Digitized by Google

ſui bene compos non itet à partibus Mabillonii in re Diplomatica pene ad miraculum eruditiſſimi? Nullus tamen eorum in hoc nobili, de quo quærimus, argumento lucem eam affundit, quæ alios paris eruditionis cœcutire non ſinat. In hoc igitur mirando partium diſſidio, non objicienda nobis tantorum virorum auctoritas, quam ſinguli nauci faciunt, cùm ab invicem diſſentiunt; nec temeritatis incuſandi, qui ſalvâ cuilibet reverentiâ, veritatem aliubi rimantur, quæ certe apud quoſdam illorum tenebras poſuit latibulum ſuum.

R. P. Jacob. Sirmondus, paucis ante obitum annis, monachos Vivi ſua præſentia dignatus, plura coram de hac Chlodovæi charta peroravit, nec ſiluit videri ſibi in neophyto rege ſummæ pietatis fœtum, ſi conſtaret de ſtatu Theodechildis, quam Chlodovæi magni filiam vix credebat, ex ſilentio Gregorii Turonenſis: illud eſſe potiſſimum adverſariorum telum, quo Diploma confodere ſe poſſe putant; ſi ſemel aſſeratur tanto parenti filia, reliquos Diplomatis nævos, veros, aut ſuppoſititios facile abſtergi. Hæc ille. Non defuere officio ſuo Viviani, ut Sirmondo fieret ſatis; cui membranas optimæ notæ, & pervetuſtos codices exhibuerunt, quibus virginis natales indubii redduntur. Sed quo potiſſimum ſibi gratulatus eſt vir optime bonus, & copioſiſſime doctus, ipſa ſunt programmata Cipporum Theodechildis, & Baſoli ducis, & hujus maxime, quod ſupra retulimus, Gothicis characteribus inſculpta. Lapis item delatus in quadrum, & hac epigraphe notatus: 4 *Cal. Julii tranſiit Donna Techildis regina* (male apud Mabillonium Theodechildis) in interiori ſcrinio plumbeo, virginis oſſibus intus adjacens; qui ab illuſtriſſimo præſule Senonenſi Octavio de Bellegarde extractus 16 Octob. 1643, cùm Techildis ſive Theodechildis membra ſolemni pompa tranſtulit, bono publico ceſſit curâ ejuſdem Sirmundi, qui prudens advertit quadratum illum lapidem Romanis litteris uncialibus exaratum, Gothicis inſcriptionibus ad oram tumulorum Theodechildis & Baſoli appoſitis, ætate præſtare. Quibus indiciis cæteriſque ex myſtarum illorum antiquario penu depromtis abunde tutus, non ægre promiſit ſe pro Theodechilde, ut Chlodovæi filia, deinceps ſcripturum, ſi per ætatem diu ingraveſcentem liceret, & ad parem animi candorem reducturum ipſum Diſſertatorem Launoium, ſi placeret illi pœnitentia cordatis viris digniſſima. Hæc quidem candidæ mentis indoles in Arverno ſene nec ſponte facili virum ſapit

Digitized by Google

veri ſtudioſum. Sed cùm ejus manum tantæ fidei obſidem dare non queam, hactenus anceps ſi ſcripto probaverit quæ dixit, nolim hîc ex illo celebri effato quidquam novi firmamenti cauſæ Theodechildis acceſſiſſe. Tantùm hîc laudatus à me Sirmondus, ut de partium diſſidio dicturus (qui mihi ſcopus) ætatis privilegio primas ei concederem.

Utinam clariſſimus vir Hadrianus Valeſius intimis domus Vivianæ receſſibus, & Bibliothecæ forulis pari facilitate incubuiſſet; ad ſaniora dubio procul calamum revocaſſet in gratiam Theodechildis, cui præſtat Chlodovæi primi filiam eſſe quàm Theodeberti ſororem ex poſteriori conjugio Theodorici majoris, Francorum regis, uti cum eo quidam alii rentur. Verum juvat iſtud præmittere. Obvium olim mihi fuit in area Vivi par celeberrimum fratrum geminorum Sanmarthanorum, quibus nuſquam à me viſis, necdum ſe prodentibus, ſed debita humanitate ad interiora cœnobii deductis, plura modeſtiſſime conqueſtus ſum de Sanmarthanis fratribus, quòd in eorum Gallia Chriſtiana, quæ omnium votis fecerat ſatis, quidam tamen ſupereminerent obices, qui incautos poſſent remorari, in hiſtoria præſertim Senonenſium antiſtitum, & abbatiæ hujus de Vivo: quibus demonſtrandis præſto erant vetuſtiſſima Chronica monaſterii, & meliores membranæ, quas ſtatim juſſi patere. Ingenuum me rati & cordatum virum, larvam ſubitò depoſuere, ſerióque lectis originalibus chartis, & quæ ſepulchrales urnas ambibant, doluerunt plura ſibi excidiſſe defectu originalium inſtrumentorum, aut ſaltem virorum benevolæ mentis, qui exemplaria commodarent, debite collata cum authenticis chartis, citrà quorum opem vix liceat ſcriptoribus bono publico damnatis quidquam dare omnibus numeris abſolutum, ſed quorum obſtetricante manu veritas nullis fœda mendis prodiret. Inter plura quæ mutuæ confabulationi materiam dedere, exemplo nobis fuit agitata quæſtio de Theodechilde, quam à ſe prius virginem aſſertam, poſterioribus operum ſuorum curis conjugatam voluere ex Fortunati carmine ad trutinam minus bene perpenſo. Cæterùm par illis cum Sirmondo candor animi, nec minora veritati litavere. Ad Valeſium redeo quem pariter rerum Senonicarum plura latuerunt; ut mirum non ſit, ſi ſuis conjecturis indulgens vir alioqui perſpicaciſſimus, Theodechildem putaverit non eſſe Chlodovæi filiam. Secus tamen, ſi quæ Sirmondo patuerunt & Sanmarthanis ſibi perſpicua fuiſſent. Audiamus

Digitized by Google

diamus illum à Diſſertatore malæ fidei poſtulatum gratis, ne dicam inique: pagg. ſcilicet 242 & ſeqq. libri qui inſcribitur *Defenſio Diſceptationis de Baſilicis, &c.*

Hadrianus Valeſius in lib. 6 Rerum Francicarum inquit: « In chronico Roberti monachi Antiſſiodorenſis invenio Theo- « dechildem Chlodovæi filiam, Theuchildem reginam ab « Odoranno dictam, devota virginitate & pietate venerabilem « apud Agedincum Senonum monaſterium, quod ſancti Petri « Vivi appellatur, magnifice extruxiſſe, Apoſtolis conſecra- « viſſe, ac prædiis locupletaviſſe. *Tum addit*: Sed iſtud quod « à recentioribus auctoribus ſine alicujus vetuſtioris auctoritate « profertur, contemnitur, ut ait Baronius. Theodechildis non « meminit in Rationario temporum Petavius, qui & Odoranni « & Roberti chronicon ſprevit, potius quàm non vidit. Quis « non, his lectis, ſtatim credat me Theodechildem pro filia « Chlodovæi habuiſſe, Roberti unius, recentioris auctoris ful « tum auctoritate, eoque nomine abs te irrideri? At bis in lib. « 7 Rerum Francicarum, nimirum in paginis 326 & 343 aper- « te negavi Theudechildem regis Chlodovæi filiam fuiſſe. « Agnoſce mea verba, Magiſter. [Nam Robertus monachus « Autiſſiodorenſis in chronico anno 1210 ſcripto, à Theude- « childe Chlodovæi regis filia pia virgine, monaſterium Apo- « ſtolorum in urbe Senonis extructum ait, quod monaſte- « rium apud Odorannum monachum Theuchildis regina « dicitur excitaviſſe. Quæ Theudechildis, vel Teuchildis non « magis mihi Chlodovæi filia videtur fuiſſe, quàm Emmia, « aut Emma pridie nonas Octobris martyrologio Uſuardi in- « ſerta, & ſancta Emmia virgo eximiæ ſanctitatis, filia Chlo- « dovæi regis dicta.] Et in pag. 343: [Poſtquam dixi Theode- « childem reginam, cujus Gregorius in libro de gloria Con- « feſſorum, Fortunatus, Frodoalduſque meminerunt, Theodo- « rici majoris Francorum regis ex poſteriore uxore filiam, ac « Theodeberti ſororem, Sigiſmundi Burgundionum regis ex « filia neptem fuiſſe mihi videri, hæc addo: [Cæterùm non « dubito, quin Theodechildis hæc eadem ſit, quam Odorannus « & Robertus monachi tradunt ad urbem Senonas monaſte- « rium Apoſtolorum, ſancti Petri Vivi nomine hodie notum, « extruxiſſe, prædiis locupletaviſſe, ibique ſepultam eſſe: « quibus Odorannus truncato nomine Theuchildem reginam « appellat in verſibus tumulo ejus inſcriptis; Robertus Theu- «

Digitized by Google

„ dechildem, quam magno errore Chlodovæi regis filiam „ devotamque virginem fuiſſe dicit.]

Ex his verbis, cùm Valeſii, tùm Launoii, certum eſt eos nec Theodechildem agnoviſſe cœlibem, nec Chlodovæo genitam, ſed Theodorico ejus filio novis nuptiis adſtricto. At proſcribendæ majorum fidei, quæ communi populorum ſenſu fulcitur, quam veteres exhibent Chartæ, & quæ needum ipſis in ſepulchris, & inter inferorum manes interiit, ut ſuprà demonſtratum; ſola non ſufficit conjectura, ſcriptorum teſtimoniis deſtituta; nec ſilentium Gregorii Vivianos parietes ipſi Techildi coævos, aut certe ſuppares, & ſaxa adhuc loquentia peſſumdabit. Certe plura noſtratis hiſtoriæ reticuit, quæ aut indiligentem, aut minus ſolertem virum præ ſe ferunt, quo obelo notatur à Joſepho Scaligero lib. 6. de Emend. Temporum „ pag. 572: [Quæ ille Epiſcopus ſcriptis prodidit, multùm la„ borant, & à ſæculi illius, & ab ipſius hominis culpa, qui „ multa negligenter tractat, & quædam non recte omittit.] „ Et poſt pauca. [In libro ſecundo proſequitur primordia gen„ tis Francorum, ſed nihil certi affert.] Et pag. 578. [Videtur „ noſter Gregorius ignoraſſe multa, aut ſciens præteriſſe.] Hujus indiligentiæ & oblivionis apud Turonenſem exempla, de quibus affatim vir optime doctus Quatremarius, aliique, forſan proferentur, cùm ejus decantata pericope, quæ lapis eſt offenſionis, expendetur. Interim incumbit proſequi quid Cointius & Mabillonius de Theodechilde ſentiant, ut palam ſit, quantùm in ancipiti ludant magiſtri noſtri & ſcientiarum coryphæi.

R. P. Carolus Cointius tomo 2. Annalium ad annum 564. Chlodovæo magno concedit filiam nomine Theodechildem, ſed quæ patre ſuperſtite nupſit, inquit, regi Varnorum, non alia ratione ductus, quam Gregorii Turonenſis ſilentio, qui agens de matrimonio Clotildis alterius filiæ Chlodovæi: *Nullum de Theodechildis conjugio verbum habet, nec ulla tanti ſilentii occurrit ratio, niſi quod hæc prius à Chlodovæo patre tunc ſuperſtite elocata eſſet.* At ſi ſiluit Gregorius Theodechildis nuptias, certe ex famoſiſſima Diſſertatoris regula & ſequacium ejus, nullum fuit ejus conjugium; & quo auctore potuit illud aſſerere Cointius? Citat quidem Procopium, qui ſororem Theodeberti dicit nupſiſſe regi Varnorum, ſed non ait ejus amitam fuiſſe, ut vellet Cointius, & ſcribendum eſſe contendit. Sed mero Cointii voto, cui nulla ſcriptorum æqualium ætati Techildis,

aut certe ſupparium ſuffragia ſuccurrunt, nuſquam ruet fides chartarum noſtrarum, quibus ejus cœlibatus aſſeritur. Interim notandum occurrit ex hoc celeberrimi auctoris teſtimonio plurimùm roboris accreſcere Diplomati Chlodovæi, contra quorumdam ſcrupulum, cauſantium nondum per ætatem Theodechildem virginem ſui compotem fuiſſe, & emittendi voti capacem, cùm ejus pater ab ea requiſitus teſtamentum illud ſcripſit pro fundatione cœnobii Vivi: quam tamen Cointius non nubilem ſolùm, ſed nuptam aſſerit, vivente patre.

Oppones eam quam dicit monaſterii Senonenſis fundatricem filiam Chlodovæi non fuiſſe, ſed Theodorici ejus filii, ut mox dicetur. Mihi perinde eſt. Non difficilis erit victoria pro Techilde Chlodovæi filia, cùm ex præmiſſis tùm ex dicendis: ſed non levis illa tanti ſcriptoris conceſſio pro ætate virginis, tùm valida & capace actuum liberorum, patre ſuperſtite, quod obiter advertere licuit.

Aliud admittit Cointius, & in quo Diplomati favet, ſed à Sanmarthanis, male pœnitentibus, & quibuſdam aliis diſſentit. Primùm ſcripſerant illi pro cœlibatu noſtræ Theodechildis; at lecto Fortunati carmine in quo de ea ſcriptum putant: *Cum ſis prole potens &c.* putarunt illam vere nupſiſſe, ut jam ſupra monuimus. Cointius vero & (ô mirabiles ingenii humani flexus, & mæandros, ludicramque mortalium ſortem) ex eodem carmine rectius cenſet Theodechildem illam Vivianam, quam Theodorico vendicat cœlibem fuiſſe, & hæc verba, *Cùm ſis prole potens*, ſic explicat, *ut clariſſimo loco nata prædicetur, & ad majores unde originem traxerit, non ad liberos quos ediderit, nomen prolis referendum ſit. Sicut apud eumdem Fortunatum, quæpiam dicitur barbarâ prole, quod barbaris parentibus nata eſſet.* Ad alium locum de eadem, & ejuſdem Fortunati, aut non advertit Cointius, aut oppidò ſprevit.

Inclyta progenies genitali luce coruſcans
Hic properante die Theodechilda jacet.
Cui frater, genitor, conjux, avus atque priores
Culmine ſucciduo regius ordo fuit.

Qui locus miſere torſit Cotronium in chronico MSS non advertentem lege metri *Conjux* pro *Mater* Fortunatum ſcripſiſſe. Qua motus difficultate tandem putavit, verſus illos Fortunati ſolùm ſpectare Theodechildem illam filiam Suavegothæ reginæ, de qua Flodoardus cap. 1. libri 2. Hiſtoriæ Remenſis

Digitized by Google

Eccleſiæ ; ſed alterius Theodechildis virginis, quæ Senonis vixit, & obiit, proprios eſſe conſtanter aſſerit cum Valeſio Cointius, nec diſſentit Mabillonius mox adducendus : nam ad eumdem annum 564 fatetur alludere Fortunatum in hoc diſtyco ſui carminis pro Theodechilde virgine, uti jam ſuperius retulimus,

Eccleſiæ ſacræ, te diſpenſante, novantur,
Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.

» [Ad cœnobium quod Theodechildis in conſpectu Seno- » nenſis urbis, ad inſtar illius quod Chlodovæus prope Pari- » ſios conſtruxerat, in honorem ſanctorum Apoſtolorum ædi- » ficavit ; & ut ſub ſancta religione & abbatis imperio mona- » chi cunctis diebus Deo ſervirent, inſtituit ; corpuſque ſuum » ibidem ſepulturæ tradere mandavit. Quidquid vero citrà Li- » gerim in Francia, vel ultrà Ligerim in Aquitania ſive de » poſſeſſo, ſive de acquiſito habere potuit, eidem monaſterio » ſub titulo teſtamenti contulit.] Hæc Cointius, quibus in rem noſtram nihil melius, & pro tuendo regio Diplomate (à quo ſolò potuit illa deſumere) nihil præſtantius afferre potuit. Ut hinc videas cum veteri Francorum hiſtoria novam cohærere, nec fictitia eſſe, quæ pandimus cœnobialium rerum inſtrumenta, nec recens ad fumum exarata, quæ vir eruditiſſimus ex profeſſo ſcribens in ipſis rigoroſæ criticês palæſtris, nec in monachos ſua ſponte propenſus, ſuo calculo probavit, & in Annalibus ſuis ad firmamentum & decus inſerta voluit.

Diſſidentium agmen claudet Mabillonius, qui tamen apud omnes pacificus ſemper audiit : Chlodovæo Theodechildem filiam abjudicat, nec aliam à Clotilde, quæ Amalarico Viſigothorum regi nupſit, videtur agnoſcere : noſtram vero, quæ Senonis Deo ſe ſuaque dicavit, Theodorico natam exiſtimat natu majori inter filios Chlodovæi, cujus nomine ſi Diploma controverſum inſcriberetur, in eo cuncta ſarta tecta manerent, veroque parente gauderent Vivi cœnobitæ. Is eſt Mabillonii ſenſus in obſervationibus prævііs ad vitam ſancti Ebbonis archiepiſcopi Senonenſis, parte prima ſæculi 3. Actorum, &c. Sed in quo diſſidet ab Hadriano Valeſio, Launoio, & forſan Cointio (qui poſtremus regiam filiam agnoſcit virginem, devotam tacet) veriſimile putat quod ſe Chriſto ſacraverit, & forte ſolemni voti nuncupatione, ſi divinare liceat. Sic ipſe » ſcribit. [Monaſterium ſancti Petri in quo monachum induit

Ebbo, ſitum in villa, ſeu vico qui dicebatur *Vivus*, in ſuburbio Senonenſi, condidit Theodechildis, ſeu Techildis regina; locupletarunt Baſolus Arvernorum comes, & ipſe ſanctus Ebbo cum ſororibus duabus...... Et iſte locus ſanctorum præſulum Senonenſium conditorium fuit. Theodechildem monaſterii auctorem, alii Chlodovæi magni, alii Theodorici ejus nothi filiam; alii virginem, alii nuptam dicunt. Illud certum duas id nominis fœminas eodem tempore vixiſſe, unam regiæ ſtirpis, aliam Opilionis filiam, Chariberti Francorum regis concubinam, de qua Gregorius Turonenſis Epiſcopus in Hiſt. lib. 4. cap. 26. Venantius Fortunatus duobus in locis agit de Theodechilda regina, nempe in libro 4 cap. 25 ſcribit epitaphium Theodechildæ reginæ, & in lib. 6. cap. 5 carmen habet ad Theudechildem reginam. Utrubique eamdem ſignari exiſtimat Hadrianus Valeſius in lib. 7. Rerum Francicarum, cenſetque eam fuiſſe Theodorici primi filiam, Hermigiſdo Varnorum regi nuptam, eam ſcilicet quam Suavegothæ reginæ filiam vocat Frodoardus in Hiſt. lib. 2. cap. 1. Carolus Cointius è contrario ad annum 564. opinatur duas à Fortunato ſignari Theodechildas, unam Chlodovæi, alteram Theodorici: eâ ductus ratione, quòd Theodechildis cujus epitaphium ſcripſit Fortunatus, ſi Theodorici ex Suavegotha conjuge fuiſſet filia, dicenda foret ſupervixiſſe Gregorio Turonenſi epiſcopo, cui tamen Fortunatus carmina ſua nuncupavit. Mihi ſane una eademque utrubique videtur; eadem enim utrubique elogia. Et quidem eam Theodorico natam fuiſſe, illud ſatis probat quod Nunninus Arvernorum tribunus Theudechildæ reginæ tributa reddidiſſe dicitur à Gregorio in lib. de Gloria Confeſſ. cap. 41, ſiquidem Theodorico ac poſtea ejus filio Theodeberto Auſtraſiorum regibus Arverni tum parebant. Nec alia ſine dubio fuit Theodechildis cœnobii ſancti Petri conditrix, quæ Baſolum Arvernorum comitem ob defectionem in vincula conjectum à patre in ſuum ipſius aſceterium excepiſſe fertur. Totidem enim annos, id eſt, ſeptuaginta quinque ætatis tribuit ei Clarius cum aliis, quot Fortunatus Theodechildæ reginæ in epitaphio, in quo templorum Domini cultrix appellatur. In alio carmine haud obſcure Fortunatus meminiſſe videtur Baſilicæ ſancti Petri:

Eccleſiæ ſacræ, te diſpenſante, novantur

Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.

„ Porrò epitaphium Theodechildis à Fortunato ſcriptum lon-
„ ge aliud eſt ab eo, quod hactenus in ſancti Petri Baſilica
„ Senonica legitur, tametſi Clarius iſtud æque à Fortunato
„ ſcriptum eſſe credidit.] Et quibuſdam interjectis de ſororibus
„ ſancti Ebbonis. [Ebbonis ſorores iſtic ſanctimonialium ſeu
„ devotarum vitam egiſſe, immo fortaſſe & Theodechildem,
„ uti aliæ alibi paſſim, veriſimile eſt.] Hæc omnia Mabillonius; cujus & cæterorum ſententiis inter ſe collatis, quantùm ſpectat ad Theodechildis ſtatum, colligere licet, quàm miſere ſciſſa ſint novæ critices oracula, & quantùm à veri tramite aberretur, cùm repudiatis rerum originibus, aut in ſuſpicionem adductis, quiſque ſuo ſenſu abundat. Dum ſic pugnant nobiliſſimi pugiles, ut de palma nullus alteri ceſſum eſſe velit, quid rationi magis conſentaneum eſſe poſſit, quàm ut Diplomati, à quo omnes hauſere, & quod à mendis Amanuenſium (ſi quæ ſint) & ſcrupulis minus bene ſentientium vindicabitur. Infra ſua fides integra maneat, in qua labefactanda nulli conveniunt, & cui ſtabiliendæ vel inviti ſuffragantur.

Siquidem conſentiunt Valeſius, Cointius, Mabillonius, & Sanmarthani, præter alios Diplomatis ſtudioſos, & infra laudandos, conditum à Theodechilde cœnobium Vivi prope Senonas. Habemus ex Cointio conditricem illam, virginem fuiſſe, & Fortunati carmine celebrem. Cenſet Mabillonius *veriſimile eſſe* quod ſanctimonialis, ſeu devota fuerit juxta Baſilicam Vivianam; ut & Ingoariam, & Leotheriam, ſive Mummiam comitiſſas Tornodorenſes, & ſancti Ebbonis præſulis Senonenſis ſorores (quæ tres inclytæ virgines etiamnum jacent in eadem Baſilica) conſtat in extima ejuſdem aſceterii parte cœlibes vixiſſe, & vitæ ſanctimonia claras naturæ ceſſiſſe. Notat etiam Cointius Chlodovæo filiam fuiſſe nomine Theodechildem, nullo certe auctore quàm ipſo regis Diplomate; & cùm eam regi Varnorum elocatam fuiſſe putat, patre ſuperſtite, (quod negat Valeſius) illud ſuo tantùm ſenſu, nulliſque conjecturis aſſequutum eſſe, non renuit ut credamus: & ſic in illo conflictu, in illa veri caligine, & inter tot tantorum ſcriptorum eclypſes ſemper nobis integrum erit genuinam Diplomatis lucem intueri, & cum eo filiam Chlodovæo, filiæ cœlibatum, & utrique cœnobii Viviani natales aſſerere. Præterea conveniunt omnes Baſolum ducem Aquitaniæ, & comitem Arvernorum,

Digitized by Google

ut ſupra oſtenſum, ob crimen perduellionis, à patre Techildis Senonis in carcerem conjectum, & tandem libertate donatum precibus virginis, ſuis opibus cùm fiſco addictis, tùm ſponte legatis familiam Vivianam auxiſſe, & cellam Mauriacenſem fundaviſſe. Iterùm conclamare licet nullum hujus hiſtoricæ veritatis ſcriptorem extare, præter Diploma de quo quærimus, & aliud inſtrumentum donationis à Theodechilde factæ; & cùm utrobique pro parente virginis Chlodovæus agnoſcatur, nulloque nitantur in contrarium argumento (quod mihi ſit palam) qui ſecus opinantur, jure nemo inficiari poterit ſtandum potius eſſe primigeniis chartis, & ſaxis clamitantibus, quod tàm ſæpe refricare pudet, quam nuperis auctoribus veterum aſſenſu deſtitutis, ſola ſui celeberrimi nominis fama munitis, & quod majus eſt, ſecum pugnantibus.

Sed num miraberis Mabillonium, quod ſibi jejune miniſtret, & opima nobis analecta relinquat? Unicum ſibi, & quidem palmare momentum adſciſcit, ut Theodechildem Theodorico genitam perſuaſum habeat, quod ſcilicet Nunninus Arvernorum tribunus Theudechildæ (quam noſtram putat) tributa reddidiſſe legatur apud Greg. Turonenſem cap. 41 libri de Gloria Confeſſ. & quod tùm parerent Arverni Theodorico & ejus filio Theodeberto. Quid jejunius? A quo habet Mabillonius ſubſtitutam fuiſſe á Theodorico parente Theudechildem, ut ei deinceps Arverniæ tributa penderentur? Chartham proferat, aut ſcriptorem, qui ceſſionis hujus alicubi meminerit. Si nondum domita ſub Chlodovæo fuiſſet Arvernia, tantillum aliquid ſuadere poſſet doctiſſimi viri effatum. Sed poſt cædem Alarici, quem ſingulari certamine Chlodovæus confodit, certum eſt Arvernos victori paruiſſe, nec extrema belli expertos fuiſſe, ut inter alios qui veteribus adhæſere, Robertus Gaguinus in Chlodovæo primo nos docet his verbis: *Hanc victoriam*, de Alarico, *Chlodovæus mox inſigniorem reddit, Theodoro * filio cum exercitu in Narbonenſem provinciam miſſo; quo duce ea pars, quam nunc Occitanam linguam vocant: ipſos præterea Arvernos patri audientes fecit.*] Et Paulus Æmylius itidem in Chlodovæo. [*Arverni amiſſo in acie Vogladenſi, Apollinare duce, Sidonii Arvernorum epiſcopi conſanguineo irritati poſtremi omnium ſe Ludovico tradidere.*] Qua in acie ferocius præ cæteris inſtans Baſolus noſter, Aquitaniæ dux, ſed comprehenſus, vinctus Senonas ducitur, bonis omnibus fiſco addictis, quæ ſui

* Theodorico.

Digitized by Google

juris erant, cùm apud Aquitanos, tùm apud Arvernos, quæ cùm paulò poſt Theodechildi tradita fuerint à Chlodovæo patre publicis illis codicillis ſuperius relatis, non mirum ſi Nunninus ille Arvernorum tribunus Theodechildi tamquam dominæ tributa, vectigalia, cæteraque clientelaris juris munia, ſive onera penſitarit: nec in rem noſtram aptius, & pro Diplomate præſtantius edicere poterat Mabillonius. Stet igitur ipſo, quamvis invito, docente villas & dominia quæ Baſoli erant apud Arvernos, & Aquitanos regiæ proli, & Chriſto nupturæ in dotem ceſſiſſe à patre Chlodovæo, non ab ejus fratre Theodorico.

Nolim tamen inficias ire gratiam armaque fratris ſibi forſan auxilio fuiſſe, cùm poſt mortem Chlodovæi quidam in Arvernia, & tractu Bituricenſi rebellarunt, ſi in bona Techildis, aut ſubditos ejus graſſatum fuit à perduellonibus, quibus compeſcendis ocius affuit Theodoricus major, ejus frater. Nam de Theodorico juniori, ejuſque fratre Theodeberto, qui anno tantùm 596 regnare cœperunt, mendum eſt in codicib. MSS, vitæ ſancti Fidoli abbatis Trecenſis, ut ſapienter monuit clariſſ. vir Hadr. Valeſius lib. 7 Rerum Francicarum. Nec enim ad hanc ætatem pervenit Theodechildis, nec ejus frater Thedericus major, qui obiit 534: nec ipſe Gregorius Turonenſis, quem Acta Fidoli ſcripſiſſe aiunt bellum Arvernicum à Theodorico minori confectum, ut volunt, potuit illud deſcribere, qui biennio ante deceſſit (anno videlicet 594 quàm regnaret iſte Theodoricus: ſaltem illo anno menſe Martio ſcribere deſiit.

Non magis urgent quæ Mabillonius affert de ætate ſanctæ Theodechildis à Fortunato celebratæ, nec ſatis aſſequor cur hìnc argumentum eliciat, ut probet eam Theodorico genitam; iterum enim mihi ſubſidium parat pro filia Chlodovæi, quam totidem annis virginem vixiſſe conſtanter aſſerunt omnes membranæ noſtræ, & veteres Chronologi rerum Senonicarum, ſolo Tavello excepto, qui eam ad octogeſimum annum perveniſſe ſcribit incautius.

Præter tot textus ſuperius in 1, 2, 3, & hac quinta ratione, pro ut res exigebat, allatos, quibus perſpicui fiunt natales, & cœlibatus Techildis, Chlodovæo patri conſtanter aſſertæ, quod unicum avebat Sirmondus; habes adhuc in chronico MSS Gaufridi de Collone tabula 7, fol. 47, verſo, quæ ſequuntur.

[Miſit

Digitized by Google

[Miſit autem ſancta Theodechildis nuntios cum legatis "
fratris ſui Chlotarii regis illuſtriſſimi Francorum, ad prædi- "
ctum ſanctum Felicem (Papam) pro reliquiis Apoſtolorum & "
Martyrum obtinendis. Cujus preces ſuſcipiens ſanctus Felix, "
quod mandaverat ipſa virgo & rex per nuntios, ſtuduit ad- "
implere. Suſceptas verò ſacras reliquias prædicta Theode- "
childis, juſſit in monaſterio ſancti Petri reverendiſſime con- "
ſervari. [Eadem ad verbum in lib. de ſacris Reliquiis an- "
no 1293.

Sedit ſanctus ille Pontifex, qui proxime ſancto Joanni ſucceſſit, ab anno 526 ad 530. Sacræ illæ ſanctorum Apoſtolorum reliquiæ continebantur in ſcrinio ex ære confecto, cujus plurimam partem nondum ſua vetuſtate prorſus conſumptam vidi ipſe uncialibus litteris ſic inſcriptam:

[Sanctus Petrus, ſanctus Joannes, ſanctus Andreas,
Sanctus Bartholomæus, ſanctus Simon, ſanctus Jacobus,
Capſam ſanctorum, ſacra concio Diſcipulorum,
Sancti ſanctæque venerantur, & hîc & ubique,
Et picturatur ſic, ſemper eos comitatur
Eccleſia ſancti Petri.] Cætera deſunt.

Et in tabula 11, fol. 52. [Illis temporibus Chlotarius ſolus "
regnabat in Francia, filius Chlodovæi primi. Et illo tempore "
ſoror ſua germana ſancta Theodechildis obiit. In monaſterio "
ſuo ſancti Petri Vivi ſepelitur.] Ab anno 558 ad 561 monar- "
cham regnaſſe Chlotarium volunt quidam peritiâ temporum illuſtres: alii anno 564 fatis conceſſiſſe perhibent ex ipſius epitaphio, & chronologico charactere, Concilii Lugdunenſis, *anno 6 regni glorioſiſſimi Guntrhamni regis, Indict.* 3. qui fuit etiam idem ſextus annus regni Chariberti, filii Chlotarii. Alii ſecus opinantur: quibus omnibus favet Gregorius Turonenſis, leſbia regula noſtris Chronologis: & hinc vix certam habebis metam vitæ Theodechildis quam tamen fratris ſui Chlotarii ultima fata non exceſſiſſe, innuere videntur auctores Senonici veteres & moderni. Huic parærgo indulgebit lector. Verùm ſi vixit illa 75 annis, uti colligitur ex epitaphio ſibi à Fortunato Pictavienſi conſcripto, & ex Clario & Gaufrido Vivi cœnobitis, ſerius eam obiiſſe neceſſe eſt.

Cæterùm licet præmiſſa plus æquo ſufficiant ad probandum Theodechildem filiam fuiſſe Chlodovæi primi, & virginem permanſiſſe; ut tamen copioſius fiat ſatis Sirmondo quondam

Digitized by Google

perplexo, & hoc ſolo ſcrupulo laboranti, ne Diplomati totus acquieſceret, alios proferam, quibus rerum noſtrarum cura non intima fuit.

Bernardus Odonius in rebus geſtis Hormiſdæ Papæ : *Per idem tempus floruit Theodechildis filia Chlodovai, virginitate pariter & pietate famoſa.* Robertus Cœnalis Epiſc. Abrincenſis » lib. 1. de re Gallica, perioche 12. [Protulit, Chlodovæus, ex » ſe filiam caſtitate inſignem, Parthenoniſque apud Senonas » fundatricem, quæ ob vitæ integritatem, ac pietatis conſtan- » tiam apotheoſim apud poſteros piorum omnium conſenſu promeruit.] In Annalibus Gabrielis Bucelini ad annum 552. » [Hoc anno ſanctus Clodoaldus Clodomiri Aureliorum re- » gis filius, & ſancta Tichildis ſive Cheudechildis Chlodovæi » magni filia cucullo dignius, quàm auro & purpurâ exſplendu- duere.] Breviarium vetus ſanctæ Genovefæ Pariſienſis ubi de ſuſceptis ex Chlotilde regina filiis Chlodovæi, addit: *Chlotilde filia, Amalarico Vviſigothorum regi Arriano nupta, & Sichilde ad divum Petrum Senonenſem moniali.*] Vetus Chronicon abbatiæ des Eſcharlis. [*Per id tempus florebat Theodechildis Chlodovæi regis filia virginitate pariter & pietate famoſa. Hac in conſpectu Senonis cœnobium ſub honore Apoſtolorum conſtruxit.*] Nicolaus Gilles in Annalibus Franciæ. *L'une des filles de Clovis nommée Clotilde fut mariée à Amalaric Roi des Viſigoths: & l'autre nommée Techilde vêcut en virginité en l'Abbaie de ſaint Pierre de Sens, qu'elle fonda.* Joannes du Tillet in Chronicis : *La ſeconde fille de Clovis nommée Sichilde, fut Religieuſe.* Eadem habet Andreas du Sauſſai Epiſcop. Tullenſis in Martyrologio, ad diem 3. Junii, quam & divinos honores conſecutam ait, cum ejus matre Chlotilde. Joan. Cheſneau lib. 3. cap. 1. hiſt. Bituricenſis : *Clovis avoit deux filles, l'une fut Clotilde, &c. l'autre nommée Sichilde, fut Nonnain.* Luculentum eſt hac de re teſtimonium Antonii d'Yeſpez abbatis Valliſoletani in Chronicis, &c. cui conſcribendo prolixior eſſem.

Scio nuperum aliquem, ſed nullius antiquitatis ſcientem, huic iterum chartæ Vivianæ durius infenſum ex cœlibatu Theodechildis, & virginitatis ſacramento publice dato, quod virgini regiæ male aſſutum putat. Inſcitiam ejus clamant omnes fere Chriſtianarum gentium hiſtoriæ, ſacra item Eccleſiarum Dipthyca, Actaque Conciliorum non pauca. Unum hîc ſufficiat Concilii Valentini 2. quod anno 584 æræ Chriſtianæ celebratum fuit,

in quo de filiabus Gunthramni regis hæc habentur. [Quia « prædictus rex (Gunthramnus) per virum illuſtrem Aſclepiodo- « tum Referendarium, datis ad S. Synodum epiſtolis ſuis injun- « xit, ut quodcumque tam ipſe quàm jugalis ſua Auſtrechildis « regina, vel filiæ eorum Deo ſacratæ puellæ, id eſt bonæ me- « moriæ Clodebergis, vel Chlodechildis locis ſanctis contuliſ- « ſent, aut adhuc conferre decreverint, &c.] «

Hanc laureâ virginitatis decoratam non ſemel agnovit publico chirographo ſuo illuſt. D. de Gondrin Senonenſ. Archiepiſcopus, vir emunctæ naris, & nullibi ſua ſponte propenſus in paſſim obvia veterum inſtrumenta, niſi ſuâ & peritorum acie probata. Primum anno 1660, die 30 Julii in pontificio Diplomate pro tranſlatione & publicis honoribus oſſis è corpore deciſi ejuſdem ſanctæ virginis, & à monachis ſancti Petri Vivi Mauriacenſibus in Arvernia conceſſi. Tùm in Litaniis Proceſſionalis Diœceſeos ſuæ à ſe novis ſtudiis accurati & impreſſi anno ſequenti 1661, in quibus cùm prolixioribus tùm brevioribus ſancta virgo Theodechildis, ſive Techildis in ordine Virginum recenſetur.

Juverit adhuc adnotare quod fidem Diplomati non denegat Mabillonius, ſi loco parentis Theodoricus filius inſcribatur, ut jam præmiſimus. Cui reponi poſſe videtur, diſtributis in tetrarchias Galliis poſt mortem Chlodovæi, vix credi poſſe liberum fuiſſe Theodorico Auſtraſianorum regi, cui Burgundia, Aquitania, Lemovices, ſive Galvadanicus tractus cum Mauriacenſi, & ipſa propemodum Lutetiæ ſuburbana non obtigerant, diſponere pro ſacra dote Theodechildis de tot villis & prædiis (de quibus Diploma controverſum) in diverſis illis provinciis adhuc extantibus, & à monachorum de Vivo jure penuque nondum hac ætate diſtractis. Hæc enim tot bonorum conceſſio, & in variis fratrum ſimul regnantium territoriis ſitorum, regem monarcham, qualis tùm Chlodovæus, non tetrarcham qualis Theodoricus, decebat. Scio Burgundiam totam priori non paruiſſe, cujus partem adhuc occupabat Gundebaldus, & poſt eum filius ejus Sigiſmundus à Chlodomiro merſus prope Aureliam: nec me latet expugnatam tandem fuiſſe à Childeberto & Chlotario, arma ſuadente matre Chlotilde, & paternum ſanguinem ulciſcente. Verùm Chlodovæo jam ceſſerat Ciſararica Burgundia (cujus Senonæ nobiliſſima portio, doſque profectitia Chrotildis) nec à repetendo quod reliquum

Digitized by Google

erat, vacaſſet, niſi ſecus illa ſuaſiſſet, ut habet Paulus Emy-
» lius in Chlodovæo; vir rerum noſtrarum ſcientiſſimus [Chlo-
» tildis regina non hominis (Gundebaldi) ſed nominis, patriæ-
» que commiſeratione, ut apud ejus gentis ſcriptores invenio,
» adducta ſimul pudore, quod ejus dos belli cauſa prætende-
» retur; bellum tollere conata, à ſuiſque prædocta, ita regem
» maritum alloquuta eſt. : *Jam dimidiam Burgundiæ partem Rex obtines, ſatis amplum in præſentia præmium, & virtutis & felicitatis tuæ, &c.*]

His omnibus æqua lance perpenſis nulla deinceps Diplomati fieri poterit injuria, quòd Theodechildem exhibeat Chlodovæi filiam, ipſamque cœlibem, & Chriſto devotam. Faxit Deus, ut pari facilitate cætera diluantur objecta, quæ varii ſunt generis, uti nec una eſt criticorum indoles & ſenſus. Singula ſingulis reſponſionibus expendemus.

OBJECTIO PRIMA.

Nullæ Privilegiorum Chartæ ante Dagobertum regem.

DAniel Papebrochius eruditus S. J. Theologus, qui edendis Sanctorum Actis ſedulus incubuit, in Propylæo ſuo ad Aprilis tomum 2. num. 125, uno impetu omnes ſe deſtruxiſſe membranas putat, dum ait nullam apud Gallos ſcripturam uſui fuiſſe in transferendis prædiis, aut concedendis pri-
» vilegiis ante annum 622, aut circiter. [Et quidem, inquit,
» in toto Franciæ regno nullam ejuſmodi chartam ſinceram,
» ac genuinam reperiri ante regnum primi Dagoberti: pauciſ-
» ſimas autem ſub illo, ac poſt illum uſque ad ſecundæ ſtir-
» pis reges ſcriptas haberi, quæ vel autographæ dici poſſint,
» vel ex autographis fideliter deſcriptæ.] Pontificias pari ſtylo lancinat, quæ ſeptimo ac præcedentibus ſæculis emerſerunt.

Ipſi non impune fuit apud eruditiſſimum Mabillonium in illo ſtupendo opere, de Re Diplomatica, quod totius orbis bono vulgavit, & edidit Lutetiæ anno 1681. Ubi ex pluribus Merovingicorum, ſeu primæ ſtirpis Chriſtianiſſimorum Regum Chartis, & Diplomatibus authenticis, & eorum ſpeciminibus periti ſſime delineatis, contrarium egregie probat; ejus ſunt verba
» lib. 1. cap. 3. [Apud Gallos à Chlodovæo magno primo Chriſtia-
» no Francorum rege, ad ejus poſteros nullum fere extitiſſe Fran-
» corum regem, à quo Diplomata in gratiam monaſteriorum

condita non fuerint; itaque ex Gregorio Turonenſi de primis «
Regibus cônſtare.] De Chlodovæo 1. inſignis eſt locus, à «
Mabillonio non relatus, apud auctorem Anonymum vitæ ſancti Maximini, qui ſcribebat ſæculo ſeptimo. Extat in codice MS. Bibliothecæ Floriacenſis, & in ſchedis clariſſimi viri D. d'Herouval. [Quia ætas mihi (Euſpicio) emenſa non mul- «
tos promittit annos, & famuli veſtri nepotis mei Maximini «
induſtria, animique devotio meliora de ſe ſperare ſuadet, «
peto ut agrum Mitiacenſem ei liberalitas veſtra concedat, «
parvulamque poſſeſſionem quæ vocatur Cambiacus, ſimulque «
aliam quæ vocatur Litimiacus, quatenus...... His auditis «
rex (Chlodovæus) libentiſſime annuit, & petitis venerabilis «
viri aſſenſum præbere judicavit. Ideoque accitis commenta- «
rienſibus, & notariis publicis ſolemnes ordinatæ, atque con- «
ſcriptæ, vel confirmatæ ſunt conſcriptiones, adhibitis ſignis «
atque ſigillis ſub nomine beati Maximini, &c.] Et quod attinet ad ſigilli appoſitionem, ſcitè monet Mabillonius cap. 16. lib. 2. priſcos reges Meroveadas in ſigillis imprimendis uſos eſſe ſuis annulis, in quibus nomen ſuum in circulo cum imagine deſcriptum exhibebant, uti Childericus pater Chlodovæi magni, cujus annuli duo, unus aureus totus, alter ex ſaphiro ejus præferunt imaginem, & ad hanc uſque diem conſpicui. Bertoldus in altera ſancti Maximini vita, quam Jonæ Aurelianenſi nuncupavit, referens donum à Chlodovæo factum de prædictis duobus prædiis in gratiam Euſpicii & Maximini, illud codicillis firmatum pariter aſſerit his verbis : *Vt tamen huic regio dono perpes maneret memoria, chartæ mandatum eſt ſub nomine Regis, ac beati Maximini.* De fundatione cœnobii Miciacenſis à Chlodovæo nulla umquam fuit inter eruditos controverſia.

Plures alios contra Papebrochium citat auctores vir mirabilis, qui ante ſæculum 11 (quo falſa Diplomata vulgari cœpiſſe putat ille) ſcripſerunt; quibus recenſendis ſuperſederem, ſi Diplomaticum opus omnium eruditorum manibus, ut votis, obvium eſſet. Paucos igitur ex eo ſeligo, quantum tutando Chlodovæano Diplomati ſatis erit.

Scio chartam ipſius Chlodovæi pro fundatione cœnobii ſancti Joan. Reomaenſis, certis Chronologiæ notis conſignatam, cuidam nupero, ſed in ſcientia temporum peritiſſimo, aliunde diſplicere, ex formula ſcilicet tunc ætatis ſatis ignota: ſed cùm eam Jonas Abbas in libro de Miraculis ejuſdem ſancti ante an-

Digitized by Google

nos mille teſtis oculatus laudaverit ; ſaltem contra Papebrochium locum obtinebit. Sic porrò Jonas de Joanne. [Quanto jam honore, ac veneratione regum Francorum, atque nobilium fulciretur virorum, ambigit nemo, qui beneficia ab ipſis Regibus præſtita per præcepta chartarum, quæ uſque nunc in publicis archivis prædicti condita ſunt monaſterii, relegere cupit.] In litteris Theodorici Auſtraſiorum regis, Chlodovœi magni filii, pro ſancto Fridolino Abbate apud Bollandum tomo 1. Martii, ex Bathero ſæculi noni monacho, & ex antiquiori ſcriptore referente, inſulam Sexingenſem accepit : *Per chartam ſuæ manus obſtipatione firmatam.* Et Childebertus ejus frater: *Accerſito ſcriptore, jubet ſcribi ſuper dominium, quod vir ſanctus (Marculphus) petiverat, regale teſtamentum* ; ut habes pag. 130, & 133 ſæculi primi Benedictini. Notiſſimum illud de Chlotario etiam Chlodovæi primi filio, in ipſa exequiarum pompa corporis ſancti Medardi Epiſcopi Noviomenſis : *Accito commentarienſe, juſſit conſcribi tomum annulo proprio roborandum ; ut ſancti viri corpus humi defixum inde efferre poſſet.* Verùm media tantùm Croviaci vici parte conceſſâ, quem Medardus integrum avebat, cùm humi corpus adhuc hæreret : *Reaccerſito commentarienſe, factaque more ſolemni donatione, fiſcum cum omni integritate conſcriptum, ac impreſſione proprii annuli ſignatum, delegavit Sancto (Chlotarius (perennibus ſæculis poſſidendum.* Hæc auctor tempore Caroli Calvi.

Nec has Merovingicorum regum ſcripturas ſiluit ex toto Gregor. Turonenſis, cujus ſilentio, quaſi læto celeumate, perperam exultat Papebrochius, aliique qui Præſulem illum ſilentem auſcultare malunt, quàm loquentem. Ait enim Chilpericum *teſtamenta, quæ in Eccleſiis conſcripta erant, plerumque diſrupiſſe, ipſaſque patris ſui præceptiones*, id eſt, Diplomata patris ſui Chlotarii ; lib. 6, cap. ultimo, in Hiſtoriis : & lib. 9, cap. 42, referens ſanctæ Radegundis epiſtolam ad præſules Gallicanos, in qua ſe ſuaſque ſorores *de ſubſtantia terrena, quæ poſſidere videbantur factis chartis monaſterio ſuo tradidiſſe* teſtatur: & adducit *auctoritates præcellentiſſimorum domnorum regum Chariberti, Gunthramni, Chilperici & Sigiberti, à quibus donationes ab ſe factas cum ſacramenti interpoſitione, & ſuarum manuum ſubſcriptionibus confirmari obtinuerit.* Et hæc erudito viro, verique ſtudioſo ſufficiant.

Digitized by Google

OBJECTIO SECUNDA.

Initialis Formula.

HIc iterum cum Papebrochio congrediendum, & etiam cum Mabillonio, qui licet priori nobis adverſo non adhæreat, non minus tamen ſuſpectam habet initialem formulam Diplomatis noſtri. Quo jure, paucis expendendum. Prior num. octavo Propylæi Bollandiani, hæc edicit: [Quod attinet ad formu- « lam inſtrumentorum publicorum, *In nomine ſanctæ & indi-* « *viduæ Trinitatis*, ſcribendorum, ea non modo non obtinuit ſub « primæ ſtirpis Regibus, ſed neque ſub Carolo magno cœpit. *In* « *nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſcripta ſunt, quotquot « uſpiam extant ante Carolum indubitata Diplomata. Si qua « aliter inchoata oſtenduntur, fidem non faciunt, ut pote aliis « quoque indiciis ſuam falſitatem prodentia. [Hæc ſtylo de- « creto io, ſed non juridico.

Mabillonius lib. 2, cap. 3 ſui Diplomatici diffinit aliter, & decreto plane contradictorio, ut vocant, & quidem contra eumdem Papebrochium hîc laudatum. [Nemo qui hæc legit in « animum induxerit quidquam hac regula certius afferri poſſe, « quæ tam confidenter ab erudito viro pronuntiata eſt. Sed « neſcio an aliquid in toto ejus Propylæo reperiri poſſit, quod potiori jure revocari queat in dubium, quàm ejus aſſertionis « pars poſterior. Nullum enim in tota prima ſtirpe indubita- « tum Diploma invenio, quod ab hac invocatione exordium « ducat: ſed quotquot vidi genuina, abſolute ſic incipiunt: « *Chlodovæus rex Francorum vir inluſter*, aut conſimili modo.] « Actum certe de charta Viviana, ſi ſtandum eſſet alterius, aut utriuſque placito.

Verùm hîc iterum mirari ſubit, quàm tenuis, & lubrica ſit mortalium fides; quàm incertus in rebus, etiam facti, opinantium ſenſus, & quàm infida peritorum cenſura, in ea præſertim arte, quam humano prorſus ſubeſſe arbitrio conflictus iſte partium oppidò demonſtrat. Nihil detractum volo eruditioni, & bonæ fidei Papebrochii; ſpartam ſuſcepit ornandam, cui chartarum & Diplomatum indubiæ ſenectutis uſus neceſſarius fuit; & quæ legit, ſincere prodidiſſe, certò credendum eſt. Alter ex aſſe doctus, & eximiæ probitatis vir, totuſque Diplomaticus,

Digitized by Google

rem etiam acu tetigiſſe cenſendus eſt. Quid hînc colligere liceat, niſi pene arbitrariam fuiſſe initialium formularum praxim in magnatum Diplomatis pro libitu amanuenſium in utraque ſtirpe, prima ſcilicet & ſecunda Regum noſtrorum; nam in tertia promiſcuus earum uſus nemini non patet. Præter allatas à Papebrochio, & Mabillonio characteriſticas initiales, quæ nihil habent ſibi ſimile, Gretſerus de divis Bamberg. pag. 530 nonnullas profert Sigeberti Auſtraſiorum regis, nec cum prioribus, nec invicem cohærentes: *In Dei nomine Sigebertus rex Francorum vir illuſtris.* Et, *In nomine Domini Dei & Salvatoris N. J. C. Sigebertus, &c.*

Nullum Chlodovæi Diploma exhibet Mabillonius præter Miciacenſe, quod indubiæ cenſet auctoritatis (nec reluctamur) licet plura conſtruxerit monaſteria, & alias inſignes Baſilicas, quarum ſi chartæ primigeniæ, aut earum apographa ſincere collata palam ei fuiſſent, nullus ambigo, quin cerneret pari licentia luſiſſe notarios, aut commentarienſes in initialibus formulis, ut in cætero contextu, & in clauſulis quibus ea finiunt, eo plerumque charactere, quem in aliis inſtrumentis ejuſdem regis nomine conſcriptis non advertas. Ei ſapit Miciacenſe, cujus pericope ad calcem poſita non minus arridet, aliis tamen inviſa: *Sint vobis loco patriæ in perpetuum poſſeſſiones, quas donamus in nomine ſanctæ, individuæ, æqualis, & conſubſtantialis Trinitatis. Ita fiat ut Ego Chlodovæus volui. Euſebius epiſcopus confirmavi.* Si quid certi & indubitati erui poſſet ex illa chartarum congerie, quam affatim ſubminiſtrat ſub quibuſdam aliis Regum noſtrorum dynaſtiis, non minus obſervanda foret uniformitas ſtyli in earum concluſionibus, datis, ſubſcriptionibus, & chronicis notis, cæteriſque formulis, quibus verus earum character dignoſceretur, quam in earum initiis putat per totam primæ ſtirpis ætatem in uſu fuiſſe; qui tamen, ſicut jam monui, unicam nobis exhibet Chlodovæi, pro Mitiacenſibus, cujus extrema tàm abſunt ab aliarum ejus ſtirpis clauſulis, quàm ſol à luna. In Diplomate Chlodovæi junioris, anni 653, ſic clauditur: *Chlodovæus rex ſubſcripſi. Beroaldus obtuli.* Et plures Epiſcopi, aliique ſubſcripſere, quod Cointio diſplicet, ſecùs Mabillonio. Anno 678 Theodoricus filius Chlodovæi aliter ſubſcribit: *In Chriſti nomine Theudericus rex ſubſcripſi. Drochoaldus juſſus ottulit. Datum quod ficit minſis September dies 12, anno 5 rigni noſtri, &c.* In altero ejuſdem anni aliter notarius,

rius, ſeu Referendarius ſub eodem rege. *Achlibertus recognovit. datum medio menſe September, &c.* In ejuſdem placito anni 680 nulla eſt regis ſubſcriptio. Et in præcepto ejuſdem anno 688, nec ejus ſubſcriptio, nec data ulla apponitur. In charta Chlodovæi tertii anno 692, quæ *placitum* inſcribitur, nullà item regis ſyngrapha. Et in altera ejuſdem regis quæ itidem *placitum* nominatur, ſubſcribit ipſe, ſed cum nulla Chriſti invocatione, ut in præcedentibus regis Theodorici. Similes vel alludentis, aut oſcitantis calami diſcrepantias videſis in Diplomatibus Childeberti III. 694, & ſeq. Non minus variant in clauſulis ſuis Chilperici III præcepta. In præcepto Theodorici Calenſis nullus ſubſcribit, & ſola data viſitur, quæ annum indicat 723; & in Diplomate alterius Theodorici ſuperioris, anno 688, regis ſubſcriptio, & data ſeu chronicæ notæ deſiderantur. Et hæc de Merovingis.

Hanc autem Polymitam artem conficiendi chartas originales, & genuinas pro libitu aut captu ſcribarum, non tantùm in earum clauſulis, ſed in ipſarum etiam fronte ſeu primordiis invaluiſſe præſto eſt demonſtrare. Nec ipſe repugnavit Mabillonius ex illis, quarum nobis ſchemata propoſuit, præſertim ſub Carlovingicis, quarum ætate non minor luxuriandi calamo licentia fuit apud amanuenſes, quàm ſub prima Merovingorum dynaſtia. Pauca referam ſtabiliendæ veritati, quam propugno, de arbitraria formularum delineatione, tam initialium, quàm concludentium in Diplomatis regiis. Nec hactenus prodiit ratio cur id licuerit ſub Carolinis, & non ſub Merovingis, quandoquidem in pleriſque luſit utrubique notariorum genius varius & multiplex.

Caroli magni Diploma anni 775, & plura alia ejuſdem ad annum uſque 797, ſic incipiunt: *Carolus gratia Dei rex Francorum, &c.* Ab anno 805, & deinceps: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Karolus ſereneſſimus Auguſtus, &c.* Ludovicus pius anno 822: *In nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus.* Anno 823, ſic: *divina ordinante clementia.* Anno 835: *divina repropitiante gratia.* Pipinus eodem anno: *ordinante divina majeſtatis gratia.* Anno 839: *In nomine ſancta & individua Trinitatis Karolus gratiâ Dei rex.* Anno 858: *In nomine omnipotentis Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. HLotarius divina præveniente clementia rex.* Polymitum notarii calamum miraberis

L

ſub eodem rege Ludovico Balbo, ſub eodem Gaſtino majori Cancellario, & in eodem anno 878, *In nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus miſericordia Dei rex*; &, *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis HLudovicus miſericordia Dei rex*.

Si prædicta non ſufficiant ad probandum, quàm varia fuerit ſcribarum methodus in regiis Diplomatibus concinnandis, plures alios fœcundi calami modulos ſub primis regibus exhibebunt ipſe Mabillonius lib. 2, cap. 3, Dacherius ubique operum, quibus omnium votis tam erudite & abunde ſatisfecit, Perardus, Goldaſtus, Gretſerus, Chiffletius, Baluzius, Labbeus, Cointius, Sirmondus, Puricellus, Ughellus, aliique plures notiſſimæ famæ & eruditionis eximiæ; quibus recenſendis nullum me ordinem ſervaſſe, ſed debitam cuique reverentiam multus profiteor.

Tutam igitur in hac parte à criticorum fulmine chartam Chlodovæi, quæ ſic incipit · *In Chriſti nomine Chlodovæus*, *&c.* cenſebunt omnes, qui multiplices, & magis peregrinas aliorum ejus ævi regum Diplomaticas formas non ignorant. Nec ingratum erit lectori, tàm pro præcedentibus, quàm ſequuturis objectionibus, hîc adtexere quædam monita Mabillonii in cap. ſexto lib. tertii de *Re Diplomatica*, quibus æquitati ſibique cautum eſſe voluit vir ex æquo pius & eruditus.

» Omnibus perſuaſum eſſe debet, me nec omnia huic operi » neceſſaria legiſſe, nec obſervaſſe, ſed multa quantumvis di» ligenti excidiſſe; ideoque ſi quas hîc trado regulas, pro » communioribus eſſe habendas, non interpretandas ſevero ac » ſummo jure. Secundò, magna prudentia, eruditione ac mo» deratione ſumma opus eſſe, ut vetera inſtrumenta legitime » examinentur, nec cuivis illotis manibus id tentandum. Ter» tiò, ſemper judicandum in partem favorabilem, ubi res longa » poſſeſſione firmata eſt, ut leges civiles & canonicæ præci» piunt. Quartò, non ex ſola ſcriptura, neque ex uno ſolo » characteriſmo, ſed ex omnibus ſimul de vetuſtis chartis pro» nuntiandum. Neque enim unum eſt in uno ſæculo unave » Provincia ſcripturæ genus; ſed varia, ut de noſtro experiri » licet: nec poſſunt omnes unius ſæculi ſcripturæ ad amuſſim » repræſentari. Quintò, unum aut alterum defectum, modò » eſſentialis non ſit, legitimis autographis obeſſe non debere; » cùm in ſinceris Diplomatibus nonnullis, quæ vidimus, qui-

Digitized by Google

dam occurrant ejuſmodi leviores defectus, &c. Sextò, hiſto- «
ricorum, aut inſcriptionum teſtimonia legitimis chartis non «
ita præjudicare debere, ut illorum præferatur auctoritas. Si- «
quidem errata non levia auctoribus, etiam æqualibus ſubre- «
punt aliquando, &c. Septimò, additiones Incarnationis, In- «
dictionis, gloſſematum, aliorumque ſimilium, maxime in apo- «
graphis, ſeu exemplis, non officere inſtrumentorum veritati «
&c. Ex his regulis ſapienter dictatis, plura certe Diplomata ſarta tecta manebunt, in quibus aliquando nonnihil advertere licet ex peculiari notariorum indole, aut voluntate principis, ſic ab orbita communi deflectere volentis; quod in aliis chartis ejuſdem ſpeciei & ætatis ut plurimùm non occurrit: & tàm injurioſus erit veritati, qui hæc verba, *In Chriſti nomine Chlodovæus*, in ejus Diplomate controverſo ſuggillabit: quàm chartæ Mitiacenſi (quam ſinceram agnoſcunt) ob ejus clauſulam alibi non viſam: & in qua videtur commentarienſem, aut referendarium conſubſtantialitatis Filii æterni ſtrenuum aſſertorem voluiſſe regis nomen fidei ſuæ obſidem eſſe.

OBJECTIO TERTIA.

Numerus Singularis.

MOvet illam Mabillonius ratus ſub Meroveadis regibus numerum pluralem pro ſingulari in prima perſona conſtanter uſurpatum fuiſſe in regiis chartis, & eorum epiſtolis: ſecus in Chlodovæi Diplomate, de quo quæſtio. Illud habes lib. 2, cap. 6. Quod autem ait Chlodovæum magnum *tùm in epiſtolis, tùm in Diplomatibus ſuis pluralem ſibi numerum tribuere*; cùm unicum ſemper exhibeat Mitiacenſe, in quo non minus ſingularis numerus apponitur, quàm pluralis. *Ita fiat, ut ego Chlodovæus volui*; non ſatis aſſequor cur inde in chartam noſtram inſurgat, nullis aliis fultus Chlodovæanis Diplomatibus. Et in ejuſdem regis epiſtola poſt bellum Gothicum ad Epiſcopos ſcripta, ſic iterum legis in ſingulari: *Orate pro me.* In edicto Childeberti ejus filii, licet plura præceſſerint plurali numero delineata, ſic tamen concludit: *Hoc edictum ego Childebertus regno meo in anno tertio conſtitutum roboravi.* Ex quo colligere licet nullum numerum repudiaſſe reges Merovingos, & utroque ad libitum uſos.

Digitized by Google

Sed ut iterum palam fiat, quantum in lubrico ludat ſcribarum methodus Diplomatica, vidèn ex adverſo Papebrochii ſententiam chartæ noſtræ propitiam, & à Mabillonii ſenſu longius aberrantem. Sic enim ille Propylæi ſui num. 34, ubi aſſerit Dagobertum regem in Sanmaximiano Diplomate de ſeipſo, non niſi in numero ſingulari loqui. [Nec ullum, inquit, hactenus Diploma reperi ſatis ſincerum, quod perſuadeat antiquiorem aliquem regem Francorum, vel ipſummet Dagobertum, aut filios ejus Sigibertum, & Chlodovæum plurali numero uſos fuiſſe in Diplomatis ſcribendis; adeo ut ea loquendi forma credi poſſit primum ſuum initium ſub Dagoberti nepotibus habuiſſe; ſi tamen ſatis certa ſunt etiam illa inſtrumenta, quæ ſub eorum habentur nominibus.] Hoc decretum quod ſupremam in cathedra ſcientiæ ſapit auctoritatem, edictum à viro religioſiſſimæ juxta ac celeberrimæ ſocietati adſcripto, & in antiquitatum ſcriniis verſatiſſimo, dubitare non ſinit, quin plura regum Merovingicæ ſtirpis Diplomata legerit, pariſque cum Chlodovæano conditionis: quas chartas illis opponere licet, quas publici juris fecit Mabillonius; & hînc refricare non pigebit inſinuatum ſuperius Diplomaticum dogma noſtris inviſum criticis, ſed à Mabillonio prudenter admiſſum, ſcilicet periculoſam eſſe veterum Diplomatum criſin, nec temere judicandum in re ancipiti, quæ leſbiam regulam frequentius admittit. Stet igitur arbitrarium fuiſſe illis ætatibus utriuſque numeri uſum, quandoquidem tam multa proſtant utriuſque ritus ſpecimina. Nec extra Diplomatis noſtri fines divagabimur, ut illud probetur. Plura ſunt in illo, quæ ſingulariter Chlodovæus effert, & in illis ſingularem numerum contextus requirere videtur: at ubi regiæ majeſtatis & auctoritatis fulgere debet inſigne, pluralem adhibet, ut ſequitur.

» Præcipimus igitur, atque ſtatuimus idipſum monaſterium, quod » filia mea chariſſima fundare cupit, cum omnibus ad ſe per» tinentibus, ſub noſtra defenſione, atque manuburdia, & hu» jus noſtræ regiæ auctoritatis confirmatione, ab omni ſtrepitu » & judiciariæ poteſtatis impulſione adeo liberum & ſecurum » eſſe decernimus; ut nullus judex publicus, vel cujuſlibet ju» diciariæ poteſtatis auctoritate ſuffultus, in Eccleſias, aut loca, » vel agros, ſeu aliquas poſſeſſiones, quas præſenti moderno » tempore, in quibuſlibet territoriis infra ditionem regiminis

Digitized by Google

noſtri, juſte vel legaliter præfatum monaſterium poſſidere vi- »
detur, vel in ea quæ deinceps ipſius monaſterii dominio de- »
venerint, ad cauſas audiendas, vel freda, aut tributa exigen- »
da, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores, »
aut homines ipſius monaſterii tàm ingenuos, quàm ſervos, »
ſuper ejuſdem terram commorantes, ſua temeritate diſtrin- »
gendos, nec ullas redhibitiones, aut inlicitas occaſiones re- »
quirendas: nec rhedaticos, aut teſoneos, nec rotaticos, ſive »
portaticos, aut ripaticos tollendos, noſtris nec futuris tem- »
poribus ingredi, aut auferre præſumat aliquis: ſed omnia »
ſint ſecura & pacifica pleniſſimâ defenſione, & ſic ea teneant »
ipſi monachi, ſicuti anteceſſores mei reges Burgundionum »
tenuerunt, ſecure & quiete abſque ulla contradictione.] »

OBJECTIO QUARTA.

Res minutæ.

HAnc paucis inſtruit Papebrochius num. 87, & 88 ſui Propylæi, exoſam habens plurium rerum in atomo, qualis in noſtra charta cernitur, confeſſionem. *Tam minuta*, inquit, *appendiciarum omnium enumeratio alieniſſima eſt à tanta antiquitate*, ævi ſcilicet Dagobertini in Lupodunenſi inſtrumento, ejus regis nomine facto vel ficto. Sed hîc à vero deviaſſe videtur vir doctus; nihil enim ſic paſſim occurrit in genuinis veterum inſtrumentis, quam minuta illa bonorum, quæ legabantur, nomenclatura. Marculfus illius ætatis ſcriptor accuratus, non ſolùm inſtrumenta ſui temporis, ſed quæ præceſſerant conſuluit, ut formulas exararet, quas habemus, quarum plurimæ minutiſſimam illam rerum congeriem exhibent. In charta anni 670, pro Parthenone Brogarienſi; quam æri inciſam, tum litteris inſcriptam vulgavit Mabillonius ex autographo Dionyſiano. [De ipſo lucello medietatem volemus, ut »
ad ipſo monaſtirio in ante dicto loco debiat revertere, cum »
domebus, ædificies, accolabus, mancipiis, vineis, campis, ſil- »
vis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus, adjecenciis, »
appendiciis, farinariis, gregis cum paſtorebus movele, vel im- »
movele utriuſque ſexus, & omne meretum eorum ad ipſa loca »
adſpicientes, qualiter ſuperius eſt intimatum, ad ipſum ſan- »
ctum monaſtirium proficiat perennis temporebus.] In auto- »

Digitized by Google

grapho Theodorici regis anni 660 de Latiniaco villa pro Dionyſianis : [Cum terris , domebus, mancipiis , accolabus , viniis , ſilvis , campis , pratis , paſcuis , farinariis , aquis aquarumve decurſibus , peculiis utriuſque generis ſexus , cum adjacentiis, adpenditiis , cum reliquis quibuſcumque beneficiis, omnia , & ex omnibus rem exquiſita. , &c.] Hæc mirabilis antiquitas ſolæcorum & barbariſmorum fœditatibus tuta ſufficere debet Papebrochio , cæteriſque , qui ex quibuſdam chartis à ſe viſis , aut ſibi laudatis, cæteras metiuntur , quaſi unicum fuiſſet apud antiquos ſcriptionis genus & paradigma. Eadem prorſus leguntur in præcepto Childeberti anni 694 , & alio ejuſdem anni 706 , anni item 710. Ea cum pluribus aliis copioſe ſubminiſtrat Mabillonius , apud quem pag. 485 in præcepto Chilperici , & in aliis etiam alibi , eaſdem Diplomatis noſtri voces legeſis : *telleneos , portaticos , pontaticos , rotaticos , vel reliquas redubitiones , quod a judicibus publicis exigetur* , quæ Marculfianam phraſin redolent , & ſinceram vetuſtatem.

Hæ porrò ſingularum rerum minutiſſimæ appendices leguntur etiam in pluribus chartis Caroli magni , Ghiſelæ ſororis ejus, Ludovici pii , Caroli calvi , &c. In quibus etiam legas non abſimiles voces , & Merovingis familiares , quæ occurrunt in Chlodovæano Diplomate noſtro, quæque olim nonnihil negotii faceſſivere erudito viro Cotronio , ſed longioris ævi minus perito.

OBJECTIO QUINTA.

Epocha Diplomatis.

ANno tertio poſtquam baptiſmi gratiam percepi.] Huic objectioni locum dat R. P. Philippus Labbe eruditiſſimus S. J. Theologus in epitome chronologica hiſtoriæ ſacræ & prophanæ , ubi ſentit Chlodovæum Chlotildi nupſiſſe anno tantùm 492 , & ſacris undis ablutum die natali Domini anni 496, & ſic anno circiter 500 , qui eſſet tertius poſt patris baptiſmum, Techildem octennem tantùm , emittendo continentiæ voto non fuiſſe ſufficienter adultam. Sic enim Diploma ſub Chlodovæi nomine. [Anno tertio poſtquam baptiſmi gratiam percepi per manus patris mei Remigii Remorum epiſcopi , & catholice imbutus ſum omnem legem Chriſtianam , reſidente me in urbe Pariſiaca cum uxore mea Crochilde , per cujus exhorta-

Digitized by Google

tionem ad Chriſtianam legem perveni, unà cùm filiis meis « Theodorico, Chodomiro, Childeberto, & Chlotario, cæ- « teriſque proceribus Francorum, venit ante præſentiam meam « filia mea chariſſima Theodechildis, quæ ſe devovit virginem « in Chriſto, poſtulans à me, &c.] Hactenus me latent ra- « tiones Labbei, quibus hanc de ſerius elocata Clotilde chronologiam fulcit: de ſacro mariti lavacro nondum hîc diſputo, quod ſub Anaſtaſio Papa contigiſſe prodit ejus ad Chlodovæum epiſtola gratulatoria, ſi ſit authentica. Non diffitetur tamen Labbeus plures regis nuptiis aſſignaſſe annum 488, & forſan citius; ut colligi videtur ex illius contextu, cùm ait *circa annum* 488. Carolus Cointius, cui non minus patuere vetuſtioris ævi ſcrinia, neceſſariò debet admittere prius nuptam fuiſſe Chlotildem, quàm velit Labbeus. Siquidem tomo 2 Annalium ad annum 564 (quod jam inſinuavimus ſupra) fatetur alteram Chlodovæo magno filiam fuiſſe, Theodechidem nomine, ſed quæ regi Varnorum elocata fuerit, patre ſuperſtite: de cujus tamen conjugio ſilet Gregorius Turonenſis, qui Chlotildis ejus ſororis, Amalarico regi Wiſigothorum in Hiſpania nuptæ, meminit. Lapſum hac in re Cointium non operoſe probavimus, cùm Theodechildis cœlibatus ſuperius fuit aſſertus; ejus tamen opinioni quantùm ad ætatem virginis, conſenſimus; quæ ſtante epocha anni 488, pro nuptiis matris (quæ communior eſt) & anni 497 ab ipſo Chriſti natali incœpti, pro patris intinctione, & elapſi triennii pro primis Vivianæ & cœnobiticæ Baſilicæ deſignis; duodecimum tunc ætatis annum, citra ſcrupulum omnem attigiſſe poterit dici. Et hæc bona fide conceſſa volo, nec vacillabit fides Diplomatis, pene tamen ad incitas acti. Sed qui ad anteriora nuptias Chlotildis matris tantillum reduxerit cum annaliſta Cointio. vel Clarii ſententiam cum pluribus optimæ notæ Chronologis tenuerit, qui baptizatum anno 503 Chlodovæum diſerte ſcribit in chronico apud Dacherium, nihil forte veritati detrahet, & Techildis voto propitius erit.

Sic enim Clarius pag. 705 Spicilegii, tom. 2. [Anno 503 « Chlodovæus baptizatur à ſancto Remigio Remenſi archie- « piſcopo, & quatuor filii ejus, Theodoricus videlicet, quem « de concubina genuit, & Chlodomirus, Childebertus & Chlo « tarius quos ex Chrochilde chriſtianiſſima regina habuit, qui- « que poſt eum regnaverunt: fuit quoque præfato regi, & re- «

„ ginæ filia nomine Techilda, quæ baptizata vovit Deo vir-
„ ginitatem, &c. Gaufridus de Collone in chronico MS, fol. 46. [*Hic fuit primus Chriſtianus è regibus Francorum, à beato Remigio Remenſi archiepiſcopo baptizatus, anno Incarnationis Dominicæ D. & III.* Notat autem Gaufridus de filiorum Chlodovæi baptiſmo quæ ſequuntur. [*Ex qua* (Chrotilde) *genuit filios tres Chlodomirem, Childebertum & Chlotarium, & quamdam filiam nomine Theodechildam. Hos pueros fecit mater, patre adhuc pagano, baptizari.*] Cui inter alios præluxit Flodoardus lib. 1. cap. 13 Hiſt. *Quæ cùm eſſet Chriſtiana, & filios ex rège ſuſceptos baptiſmate conſecrari (marito quoque nolente) feciſſet, etiam virum ad Chriſti fidem perducere conabatur.* Quæ ideo hîc obiter adnotamus contra coactam Labbei ſententiam de nuptiis Chlotildis anno 492, & regis baptiſmo 496, ſi verum ſit quod intra illud temporis ſpatium, quod interjacet, baptizati fuerint filii ab utroque ſuſcepti, ſcilicet Ingomer, qui deceſſit in albis, Chlodomirus, Childebertus, Chlotarius, Theodechildis & Chlotildis.

Variæ ſunt opiniones de anno luſtrico Chlodovæi. E. Card. Baronius putat anno 499 contigiſſe ſub Symmacho Papa; cujus opinionis ſunt Sigebertus, Sebaſtianus Munſterus, Joan. Tielius. Ab his vix differt Aimoinus in fine lib. 1. de Geſtis Franc. ſcribens Chlodovæum regnaſſe 30 annis, & obiiſſe anno Chriſti 514, & ſtante communi ſententia, quod 15 anno regni ſui factus ſit Chriſtianus. Opinantur alii de anno 500, ut Maſſæus, Belforeſtus, Genebrardus, &c. & quam epocham inferunt ex epitaphio ſancti Remigii ab Hincmaro Remenſi conſcripto, ut eſt apud Flodoardum lib. 1. cap. 21. Qui tamen ſincere putabit annos, quos recenſet Hincmarus Remenſis in epitaphio ſancti Remigii à ſe conſcripto, in quo tranſlationem corporis ejus factam ait anno 852, inferet ex hoc diſthico:

Ter centum fuerant tres & deni quater anni,
Quo vita Francos gurgite lavit ovans,

illam contigiſſe 343 anno à Chlodovæi baptiſmate, non 352, ut vellet Colvenerius: quo ſuppoſito Chriſtianus regis annus primus eſſet Chriſti 509, & Theodechildis voto ſuo jurati cœlibatus ſufficienter adulta foret. Si verò præfatus verſus includat 352 annos, quingenteſimus à Chriſto nato, primus erit Chriſtiani regis: ex quo cùm conveniant fere omnes baptizatum fuiſſe anno 15 ſui regni, & 30 annis regnaſſe, corruet epocha

Digitized by Google

epocha Sirmondi, & Labbei, qui anno 511 Chlodovæum obiiſſe plus æquo ſcriptitant. Calculus autem hic qui triennio præcedit computum Clarii & Gaufridi, pluribus arridet.

Favet huic temporum rationi doctiſſimus Quatremarius, veruſque pumex doctrinæ Launoianæ pag. 48 Privilegii S. Germani Pratenſis: *vero proximum eſt, & forſitan omnino verum, ceſſiſſe regno & vita Chlodovæum anno Domini* 515: *conſtare videtur hæc aſſertio ex Procopio, ex Gregorio, Agathia, &c.* Scio Gregorium in definiendis iſtis chronologicis notis alicubi ſibi non conſtare, & à pleriſque contentioſum funem trahentibus, utrinque ſententiarum ſuarum vadem conſtitui; ſive de Martini rebus, quibus impenſe ſtuduit, ſive de Chlodovæi obitu, apud quem nihil certi poſſis eruere, quod in controverſiam non vocetur; ut referre non pigeat (nec divagabimur) quod in hanc rem egregie diſſerit idem Quatremarius pag. 52: [Iſtud in hoc nego- " gotio occurrit mirabile, ut quamcumque viam elegeris, pro " te ſimul, & contra te conſiſtat Gregorius. Si te gravabit una " ejus opinio, ſolabitur altera. Illam porrò præferendam duxe- " rim, in qua fortior ipſe contra ſemet agnoſcitur, ubi nimirum " accedit auctorum æqualium (quales ſunt Procopius & Aga- " thias) ſententia; ubi item alia teſtimonia, & temporum nota- " tiones cohærent ſequacius, velut epitaphium Chlotarii, & " inſcriptio Concilii Lugdunenſis. His omnibus ſuccintus Tu- " ronenſis levabit ſe ſupra ſe, & contra ſe prævalebit.] His tuta " videtur opinio, quæ ſacra vitæ Chriſtianæ encænia Chlodovæi regis ponit anno 500 reparatæ ſalutis. Quâ ſuppoſitâ, ſatis per ætatem Chriſto nubilis foret virgo Theodechildis. Qui cum Clario & ſequacibus ejus baptiſmum differunt ad annum 503, ut ſupra, conſequenter regem aſſerunt obiiſſe anno 518; ſic enim in Chronico MS: [Anno 518 obiit Chlodovæus rex apud Pariſius, &c.] Quam pericopen male ſuppreſſit Amanuenſis Dacherianus, ut Labbeo faveret; & commoda videtur huic aſſertioni charta ejuſdem Theodechildis anno nono fratris ſui Chlotarii conſignata, quæ ſuperius innotuit; quam ideo anno 527 ſcriptam fuiſſe putat Cotronius. Verùm Indictio ſecunda (ſi tùm ſub Meroveadis ejus uſus erat in regiis Diplomatibus) jubet ut credamus datam fuiſſe anno 524, & Chlodovæum obiiſſe primo anno ſedis Hormiſdæ Papæ, & baptizatum fuiſſe deſinente ſæculo quinto. Taceo nonnullas Chronologiæ ſtrages, quas inter ſupereminet illa Margarini de la Bigne in duobus

Digitized by Google

indicibus magnæ Bibliot. Patrum in Mamerto ; ubi, lector, ſtupo-
„ rem contine. [Claudianus Mamercus, ſive Mamertus preſbyter
„ Viennenſis, vel epiſcopus, ad annum 452 (à quo etiam Gal-
„ liarum rex Chlodovæus baptizatur) &c.] & in altero indice
alphabetico. [Secundùm alios etiam floruit uſque ad annum 452, Galliarum regem Chlodovæum baptizavit.] Colvenerius in ſcholiis ad cap. 13, lib. 1 Flodoardi, laudat vetus exem-
„ plar MS [Ab Incarnatione Domini, inquit auctor, ad tran-
„ ſitum ſancti Martini anni quadringenti quadraginta tres ; ab
„ Incarnatione Domini ad baptiſmum Francorum anni quin-
„ genti quadraginta duo. Ab Incarnatione Domini uſque ad
„ tranſitum Chlodovæi anni quingenti quinquaginta ſex] Et hinc forſan lapis offenſionis celeberrimo doctori Sorbonico : ſicque uno pene ſæculo diſſentit à ſe Chronologia, quæ adhuc circa Chlodovæi Chriſtianam geneſin & ejus poſtrema fata, in varia ſcinditur opinamenta, ex quibus illud ſaltem concludere liceat, nec auctorum etiam gravium auctoritati temere cedendum, nec chronicis characteribus in ſpeciem probis ſemper adhærendum.

Duplici firmamento protectum ſe putat Labbeus, & ex eo quidam alii in ſcientia temporum inſignes, epiſtolâ ſcilicet Anaſtaſii Papæ ex ſchedis Hieronymi Vignerii nuper detectâ in Spicilegii Dacheriani tomo 5, pag. 582 ; & epigraphe Concilii Epaonenſis, quod anno 517 ſub Hormiſda, alii ſub Symmacho celebratum ponunt, in quo aſſutus cernitur annus ſextus Childeberti regis. Quantùm ad epiſtolam, nullus noſtratium, nec Romanorum illius meminit, non Hincmarus, nec Flodoardus: natales habet obſcuros, ſchedas inquam Vignerii ; quam vel unde vel à quo acceperit, nec ipſe prodit Dacherius, cujus tamen obſtetricante manu prodire debebat in lucem cum notis illuſtribus, velutque ſuæ fidei obſidibus tam egregium antiquitatis monumentum. Præterea advertere licet quod in illa appendice ad Miſcellanea epiſtolarum tomi illius quinti Dacheriani tres habentur epiſtolæ trium pontificum Romanorum ſibi invicem immediate ſuccedentium, Gelaſii, Anaſtaſii & Symmachi : prima notatur die & coſſ. 8 *Kal. Feb. Aſterio & Præſidio VV. clariſſ.* Tertia ſic, *Data 3 Id. octobr. Avieno & Pompeio coſſ* Secunda, de qua hîc quæſtio, nec diem habet nec conſulem. Notandum item quod in collectione Labbeana Conciliorum generalium, tomo 4, pag. 1282, ſic tantùm inſcri-

bitur epiſtola, *Cludoecho Anaſtaſius epiſcopus*: in Spicilegio verò pag. 582, *Glorioſo & illuſtri filio Chludoecho Anaſtaſius epiſcopus*. Cur tamen Labbeus tanta eruditione, & rerum antiquarum experientia clarus ſiluit titulum potentiſſimo regi, in Eccleſiam benevolo, & ejus amicitiâ & honorificâ compellatione digniſſimo debitum, ut etiam, niſi ex contextu, non divinare poſſis ad quem ſit directa? Scio quoſdam illius ævi ſummos pontifices ab ejuſmodi magnificis nuncupationibus, cùm imperatoribus aut regibus ſcriberent, abſtinuiſſe; quod in Hormiſda, qui poſt Symmachum Anaſtaſio proximè ſucceſſit, frequenter occurrit ſcribente Anaſtaſio Cæſari, cui tamen ſemper *Auguſti* titulum dedit. Scrupulum auget quod ipſe Anaſtaſius Papa, cujus unicam epiſtolam, cùm Baronius, tùm codex Conciliorum recenſent, quæ eſt ad Anaſtaſium Imperatorem, illam inſignivit hoc honorifico titulo, *Glorioſiſſimo ac clementiſſimo filio Anaſtaſio Auguſto Anaſtius epiſcopus*. Mihi proinde dubia videtur ejus ad Chlodovæum magnum epiſtola, quem ſane decebat paribus eum titulis in fronte litterarum ſibi demereri: quibus aut ſimilibus à Labbeo rejectis in nova Conciliorum editione (in quam primùm irrepſit, ut ipſe faveret Sirmondo contra Baronium, Binium cæteroſque melioris notæ Chronologos) palàm fit, aut ab eo non lectum in ſchedis Vignerianis honorificum illud epiſtolæ lemma, aut ſpurium in appendice Dacheriano cenſuiſſe. Scio quidem in epiſtolæ contextu honorarias voces reperiri, ex quibus interpolator apud Dacherium epigraphen, ſeu titulum epiſtolæ concinnavit, *Glorioſe & illuſtris fili*: & infra, *dilecte & glorioſe fili*. Sed inde non tollitur animi perplexitas, quem iterum lancinant quæ ſequuntur.

Si ſit germanus antiquitatis partus hæc epiſtola, non imprudens conjicere mihi videor, quod auctorem habeat Symmachum Papam, & eo tempore quo Romæ cuncta cædibus, & ignominiis miſcebantur propter ſchiſma Laurentianum, ut ſatis innuunt hæc auctoris epiſtolæ verba: *Nam refrigeſcit charitas multorum, & malorum hominum verſutiâ navicula noſtra feris fluctibus agitatur, & deſpumantibus undis pertunditur.* Præterea vult Labbeus contra plurimorum exiſtimationem, coronam illam auro gemmiſque gravem, quæ *regnum* dicebatur, ſupremis Apoſtolorum tholis appendendam, & illuſtriſſimum Chlodovæi regis donarium, oblatam fuiſſe Symmacho, non Hormiſdæ: occaſione cujus mutuas ſibi honoris & amoris vices rependerint. Juvat etiam

Digitized by Google

quod in epiſtola Hormiſdæ ad Remigium Remenſem, quâ ei vicariam primæ ſedis præfecturam delegat in Galliis, dicit Pontifex *nuper* à Remigio converſum fuiſſe cum integra gente Chlodovæum, qui loquendi modus, temporis proximitatem deſignans, non ita bene congrueret pontificatui Anaſtaſii, poſt quem ſedit Symmachus annis 15, menſ. 7, dieb. 27; ſed magis favet opinioni veterum codd. MSS, de quibus ſupra, qui conſtanter aſſerunt tinctum fuiſſe Chlodovæum anno 503. Cujus etiam epiſtolæ auctoritate illud habemus certum ſatis, ut opinor, præt-r ſuperius allegata, nondum naturæ ceſſiſſe regem, cùm ſedem iniit Hormiſda, ut ex ipſius Gregorii Turonenſis cenſu mox eruebat Quatremarius: & ipſe fatetur Baronius ad an, 514: *Extat ipſa Hormiſdæ Papæ epiſtola ad ſanctum Remigium Remenſem epiſcopum reddita, cùm adhuc viveret Chlodovæus.* Cui poſtquam integram retulit, hoc perhibet teſtimonium: *Hactenus epiſtola Hormiſdæ, quam ejus eſſe germanam recognoſces ex ejus Pontificis ſcribendi ſtylo, ſi conferas cum aliis ejuſdem Papæ epiſtolis.*

Non me latet à quibuſdam falſi ſuſpicione laborare, ob iſtas voces (inquit doctiſſimus Bondonnetus Vincentianus monachus apud Cenomanos, ſcribens vitas ejuſdem urbis antiſtitum) *per omne regnum dilecti & ſpiritualis filii noſtri Ludovici, quem nuper adminiculante ſuperna gratia . . . . . . convertiſti:* ratus per id tempus nullibi gentium vocem hanc, *Ludovicus*, in uſu fuiſſe. Sed quàm jejune, probat ipſum ſancti Remigii teſtamentum, ejus, ſex epiſcoporum & plurium preſbyterorum chirographis munitum, quod *legitime confectum fuiſſe* ait Baronius poſt Briſſonium & alios: in quo non ſemel Chlodovæi meminit ſub nomine Ludovici: *Villas quas mihi dominus, illuſtriſque memoriæ Ludovicus rex, quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, cùm adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidit, &c.* Habes illud in hiſtoria Flodoardi lib. primo cap. 18, qui ante baptiſmum, regem nominat *Chlodovæum*, & poſt baptiſmum, ſemper *Ludovicum*, & cap. 13 lib. primi, &c. Ad quem locum notat Colvenerius exemplaria omnia à ſe viſa conſtanter habere *Ludovicum*, non *Clodovæum*. Non aliter Paulus Æmilius in hiſtoria Francorum, in Chlodovæo; ubi ſtatim à ſacris undis *Ludovicus* ſemper exprimitur. Apud Caſſiodorum lib. 2 Variarum ep. 41, & lib. 3 ep. 4 *Luduin*, aut *Luduinus* à Theodorico rege, vel ipſo Caſſiodoro dicitur. Ad quem priorem locum hæc Forne-

Digitized by Google

rius. [Luduin, id eſt Chlodovæo, quia Ludovicus diceba- «
tur, inquit Hermannus contractus in Chronico : & ait victo- «
riam Alemannorum, quam hîc nuntiat Theodoricus circa an- «
num Chriſti 508, Anaſtaſiani verô imperii 18 contigiſſe, Secun- «
dino & Felice coſſ.] Sed reſtitue Venantio juniore & Cele- «
re coſſ. qua ſtante epocha anni 508 pro baptiſmo regis, quem eodem anno victorem de Alemannis, & Chriſtianum agnoſcunt, plura quàm par ſit cohærerent cum voto Techildis. Sed ad Chlodovæum redeo, de quo luculenter in rem Baronius, qui plura legit ad annum 499, num. 18 *Luduin* (& in margine *Ludovico*) *ſic namque pro diverſitate nationum diverſo modo Chlodovæum, ut diximus, invenies appellatum* ; & de Gallia potiſſimum perhibet Odo rex in ſuo præcepto anni 899 apud Mabillonium.
[Quæ prædeceſſorum ſuorum, ſcilicet antiquorum regum «
Chlotarii videlicet regis illius magni Hludovici nobiliſſimæ «
prolis, Sigeberti quoque præfati Chlotarii filii, Chilperici & «
Childeberti regum, &c.] Sed de his ſatis. «

Alterum Labbei firmamentum ut probet Chlodovæi baptiſmum, & conſequenter ejus obitum citius contigiſſe, quàm velit veterum chronologia, petitur ex epigraphe Concilii Epaonenſis (quod anno Chriſti 517 celebratum fuiſſe ſupponit) in qua quidam male feriatus addidit: *Childeberti regis 6 anno.* Interpolationem iſtam plura ſuadent. 1°. Plures ſunt qui Concilium iſtud rejiciunt, teſte Baronio, in tempora Gelaſii Papæ, ſed perperam ; quos numquam illa chronologica labes infeciſſet, ſi in germanis illius Concilii actis annus ille Childeberti legeretur prima manu conſcriptus ; cùm conſtet apud omnes non potuiſſe Childebertum ſceptro potiri ante annum 511 ; & certum ſit Gelaſium occubuiſſe anno 496, 21 Novemb. 2°. Nihil habet in notis Sirmondus de hoc Childeberti anno, qui tamen in aliis ejuſdem Concilii ſubſcriptionibus minoris momenti quædam commentatur : nec ſiluiſſet vir egregius notam illam chronicam ſibi commodam pro æra necrologica Chlodovæi, quam ex brevi chronico Metenſi ſtatuit ad annum 511, & ex eo Labbeus, cui cum Sirmondo ſentire oraculum eſt ex tripode. 3°. Binius aliique cum Baronio Concilium iſtud Epaonenſe anno undecimo Symmachi Papæ conſignant, qui in annum Chriſti 508 incidit : nec credibile eſt de tot viris temporum peritiſſimis ſic deſipuiſſe, ſi germana eſſet tota illius Concilii inſcriptio, & in antiquis codicibus à ſe viſis ſextus ille Childe-

Digitized by Google

berti annus notaretur. Sed illis ut etiam Sirmondo nuſquam innotuiſſe videtur : nec minus forſan erratum (ut tam frequenter alibi) in Agapito conſule, quàm in ſubſcriptione Silveſtri epiſcopi Cabillonenſis, qui multo ante deſierat, & in Conc. 3. Aurelianenſi (quod tamen nobis objicitur in ſuo lemmate, ut indubitata temporis nota) quam in Conſule vitiatam fatetur ipſe Sirmondus in notis ad illud. 4°. Concilium iſtud Epaonenſe recte quidem ponitur ſub Sigiſmundo Burgundionum rege, & Epaonæ celebratum fuiſſe, quam in tractu Burgundiæ Tranſararicæ ad ripam Rhodani ſtatuunt : ſed quod jus tùm competeret in Burgundiam maxime Tranſararicam Childeberto regi ? Certùm eſt enim, nec Labbeus diſſentit in epitome chronologica, parte 3, pag. 349, anno tantùm 523. Chlodomirum, Childebertum & Chlotarium irruiſſe primùm in quaſdam Burgundiæ partes, maxime cis Ararim ; & anno 525 Heduos cum vicinis eorum in deditionem acceptos fuiſſe. Nam de reliqua Burgundia, quæ vergebat ad Lutetiam, & Chlodovæo pro dote Chlotildis obtigerat, nihil moror. Proinde mirari ſubit, quod in inſcriptione Concilii extrà ditionem Childeberti celebrati, ejus, cum Sigiſmundi, præfixum nomen legatur ; quod tamen in concilio Lugdunenſi, eodem anno, ut volunt, coacto non reperitur, ſed ſolius Sigiſmundi, & Viventioli metropolitani nominibus inſcribitur, quamvis Patres qui ad illud convenerunt, omnes Epaonenſi pariter ſubſcripſerint. Nulla igitur mihi ratio ſuccurrit, cur uni potius quàm alteri ſynodo Childeberti nomen affigatur. Favet ad hoc quod de Epiſcopis alterius ditionis affert Sirmondus in notis præviis ad illud Concilium, ex editione operum Aviti à ſe accurata anno 1643, ubi loquens de epiſtola Alcimi Aviti epiſcopi Viennenſis, male Quintiano Ar-
» vernorum epiſcopo inſcripta, hæc ait : [Cùm enim ad Pro-
» vinciæ Viennenſis epiſcopos ſcripta ſit, ut ad Concilium Epao-
» nenſe veniant, quis locus foret epiſcopo Arvernorum, qui
» non modò extra provinciam Viennenſem erant, ſed extra
» ditionem quoque Burgundionum. Nam ut Agathenſe Con-
» cilium eorum tantùm fuit, qui Wiſigothorum imperio pare-
» bant, & Aurelianenſe primum dumtaxat eorum, qui ſub
» Francorum erant poteſtate ; ſic ad Epaonenſe ii tantummodo
» convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur.]
Unde præmiſerat Sirmondus : *In confeſſo eſt Quintianum hoc tempore Arvernorum epiſcopum fuiſſe ; quare falſa eſt epiſtolæ inſcriptio,*

Digitized by Google

Cui concinens aio: *Tunc temporis Burgundia, maxime Tranſararica extra ditionem Childeberti erat, quare falſa Concilii inſcriptio, Childeberti regis anno 6.* Secus in ſubſequentibus annis poſt mortem Chlotarii primi, cùm diviſis iterum Galliis in plures tetrarchias, intra fines earum quædam hinc inde ditiones pro maritarum dote, aut pro bono pacis inter ejus filios cuique ceſſerint. Quæ regiæ ſortis diviſio (ut loquuntur quædam Concilia) occaſio fuit, ut in unius ſynodi fronte duorum regum nomina ſæpius advertas. De his regiis partitionibus locum habes inſignem apud Gregorium Turonenſem lib. primo Hiſt. cap. 11. ex pacto inito apud Andelaum Guntramnum inter & Childebertum reges: cujus pactionis exemplar profert idem Gregorius cap. 20, & habetur tomo 5 Conciliorum pagg. 993 & ſeqq. editionis Labbeanæ.

Profert item Labbeus, ut ſuæ commoda temporum putationi, plura Concilia, ſeu eorum lemmata à Sirmondo, qui pluribus præiviſſe videtur, ingenioſe concinnata, cum notis & obſervationibus non minori induſtria elaboratis, ut epocham ſuam de obitu Chlodovæi anno Chriſti quingenteſimo undecimo inter celeberrimas Chronologiæ metas reponat, à qua deflectere, piaculum ſit. Ei religioſo fœdere ſociatus noſter Labbeus nihil non movit, qua ſeſe prorumpere potuit anxius labor, cùm in obſervationibus, tùm in notis marginalibus Conciliorum Gallicanorum, præſertim Aurelianenſium ſub primæ ſtirpis dynaſtia, ut juratum illud Sirmondi dogma tutaretur contra Baronium, Binium, cæteroſque rerum noſtrarum celeberrimos ſcriptores, quibus ſapere cum antiquitate, veritas fuit, & qui in illo temporum cenſu, toto plerumque triennio diſtant à Sirmondo. Scripſerat iſte ex parvo chronico Metenſi ſibi perfunctorie obvio, poſtrema Chlodovæi magni fata contigiſſe anno Chriſti 511. Satis fuit magni nominis viro hoc effato ſe ſemel ſignaſſe contra priores illos agonothetas, ut ei ſtabiliendo totum ſe daret, nec ſibi minus quàm veritati conſultum eſſet. Hic ardor nemini non notus, qui gloſſemata, & margines Conciliorum nuperæ collectionis obſervare volet. Cui illorum lectio jugis eſt, nihil occurrit frequentius quàm pleraque mendoſa, corrupta, interpolata, & ſæpe ſecum pugnantia; parachroniſmi, conſules mutati, omiſſi, ſubſcriptiones ignotæ, incertæ, mendaces, cæteraque vel ſciolorum aut amanuenſium peccata. In his caſtigandis, quantum aſſequi valet eruditorum conatus, latum panditur iter induſtriæ noſtræ; nec difficile fuit

Digitized by Google

Sirmondo in illa rerum caligine radios ex ſe fundere, cùm ope codicum deſtitutus fuit, qui dogmati ſuo faverent. Illud tacere noluit vir plane cordatus, & nihil tam verum apud illum, quàm cùm ſe veri putat auctorem. Paſſim obviant in ejus obſervationibus hujus veritatis indicia: ſed ne lectori tædio ſim, hæc ſaltem legat in notis ejus ad Concilium 5 Arelatenſe: [*Anno* 43 *Childeberti.* Cadit hic annus, juxta æram noſtram in annum *quem præfiximus.* Nam ſi ad annum 511 quo *iniiſſe facimus* Childebertum, 43 annos adjicias, exurgit annus 554:] quibus patet Sirmondum genio ſuo, non MSS, cod. innixum ſtetiſſe. Et ſi certa ſibi fuiſſent & indubia chronologiæ ſuæ principia, perplexus non fuiſſet, nec partus dolores ſenſiſſet, cùm necrologicam Chlodovæi notam ſic effudit in notis ad Conc. primum Aurelianenſe: [Anno Chriſti 511 vita functum Chlodovæum regem annotat breve chronicon ſancti Vincentii Metenſis. Ante hunc prorſus annum ſtatui Chlodovæi obitus ſine errore non poteſt, cùm ipſo ſuperſtite, ac jubente, celebratum eodem anno ſit Concilium: nec multò *fortaſſe* ultrà hunc annum differri, ut ſequentium Conciliorum epochæ docebunt.] Si nondum è Vincentianæ Bibliothecæ forulis eruto chronico Metenſi, in Medardinum incidiſſet Sirmondus, dubio procul obiiſſet Chlodovæus anno 512; ſic enim illud tomo 2 Spicilegii Dacheriani: *Anno* 512 *Chlodovæus primus rex Francorum Chriſtianus obiit*] ſi in vetus chronicon Vivianum, cujus autographum habeo ſummæ ſenectutis, ſex ad minus vitæ annos eidem regi indulſiſſet ad fidem codicis, qui ſic habet, ut ſupra: *Anno ab Incarnatione* 518 *obiit Chlodovæus rex apud Pariſius, ſepultuſque eſt in Baſilica Apoſtolorum, quam conſtruxerat: præſidebat tunc Romanæ Eccleſiæ ſupra ſcriptus Hormiſda Papa, &c.* Et Gaufridus à Collone in chronico MS, tabula 10, pag. 47: *Anno Domini* 518 *obiit Chlodovæus rex, & ſepultus fuit in Oratorio ſancti Petri Pariſienſis, quod nunc ſancta Genovefa dicitur; quod monaſterium fundavit ipſe & uxor ſua.* Gaufrido *monaſterium* idem eſt quod *Baſilica.* Hæc autem tabula 10 inſcribitur ſub nomine Hormiſdæ, &c. qui ſedere cœpit anno 514, à 27 Julii uſque ad annum 523 quo naturæ ceſſit 6 Auguſti.

Fatetur item Sirmondus corruptam conſulis notam in Conc. 3 Aurelianenſi, à ſe fuiſſe reſtitutam: Conc. 2 Arvernenſe Theobaldi nomine conſignaſſe. Ad Conc. Lugdun. 11, ubi nota deficit;

deficit: [*Ex conjectura, inquit, correximus, cùm exemplaribus antiquis in hac ſynodo careremus.* Dum loquitur de Conc. Andegavenſi ad annum Chriſti 453, ſic etiam habet: *Titulos verò ubi corrupti aut mutili videbantur, alios ſubſtituimus.* Et plura id genus, quibus conjecturæ, non viſui, ſeu codicibus, epochas ſuas Sirmondum voviſſe perſpicuum eſt: ſed jam ſatis.

Vides, lector, ex his omnibus nihil certi poſſe concludi contra fidem Chlodovæi Diplomatis, nec contra filiæ vota, quibus non defuit annorum numerus, qui in opinione doctiſſimi Cointii nuptiis ejus ſuffecit, cùm eam elocatam fuiſſe, patre ſuperſtite, contra verum aſſeruit. Cæterùm cœlibem vixiſſe, & virginitate famoſam deſiiſſe (ut cum veteribus loquar) tot in membranis Senonenſibus longioris ævi, & in ſacris Eccleſiæ dipthycis teſtimonia clamant, ut nullus dubitandi locus ſuperſit. Ei ut virginum lauream conſequutæ, ſacris etiam, qui virginem decent, honoribus, cum publica apotheoſi concinit Eccleſia pluribus in locis Senonis, Rothomagi, apud Mauriacenſes in Arvernia, &c.

OBJECTIO SEXTA.

Annus Chriſti quingenteſimus, &c.

EA quaſi læto celeuſmate totus ſecum exultans Carolus Cointius ſæpe laudatus, regiæ chartæ pene inſultat. Oſtendit in ejus quoddam apographum nullis germanis notis conſignatum, & cum vetuſtis exemplaribus, quæ nobis ſunt ad manum, haud dubie non collatum. Legit enim Cointius annum Incarnationis Dominicæ quingenteſimum cum Indictione prima; quæ fateor non cohærere, ut initio hujus §. curſim advertimus. Sed illam Incarnationis Dominicæ notam, ſub Merovingicis regibus in eorum Diplomatis vix uſitatam, ex ſuo conſuit Buretellus, ut prudenter monuit Cotronius in Chronico. Plura nacti ſumus hujus inſtrumenti exemplaria, in quorum nullo legitur annus Chriſti. Clarius & Gaufridus à Collone qui cæteris prælucere debebant poſt Odorannum, diſertè notant elementa domus Vivianæ ſub Chlodovæo & Theodechilde ejus filia, *circa annum Domini* 507: quæ verba ſatis innuunt, quod ſub finem illius anni (à menſe Septembri pene etiam elapſo) incipiebat Indictio prima, quæ legitur in Di-

plomate menſe Octobri confecto. Anno enim 500 quem interpolavit Buretellus, aut quis alius amanuenſis ſatis imperite, currebat Indictio octava, vel nona, ſi à 24 Sept. ejuſdem anni numeres.

De appoſitione Indictionis in hoc Diplomate, num ſit genuina, num adſcititia, non ægre conſenſerim cum pluribus eruditione clariſſimis raro vel nuſquam in regiis chartis adhibitam fuiſſe ſub Meroveadis regibus: ſed in Conciliis illius ævi, quibus nulla ſubeſt interpolationis ſuſpicio, viguiſſe certum eſt ex illorum lectione; quidquid in contrarium ſentiat annaliſta Cointius tomo 2, anno 575, num. 5, nec in noſtratibus tantùm ante tempora Caroli magni, ſed in ipſo etiam Chalcedonenſi. Notat tamen Mabillonius de Re Diplomatica in tabella 16 quod « [Quidam vir doctus exiſtimavit Indictionem ſub Merovea- « dis receptam aliquando, etiam in chartis regiis, eumque « uſum derivatum fuiſſe ex Victorii laterculo, ſive cyclo, quo « Gallicana Eccleſia ad ſanciendum Paſchæ diem uſa eſt ex « præſcripto Concilii 4 Aurelianenſis, can. 1.] Conſentit ille quantùm ad litteras Eccleſiaſticas, ſecus de regiis. Sed illi viro erudito patuiſſe quædam Diplomata Merovingica credendum eſt, qui aſſeruit: & jam ex præmiſſis à Papebrochio, cui cordi fuit, ſibique provinciam illam delegit genuinas primorum regum Chriſtianiſſimorum chartas à ſuppoſitiis diſcernere, nullus inficiabitur quin varia tùm fuerit condendorum Diplomatum methodus, & varius inſcribentium & ſubſcribentium character; ut pene ſit feriantis animi in his immorari, aut altercantis ſcrupuloſius cuncta diſcutere. Franciſcus Claretius archidiaconus Arelatenſis apud Baronium anno 587 refert epitaphium Cæſariæ religioſæ fœminæ, notis chronicis ejuſdem anni, & duodecimi Childeberti junioris, cum Indictione 5, (melius 6 à menſe Septembri) notatum his verbis:

Obiit bonæ memoriæ Cæſaria medium noctis
Die Dominico inluceſcente 6 Id. Decembris
Quatragies & 6, P. C. Baſilii junioris V. C. C.
Anno 12 regni domini Cheldeberti regis,
Indictione quinta.

Cujus epitaphii vetuſtatem prodit idem Claretius hac epigraphe ſuique nominis ſyngrapha: [*Videtur hoc epitaphium litteris Romanis majuſculis in marmore ſemifracto exaratum. Quod ego fideliter hic reddidi. Franciſcus Claret. archidiaconus Arelatenſis.*]

OBJECTIO SEPTIMA.

Archiepiſcopus.

ARguit iterum Cointius ſibi ſuſpectum eſſe Diploma ex hac voce *Archiepiſcopus*, quæ bis in illius ſubſcriptionibus legitur; cujus uſum tunc ætatis non viguiſſe, opinatur. Pari ſcrupulo agitatus fuit Serrarius lib. 2 Moguntiarum Rerum cap. 32 referens tabulas donationis factæ Eccleſiæ beatæ Mariæ apud Moguntiam à Bilechilde ſanctimoniali, ubi teſtatur illa ſe agros quoſdam emiſſe ab avunculo ſuo Sigeberto *Archiepiſcopo* Moguntino, regnante Chlodovæo Dagoberti primi filio. Cujus inſtrumenti fidem ſuſpectam habet Serrarius, ex titulo *Archiepiſcopi*, qui Sigiberto tribuitur, quem à Zacharia tantùm ſæculo ſequenti impoſitum putat. Sed ei non aſſentitur doctiſſimus Petrus de Marca in Diſſert. ad Conc. Claromont. num. 76. Orientalibus Eccleſiis familiarem fuiſſe nomenclationem illam produnt Concilia plurima primæ ætatis. Apud Gallos non exoticam fuiſſe ſæculo ſexto, habes ex can. 6 Concilii primi Matiſcon. anni 581: *Vt Archiepiſcopus ſine pallio miſſas dicere non præſumat.* Notum etiam illud Dagoberti regis in ſuo Diplomate, pro Sandionyſianis, prout legitur in Thuaneo codice, & in ſchedis C. V. Antonii Herovallii: *Jubemus atque conſtituimus ut neque nos, neque ſucceſſores noſtri, nec quilibet Epiſcopus vel Archiepiſcopus, nec quicumque de judiciaria poteſtate, &c.* Reperitur item hujus vocis uſus in teſtamento ſancti Cæſarii, & apud Cheſnium tomo primo, pag. 852, in epiſt. Floriani ad Nicetium Trevir. qui ſcribebat anno 565. Fatetur etiam Mabillonius nomen illud ad Occidentales tranſiiſſe ſæculo 5, & ſeqq. cap. 2, lib. 2 de Re Diplomatica, immò & ſæculo ſecundo jam deſinente in Galliis agnitum fuiſſe probat inſigniter epiſtola Anicèti Papæ; quæ licet apud quoſdam dubiæ ſit auctoritatis, de ejus tamen antiquitate ambigit nemo, quam laudat Hincmarus Laudunenſis in defenſione ſua, & quam cum aliis priſcorum Romanorum pontificum Decretalibus epiſtolis, apoſtolico vigore illibatam voluit Nicolaus Papa ſuâ ad Hincmarum Remenſem, & ſodales antiſtites, quæ Conc. Galliæ tomo 3 recenſetur 21, & præcipue 47: ubi inter alia allegat in ſubſidium hujus Aniceti epiſtolæ, & cæterarum prioris ævi, au-

Digitized by Google

» ctoritatem Gelaſii his verbis, quæ referre non pigebit: [Con-
» ſonat autem huic beatiſſimo Papæ Leoni ſanctus & facun-
» diſſimus in Decretis ſuis Papa Gelaſius, ita inquiens: *Decre-*
» *tales epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus de urbe*
» *Roma pro diverſorum patrum conſultatione dederunt, venerabili-*
» *ter ſuſcipiendas decernimus.* In quo notandum, quia non dixit:
» *Decretales epiſtolas quæ inter canones habentur, nec tantùm quas*
» *moderni Pontifices ediderunt, ſed quas beatiſſimi Papæ diverſis*
» *temporibus ab urbe Roma dederunt.* Dictis autem diverſis tem-
» poribus etiam illa tempora vir ſanctus comprehendit, quæ
» crebreſcentibus paganorum perſecutionibus ad ſedem Apo-
» ſtolicam deferri cauſas epiſcoporum difficillime permitte-
» bant.] Hæc Nicolaus Papa. Quas epiſtolas non alias eſſe, quam quas Iſidorus in unum corpus collegit, cenſent Hincmarus ipſe, Baronius, & Blondellus in ſuis ad eaſdem prolegomenis: *Clementis ſcilicet*, inquit Baronius, *& aliorum qui tempore perſecutionis Romanæ Eccleſiæ præfuerunt uſque ad Silveſtrum Papam.* Et cùm de illis, ad mentem Blondelli & aliorum intelligendum veniat decretum Gelaſii mox relatum, immo & Leonis primi, ab eodem Nicolao in eadem epiſt. 47 citatum, earum antiquitas evincitur, nec minus forſan genuinus character, cùm iſte ſederit anno Chriſti 440, ille 492. Quod ſi in eas epiſtolas Decretales viſus ſit parum æquus Hincmarus Remenſis contra Laudunenſem, conſtat ſatis ex ejus operum contextu pluribus in locis nuſquam de illarum auctoritate, aut antiquitate diſputaſſe: ſed cùm Laudunenſis confidentior objiceret quædam illarum decreta, ut ſibi commoda, illud unum voluit Remenſis, ut retorqueret in adverſarium ea per ſubſequentes ſynodos immutata fuiſſe, & à legis vigore deſciviſſe. Nullus igitur erat Cointio, Serrario & cæteris conquerendi locus de hac voce *Archiepiſcopus*, tamquam tunc temporis peregrinâ, nec adhuc invectâ; cùm jam ab ipſis fere Eccleſiæ cunis adoleſceret in Galliis.

Non minorem Quatremario litem intentavit Diſſertator Launoius de nomine *Suffraganeus*, quod legitur in privilegio Sangermanenſi circa annum 569 exarato, quod nondum orbi Chriſtiano cognitum arguebat iſte: ſed temere criminantem convicit ille ex hac Aniceti epiſtola, & altera Pelagii 2 (anno 586) relata, causâ 6. q. 3 cap. *Scitote.* Nec erit ab inſtituto alienum doctiſſimi viri, & in Launoium exercitatiſſimi verba re-

Digitized by Google

ferre, quibus ſimiles tricas procul jubet faceſſere. Sic enim art. 13 Privilegii ſancti Germani propugnati, ad Momentum nonum *Suffraganeus*, [3°. Fuerit ignota antea vox (*Suffraganeus*) « quid lucrabitur inquiſitor (Launoius.) Placuit *Germano* uti vo- « ce nova, quia maxime peculiari. Quod ante de privilegiis « diximus, id quoque de vocibus nunc dicimus; habuerunt « enim utraque aliquod aliquando initium: ut ergo demonſtret « *Suffraganéi* nomenclationem ætatis eſſe poſterioris, defigen- « dum illi certum aliquod tempus, idque ex auctoritate, quæ « rurſus probatione non indigeat. 4°. Proferat auctores omnes, « qui antea, vel eo tempore, vel poſtea ſcripſerunt, ita ut nullus « omnino deſit (alioqui elumbe eſt argumentum inficiale) de- « prehendetur forſitan alicubi latitans *Suffraganeus* aliquis. 5°. « Quamvis prolatis omnibus prorſus ſcriptoribus (quod interim « non faciet umquam) nullibi *Suffraganeus* reperiretur; incum- « beret illi præterea demonſtrandum nullas inter homines illius, « aut ſupparis ætatis uſurpatas fuiſſe voces, præter illas quas » librorum fides commendaret: neque iſtud effectum dabit, « &c.] «

Si veteres chartæ falſi eſſent inſimulandæ ex illa ſubſcriptionum ſingularitate, certe plura nutarent tàm in Conciliorum Actis, quàm in Diplòmatibus regiis & Epiſcopalibus litteris, de quibus tamen nihil hactenus controverſum: ſaltem qui primus chartæ ſuæ ſingularitatem illam invexiſſet (quam germanam ſupponimus) illi dubio procul, falſi ſuſpicionem inuſſiſſet. Quâ ſubſcriptione rejectâ, utpote fictitiâ, ſtante hac ſuppoſitione; qui ſecundus pari modo ſubſcriberet, jam cenſeretur primus, neminis exemplo fretus, quandoquidem de prioris ſubſcriptionis figmento convenimus: & ſic pari fato multaretur ejus ſubſcriptio, tamquam ſuppoſititia; & in infinitum ludus procederet. Quod ſi arguas forſan plures fore in eodem inſtrumento paris formæ ſubſcriptiones, quæ tùm ſe invicem tutarentur à ſingularitate & falſi ſuſpicione; dicam ipſe eas adhuc exoticas eſſe attentâ ratione temporis, quo nullæ adhuc ſimiles emerſiſſent; & tàm in promptu fuiſſe feriato & ingenioſo ſcribæ plures confingere, quàm unam aut alteram. Singulares illos ſubſcribendi modos frequentius offendes in Conciliis, & aliis veterum Actis, ubi nonnumquam tacito dignitatis vocabulo, ſolùm perſonæ nomen exprimitur. Aliquando, ut in Germano Pariſienſi & quibuſdam aliis, vox *peccator* ſoli nomini ſuper-

additur, tacitâ dignitate. Quidam *Epiſcopos* ſe dicunt, non indicato nomine civitatis. Quibuſdam *Presbyteri* magis, quàm *Epiſcopi* nomenclatio placet, ut in Concilio Agathenſi pluribus accidit, ſi editio Sirmondi vulgatis præferri debeat: apud quem Avilius preſbyter, Ingenuus preſbyter, Paulinus preſbyter, Polemius preſbyter, Pompeius preſbyter; qui tamen in aliis vulgatis editionibus *Epiſcopi* nominantur omnes. Præſtat tamen Sirmondi lectio, ſi codices probæ notæ nactus ſit, in quibus legatur (ut edidit ipſe) quinque preſbyteros illos cum aliis tribus Joanne, Petro & Firmino vices tantùm ſuppleviſſe ſuorum antiſtitum. Quid tam abſonum & diſcrepans à cæterorum ævi ſui præſulum ſubſcriptionibus, quàm iſta Hincmari Remenſis in privilegio autographo pro cœnobio ſancti Germani Autiſſiodorenſis: *Hincmarus nomine non merito Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus ſubſcripſi*? Et in altero pro Dionyſianis, *Hincmarus ſanctæ metropolis Eccleſiæ Remorum epiſcopus*? Guido Ambianenſis epiſcopus ſic: *Præſul & procurator reipublicæ Ambianenſis*, ut notat V. C. Cangius in Gloſſario. Apud Mabillonium, *Palladius quamvis peccator & fragilis epiſcopus, ſubſcripſi*, pag. 466 ad annum 634. Forſitan iſtud Joannis epiſcopi Siſtaricenſis, ſic ſubſcribentis, non arridebit: *Signum Joannis ſanctiſſimi & venerabilis præſulis.* Non minus ſingulares & arbitrarias ſubſignandi formulas exhibet Gregorius Turonenſis lib. 9, cap. 42 in Reſcripto epiſcoporum ad Gundegiſilum & ſuffraganeos ſuos, » in quo ſic ſubſcribunt epiſcopi. [Peculiaris veſter Ætherius » peccator, ſalutare præſumo; Cliens veſter Heſychius reve- » renter audeo ſalutare; Amator veſter Syagrius reverenter ſa- » luto; Cultor veſter Urbicus peccator famulanter ſaluto; Fa- » mulus veſter Felix ſalutem præſumo; Venerator veſter Vera- » nius epiſcopus reverenter ſaluto; Humilis veſter atque ama- » tor Felix audeo ſalutare; Humilis atque obediens veſter Ber- » thramnus epiſcopus ſalutare præſumo.] Non minus deflectunt ad ſingularitatem ſubſcribentes epiſcopi in epiſtola ſynodica ad regem Sigibertum in cauſa Promoti, anno 573; & inter alios ſanctus Germanus Pariſienſis: [*Germanus peccator, proprius veſter, etſi preſumptioſus audeo ſalutare, &c.*]

Ex his omnibus & pluribus aliis non minus exoticis ſubſcriptionum modulis apud epiſcopos non ſolùm privatim, ſed in publicis conſeſſibus ſubſcribentes, palam fit non inde damnandas authenticas chartas, alioqui pars illarum plurima fere

peſſum iret. Et ut redeamus ad illud *Archiepiſcopi* vocabulum, quod Cointio tam anxie diſplicuit ante tempora Caroli magni, peregrinum tamen non fuiſſe, nec tùm ab Eccleſiæ moribus alienum probat Hadrianus Papa primus in Capitulari 25, cùm ad illud, aut *Metropolitani* nomen revocat epiſcopos majoribus titulis, & ad faſtum ambitioſe quæſitis abutentes: *Nullus archiepiſcoporum*, inquit, *niſi qui primas ſedes tenent, appelletur primas aut princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, vel aliquid hujuſmodi, ſed tantùm ille qui in metropoli ſedet, aut metropolitanus, aut archiepiſcopus vocetur:* cui condendo decreto ſequutus videtur Hadrianus canonem 26 Concilii 3 Carthaginenſis, iiſdem pene verbis conceptum.

In hoc Chlodovæi Diplomate, de quo hîc diſputamus, advertere juvat ſanctum Remigium Rhemenſem metropolitanum ab hoc *Archiepiſcopi* titulo abſtinuiſſe. De Auſtregiſillo Bituricenſi qui, chartâ jam confectâ, eidem poſtea ſubſcripſit *Archiepiſcopus*, nihil moror, qui viſâ Heraclii Senonenſis ſyngraphâ, parem apponere potuit. At de Remigio duo mihi notanda veniunt. Primùm, cùm apud Gallos ſummæ tùm eſſet auctoritatis, & jam jam vicariâ primæ ſedis præfecturâ donandus ab Hormiſda, vel Symmacho, regis item amicitia ſingulari celeberrimus, & ſignorum magnificentiâ nemini non notus & pene ſtupendus; ſi fraudem aliquam Diplomati parare voluiſſet regius amanuenſis, aut (ſi velis) nuperus aliquis interpolator, quem hæc Remigii decora non latebant, nonne tam ei liberum fuiſſet *Archiepiſcopi* titulum deferre Remigio, quàm Heraclio? Iſte forſan noluit abſtinere debito ſibi honorifico charactere, qui Pariſiis urbe regiâ, & in ſua metropoli chartam nomine ſuo muniebat, ſuæque ſedis dignitati cavens; memor (ſi conjicere liceat) conflictûs nondum pene ſopiti Viennenſem inter & Arelatenſem metropolitanos pro Eccleſiarum ſuarum juribus & prærogativis. Et is forſan ſcopus etiam erat Ætherio Arelatenſi in ſubſcriptione privilegii, quod ſanctus Gregorius magnus dediſſe legitur, aut potius confirmaſſe cœnobio ſancti Medardi Sueſſionenſi, in quo ſolus (ſi Remenſem Flavium excipias) ſubſcribit *Archiepiſcopus*, etiam in editione Romana, quam aliis omnibus præſtare, vel ipſe Diſſertator Launoius agnoſcit. Scio ſuſpicionis labem privilegio illi inuſtam fuiſſe ab eodem ex ſcholiis Blondelli; ſed quam non impune, nemo jam neſcit, cui notus eſt peculiaris libellus adverſus utrumque con-

Digitized by Google

ſcriptus ab eruditiſſimo Quatremario anno 1659.

Et ut mihi tutandi Diplomatis Chlodovæani partes incumbunt, advertes, lector, contra Cointium & alios, non inuſitatam fuiſſe Gallis præſulibus, ante Carolinos principes vocem hanc *Archiepiſcopi*, quam in illo privilegio fortiter aſſerto uſurpant Arelatenſis & Remenſis præſules. Et quod mireris (ſi nullos in antea natales habuiſſet vox illa) nec Blondellus, nec Launoius, qui totis viribus ſævière in Sammedardenſe privilegium, nullam illis duabus ſubſcriptionibus calumniam ſtruxere, quantùm ad illius uſum vocabuli, quo ipſemet Diſſertator utitur in illius privilegii ſubſcriptionum analytica cryſi, in qua totius diſputationis cardo hic eſt, nùm pro Eutherio ſubſtituendus ſit Virgilius. *Eutherius*, inquit Launoius, *Arelatenſis archiepiſcopus privilegio ſubſcribit ad annum* 594, *qui non erat Arelatenſis archiepiſcopus ſed Virgilius.* Eadem non ſemel repetit Diſſertator, cui tam integrum fuiſſet in privilegii chartam inſurgere cum Blondello, ex illa *Archiepiſcopi* ſyngrapha, quàm Cointio in Vivianam, & Serrario in Bilechildis tabulas ex ejuſdem vocis uſurpatione, ſi pari cum illis ſcrupulo laboraſſent. Sed vir antiquitatum ſcientiſſimus neſcire non potuit, quæ in chronico Metenſi optimæ notæ apud Dacherium tomo ſexto, pag. 649 leguntur hæc verba : [Urbicius poſt Eplecium XV ſucceſſit in Metenſi epiſcopatu. Hic primus omnium ipſius urbis *Archiepiſcopus* nominatur : præfuit 29 annis ſub imperatoribus Arcadio & Honorio, præſulibus Romanis Innocentio & Zozimo :] Et hæc venerabilis Bedæ lib 1 Hiſt. Angl. c. 24 : *Miſit etiam tunc iſdem venerandus pontifex* (Greg. magnus) *ad Etherium Arelatenſem archiepiſcopum litteras, quarum iſte eſt textus, &c.* & cap. 27 ejuſdem libri : [Interea vir Domini Auguſtinus venit Arelas, & ab *Archiepiſcopo* ejuſdem civitatis Etherico, juxta quod juſſa ſancti patris Gregorii acceperant, *Archiepiſcopus* genti Anglorum ordinatus eſt.] Quibus vides contra Serrarium diu ante Zachariæ pontificatum familiarem fuiſſe vocis illius uſum. Et ſi plura Cointio placeant & Serrario, legant epiſtolam Agathonis Papæ ad ſynodum Conſtantinopolitanam, in qua Theodoro Cantuarienſi titulum *Archiepiſcopi* à ſummo Pontifice conceſſum legitur, ipſomet referente Mabillonio in obſervationibus præviis ad vitam ejuſdem Theodori pag. 1031 ſæculi 2 Benedictini. [Magna fuit Theodori in Eccleſia auctoritas, ut ejus gratiâ Agatho Papa ſextam ſynodum aliquamdiu diſtulerit.

Digitized by Google

lerit. *Sperabamus*, inquit in epiſtola ad ſynodum Conſtantinopolit. *Theodorum conſamulum, atque coepiſcopum noſtrum, magnæ inſulæ Britanniæ archiepiſcopum & philoſophum, cum aliis qui ibidem demorantur hactenus, exinde ad humilitatem noſtram conjungere; & hac de cauſa huc uſque Concilium diſtulimus.* Idem Papa in epiſt. ad Æthelredum regem Merciorum, &c. [*Agatho Papa Romanus Æthelredo glorioſo Merciorum regi, & Theodoro archiepiſcopo Cantuariæ, & Sexulfo abbati nuper, modò epiſcopo, omnibuſque abbatibus Angliæ, ſalutem à Deo & benedictionem noſtram. Pervenit ad aures noſtras ſollicitudo regis Æthelredi, Theodorique archiepiſcopi, & Sexulfi epiſcopi, &c.* Et Beda lib. 4 Hiſt. Anglorum: *Apoſtolicus Papa habito de his conſilio, quæſivit ſedulus quem Eccleſiis Anglorum archiepiſcopum mitteret.* In Actis etiam concil. Anglicani ab eodem Beda ibidem relati: [*Præſidente ipſo Theodoro gratiâ Dei archiepiſcopo Britanniæ inſulæ & Dorovernis, &c.*

Alterum quod in ſubſcriptione ſancti Remigii in charta Viviana poteſt obſervari, illud eſt, cur Auſtregiſillus Bituricenſis, qui poſtea chartam illam ſuo nomine roboravit, Remigii modeſtiſſime ſcribentis, & quem ſciebat primæ ſedis vicibus & gratiis præ cæteris Gallicanis antiſtibus inſigniter auctum fuiſſe, exemplum non ſit ſequutus, ſed *Archiepiſcopi* titulum adhibuit. Illud citra pudorem potuiſſe fieri, præeunte ſibi in eadem charta ſancto Heraclio Senonenſi, ſuperius inſinuatum eſt; & hinc deducta calumniandi tituli Viviani ratio prorſus infirma videtur; alioqui faſtûs etiam incuſandus eſſet Paulus Rothomagenſis antiſtes, qui in concilio Sueſſionenſi 2 proxime ſubſcribens poſt Senonenſem, qui *Epiſcopus*, ille *Archiepiſcopus* ſubſcripſit: *Vanilo munere divino Senonenſis archiepiſcopus relegi & ſubſcripſi. Paulus Rothomagenſis ſanctæ Eccleſiæ archiepiſcopus relegi & ſubſcripſi.* Sic in collectione Labbeana tom. 8, col. 91; & Rodulphus Bituricenſis, qui ſecundus ſic ſubſignavit in concilio Tuſſiacenſi, *Rodulphus Bituricenſis archiepiſcopus.* Primus verò Herardus Turonenſis, & plures alii metropolitani ſolum ſibi *Epiſcopi* nomen indiderunt ibid. col. 706: qui tamen alibi, ut in Aguiſgran. 3 epiſcopi titulum reſumit. Et ut tibi, lector, arbitraria videatur harum ſubſcriptionum forma, omnes fere metropolitani, qui in præteritis conventibus Eccleſiaſticis *Epiſcopi* ſcribunt, in epiſtola anni 866 ad Nicol. Papam ſeptem *Archiepiſcopi* ſubſcribunt. Ipſimet in conc. Sueſſ. 3, non jam *Archiepiſcopi*, ſed ſic, *metropolis Epiſcopus* dicuntur in ſub-

O

Digitized by Google

ſcriptionibus : qui rurſus in privilegio pro monaſterio Solemniacenſi ab iiſdem patribus dato in eodem Concilio, illi metropolitani, modò *Epiſcopi*, modò *Archiepiſcopi* leguntur ſubſcripti. Tota Conciliorum moles hujus ſe veritatis vadem exhibet, ſi rei nemini non notæ coacervanda eſſent teſtimonia, cùm tot protuliſſe jam me fere pœniteat. Sed aſſerendæ veritati, & vindicando Diplomati noſtro contra tam illuſtres adverſarios nihil jejune promendum fuit, ut oſtenderetur vocem illam in Gallia maturius quàm velint, adoleviſſe : nec veritati detrahendum, ſed antiſtitum modeſtiæ & humilitati donandum, ſi non ita frequentius, cùm ipſi ſubſcriberent, illam aſſumpſerint. Alio modo fiet adhuc ſatis infra, argumento generalius petito.

OBJECTIO OCTAVA.

Subſcriptiones.

EGo in Dei nomine Theodoricus filius rex.
Ego in Dei nomine Chlodomirus rex filius ejus.
Ego in Dei nomine Childebertus rex filius ejus.
Ego in Dei nomine Chlotarius rex filius ejus.]

Miror Diſſertatorem Launoium, Davidem Blondellum, & plures alios eruditionis variæ famâ notiſſimos huic objectioni locum dediſſe, quibus neſcire non licuit filios regum, patre vivente, *Regis* nomine nonnumquam inſignitos fuiſſe, ſibique dum ſubſcriberent, vel aſſumpſiſſe, vel aſſumere potuiſſe, ut ex eo capite nullus niſi temerè Diplomati nævus poſſit inuri. Primùm enim objiciendus illis eſt Gregorius Turonenſis, cui tam impenſe ſtuduerunt; ut ei, etiam dum ſilet, pertinaciter adhæreant: quid non magis dum valvis apertis ſincere mentem promit? Suprà meminimus pactionis inter Gunthramnum & Childebertum reges initæ, cujus meminit lib. 9 Hiſt. cap. 20, & quam integram videſis in collectione Conciliorum Labbeana tomo 5, pag. 993, & ſeq. in qua filii Childeberti regis nominantur reges : [*Pari conditione repromittit domnus Gunthramnus rex, ut ſi .... contigerit domnum Childebertum eo ſuperſtite de hac luce migrare, filios ſuos Theodebertum, & Theodoricum regem* (al. reges) *vel ſi adhuc alios ipſi Deus dare voluerit, ut pius pater ſub ſua tuitione & defenſione recipiat.*] Ad quod advertes fœdus illud initum 4 Cal. Decembres anno 26 regni Gunthramni, Chil-

deberti verò 12, quo anno vivere cœpit idem Theodoricus jam regis titulo cohoneſtatus. Idem Gregorius lib. 4 Hiſt. cap. 13 de Chramno Chlotarii primi filio, patrem perſequente : *Intendebat enim & ipſe rex Chramnus minas, &c.* qui tamen nuſquam regnavit. Greg. M. lib. 3 Dialog. c. 31 : *Hermenegildus rex Leouvigildi regis filius.* Marculfus lib. 1 Formular. cap. 39 filium regis regem nominat in ejuſdem cap. lemmate quod eſt *pro nativitate regis.* Fortunatus Pictavienſis in epitaphio Theodechildis noſtræ, ſive Techildis Chlodovæi M. filiæ, quod vetuſtis litteris exaratum cernitur ad oram ejus tumuli in Baſilica Viviana, de quo jam ſupra :

Hunc regina locum monachis conſtruxit ab imo
Techildis rebus nobilitando ſuis.

Eadem pari titulo decoratur in ejuſdem lapide ſepulchrali ſuperius memorato, & intrà plumbeum ſcrinium ejus oſſa continens reperto ab Octavio Senonenſi præſule anno 1643, 4 *Kal. Julii, tranſiit donna Techildis regina.* Idem Greg. Turon. lib. 5, cap. 49 Riguntem Chilperici filiam memorat hoc nomine donatam. Et apud eumdem lib. 10, cap. 15 Chrodieldis ſanctimonialis fœmina *reginam* ſe nominat. *Nolite ſuper me quaſo, vim inferre, qua ſum regina, filia regis.* Unde Will. Brito lib. 10 Philippid.

Interea comitiſſa ſenex qua Portigalenſis
Filia regis ob hoc ſolum regina vocata eſt.

Et Claudianus Panegy. 2 in Stiliconem.

Nam domus hac utroque petit diademata ſexu,
Reginaſque parit, reginarumque maritos.

Nec minus impune licuit Chrotildi maritæ Chlodovæi ſe *reginam* efferre in Diplomate, quo titulo jam tùm inſignes erant uxores regum, ut legitur in conventu apud Andelaum anno 587 : *Et genitricem domni Childeberti domnam Brunechildem reginam, vel filiam ejus Chlodoſvendam germanam domni Childeberti regis, quamdiu intra regionem Francorum fuerit ; vel ejus reginam Faileubam tamquam ſororem bonam, &c.* Hinc rite Brunechildis ſubſcripſit privilegio Gregoriano pro Sammedardenſibus monachis anno 593, Indict. 2 : *Theodoricus rex ſubſcripſit. Brunechildis regina ſubſcripſit.* In hiſtoria Trenorchienſi pag. 280, Lotharius rex ſubſcribit privilegio à ſe dato, deinde ſequitur, *Signum Emma regina, ſignum Hludovici regis filii eorum.*

Ex quo poſtremo teſtimonio novum vindicandi Diplomatis

Digitized by Google

argumentum exurgit contra calumniatores hujus celeberrimæ chartæ Vivianæ, quam ex ſubſcriptionibus Chlotildis & filiorum ejus, ut inſolitis, ſuſpectam habent. Siquidem in inſtrumento ſeu privilegio Childerici regis Merovingici pro cœnobio Elnonenſi apud Miræum lib. 3, cap. 3 ſubſcribit *Imnechildis* Sigeberti Auſtraſiorum regis relicta. Nomen correxit Mabillonius ad calcem ſæculi 2 Bened. pro *Bilechilde*. In Sithienſi chartario Baltechildis regina, litteris Theodorici regis: & Chrodechildis, Chlodovæi tertii Diplomati ſubſcribunt ſub prima regum noſtrorum ſtirpe: *Signum glorioſi Chlodovæi regis. Signum præcelſæ genitricis noſtræ Chrodechildis reginæ.* Sic etiam in Diplomate Chlotarii: *Nos & præcelſa domna & genitrix noſtra Baltechildis regina ſignaculo manus noſtræ noſcimur adfirmaſſe.* Nec mirum de Chrotilde regina & matre Theodechildis, ſi Viviani cœnobii natalitiam chartam ſubſignavit, tùm quòd propenſus in filiam ejuſdem Aſceterii fundatricem animus illud poſtularet, tùm quòd propriis bonis cederet in virginis dotem, ut innuit charta; de quibus omnibus Chriſtum ex aſſe ſcripſit hæredem, ſeu monachos Vivi. Quò ſpectat iſtud Mabillonii chartam Roberti regis, & Conſtantiæ ejus conjugis pro Myſtis Compendienſibus expendentis: *In hoc Diplomate*, inquit, *duo obſervanda, nempe quòd Robertus rex utatur initio contextûs pronomine*, ego, &c. *& quòd Conſtantia ſimul cum eo Diploma inchoat, præter morem; nimirum quia ipſa donationem facit ex propriis cum rege.*

De ſubſcriptionibus filiorum Regum in chartis parentum, præter ſuperius annotata, non prætereunda Giſelæ ſororis Caroli magni donatio pro monaſterio Dionyſiano, cui nomen appoſuere tres filii Cæſaris, Carolus, Pippinus, & Ludovicus, quorum ſyngraphas in autographi ſpecimine exhibet Mabillonius pag. 503 Rei Diplomaticæ. Et apud Dubletum in litteris Ludovici Germaniæ regis ſubſcribit cum eo Carolus ejus filius. In charta Sanctii regis Aragonenſis ſubſcribit Petrus ejus filius, rex etiam dictus, apud Blancam pag. 607.

OBJECTIO NONA.

Nulli teſtes in regiis Chartis.

CHartam hanc ſimileſque Cointius aggreditur ex ſubſcriptionibus epiſcoporum & teſtium, ſibi perſuaſum habens chartis regiis nullius nomen niſi Regis, & Referendarii ſeu No-

tarii appoſitum umquam fuiſſe; ſic enim ad annum 653 num. 36 occaſione Diplomatis Chlodovæi junioris pro monaſterio ſancti Dionyſii prope Pariſios: *Præcepto ſeu conceſſioni regiæ nemo ſubſcribebat præter Regem ejuſque Referendarium.* Verum ſalvâ pace tanti viri manibus debitâ, meminiſſe noluit in inſtrumento Chlodovæi magni pro fundatione cœnobii Mitiacenſis quod ut integræ fidei omnes admittunt, Euſebium Aurelianenſem epiſcopum ſubſcripſiſſe, apud Dacherium tomo 5 Spicilegii:

Ita fiat ut ego Chlodovæus volui.

Euſebius Epiſcopus confirmavi.

Quem Euſebium in eadem charta rex alloquitur; quod ideò notatum velim, ne quis credat, diu poſt, ejus ſyngrapham appoſitam fuiſſe, ut in aliis Diplomatibus regiis non ſemel accidit. Præterea vane rixantem Cointium probant, quæ mox retulimus de reginis & filiis regum ſubſignantibus in maritorum aut parentum placitis probatæ fidei & auctoritatis. Sub iiſdem regibus Meroveadis anno ſcilicet 670 habes ex autographo Dionyſiano cùm æri inciſo apud Mabillonium, tùm typis impreſſo, Chrotildis regiæ matronæ chartam inſignem ab Agilperto Pariſiorum epiſcopo, & 24 aliis optimatibus regni & abbatibus ſubſignatam. Alias videſis apud eumdem & Dubletum Caroli Martelli, vix extincta Merovingica ſtirpe, & Pipini regis, quibus proceres regni obſidem fidei manum ſuam dedere. At ne extra primæ ſtirpis limites excurram, charta Chlodovæi junioris (cujus ſubſcriptiones Cointio ſtomachum movêre) data regni ſui anno 16, Chriſti 653, reſpui non poteſt, cujus ipſe integritatem perhibet: *Præceptum Chlodovæi regis adeo conſentaneum eſt formulæ Marculfi, ut nullam in eo falſitatem aut interpolationem eſſe ſentiamus.* Nec interpolatas fuiſſe ſubſcriptiones ejus probat integrum ejus ſpecimen, quod Mabillonius exhibuit cum geminis epiſcoporum & procerum ſyngraphis ad fidem originalis ſibi conſpicuum, & æri inciſum, quodque Sirmondus antea vulgaverat tomo 2 Conc. Galliæ. De quo etiam luculenter meminit Hilduinus Sandionyſianus abbas in autographo indubitato de partitione bonorum ſui monaſterii, illud aſſerens *roboratum fuiſſe manibus ſanctorum; qui uſque hodie miraculis coruſcant.* Et de eo propius ad rem Aimoinus lib. 4, cap. 41, loquens de conventu apud Clipiacum habito, ubi præceptum illud ſeu privilegium pro Sandionyſianis conceſſum à rege, & à prælatis & proceribus ſubſignatum: *Huic conventui*,

inquit, *interfuere prope omnes Gallicani epiſcopi, inter quos quidam ſancti extiterunt viri, quos ſancta Eccleſia dignis effert honoribus, quòd ad eorum ſepulchra variis vexati ſanentur infirmitatibus, id eſt beatus Audoenus, & ſanctus Rado frater ipſius, atque domnus Eligius cum beato Sulpitio, necnon ſancto Eucherio.* Cui quidem privilegio Synodaliter dato, plures poſt Chlodovæum regem ſubſcripſerunt præſules & optimates, quos recenſent Sirmondus citatus, & Mabillonius pag. 467, ſed cum quodam utrinque nominum diſcrimine: & indulgenda Sirmondo conjectura, qui autographum non vidit, ſtandumque pro Mabillonio, qui ipſis originalibus ſedulus incubuit. Utinam Cointio fata conceſſiſſent laudatiſſimum opus Mabillonii de Re Diplomatica perlegere, & genuinas, quibus ſcatet, chartas evolvere; ad ſaniora revocaſſet animum, amanuenſium incuriâ vel apographorum nævis deluſum. Penè exciderat hîc iterum ſiſtere inſtrumentum donationis ipſi propè Chlodovæo magno coævum, quo Theodechildis ejus filia dotem ſibi à patre conceſſam cum novis bonorum fiſcalium acceſſionibus Viviano ſuo cœnobio impertitur; cui viginti teſtes epiſcopi, abbates, diaconi & optimates ſubſcripſere, apud Cotronium in Chronico MS; & ex veteri codice ejuſdem monaſterii, novis apicibus reſtituto anno 1221 à me viſo.

OBJECTIO DECIMA.

Subſcribentium parachroniſmus.

NOvis eam machinis inſtruxerunt Diſſertator aliique, ut Cointius qui vetera monachorum privilegia ad incudem revocavere, parachroniſmis in ſerie ſubſcribentium offenſi, quaſi periret Diplomatis fides, niſi teſtes qui illam ſuo chyrographo muniunt, uno eodemque tempore ſubſcribant. Jam abunde, ni fallor, factum eſt ſatis C. V. Cointio, qui teſtes amandat à regiis Diplomatibus, ſaltem ſub Meroveadis: non minus veritas obtinebit pro ſubſcriptionibus ſucceſſivis, quas non ſimul, ſed vicibus interpolatis adhibitas fuiſſe certum apud eruditos, ut mirari ſubeat, cur in luce meridiana cæcutire voluerit Diſſertator. Huic liti fomitem miniſtravit Auſtregeſillus Bituricenſis archiepiſcopus, qui in hoc privilegio Chlodovæano ſubſcriptus legitur, quique obiit anno Chiſti 624, Maii 20;

Digitized by Google

& Germanus Pariſinus, qui ſedere non potuit ante annum 549, quo Saffaracus Pariſienſis epiſcopus interfuit concilio 5 Aurelianenſi: ſed ante annum 557 quo coacta eſt ſynodus Pariſienſis 3, cui præſens fuit & ſubſignavit idem ſanctus Germanus. Sed chartam hanc Chlodovæi, ſibi poſtea præſentatam, ut moris erat, uterque ſuo nomine confirmarunt, aliorum exempla ſequuti, quod paucis demonſtrandum.

Et illud commodum imprimis occurrit quod in Concilio 3 Pariſienſi, cui ipſe Germanus interfuit, canon ultimus ſubſcriptiones abſentium prælatorum efflagitat: [Et quia huic definitioni cuncti fratrum intereſſe minime potuerunt, hoc omnis congregatio Sacerdotum, Chriſto propitiante, decrevit, ut conſtitutio præſens, quantis oblata fuerit, ſubſcriptionibus eorum debeat roborari.] Eo pariter voto ſe ſignant epiſcopi Vermeriaci congregati anno 870 pro confirmatione Diplomatis à ſe conceſſi. Et ut ad ætatem chartæ noſtræ propius accedamus, ſanctus Audomarus Morinorum epiſcopus Sithientibus monachis privilegium conceſſit apud Mabill. pag 155 Rei Diplomat. cujus autographo, præter Audomarum, ſubſcripſerunt duo Morinenſes epiſcopi Gravengerus, ſeu Ravengerus, & Baginus, aliis Bainus. Anno 610, ſeu æra 648 in decreto quod Gundemarus Hiſpaniarum rex edidit pro primatu Eccleſiæ Toletanæ, ſic chyrographum ſuum appoſuit ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis: *Ego Iſidorus Hiſpalenſis Eccleſiæ provinciæ Bæticæ metropolitanus epiſcopus, dum in urbem pro occurſu regis adveniſſem, agnitis his conſtitutionibus aſſenſum præbui, atque ſubſcripſi.* In privilegio pro monaſterio Trenorchienſi apud Chiffletium pag. 216 & ſeq. ſubſcribunt tres epiſcopi Lugdunenſes, Remigius, Aurelianus & Guido: duo Æduenſes, Adalgarius & Rotmundus: totidem Cabilonenſes, Gerbardus & Ildeboldus: duoque Laudunenſes, Hincmarus & Hedenulfus. De chartis regiis eamdem methodum agnoſcit idem vir eruditus Petrus Franciſcus Chiffletius in hiſtoria Trenorchienſi pag. 280, & 326. Illud regis beneplacitum agnoſcunt, eique obſequuntur patres concilii Germiniacenſis anni 842 pro privilegio Curbinionenſis cœnobii, in quo permixtim archiepiſcopi, epiſcopi & abbates ſubſignati cernuntur; quia præſentes & poſteri illud ſignis ſuis manualibus munierunt, & inter eos duo epiſcopi Sagienſes, Saxobodus & Hildebrandus. Sic porrò patres, *Placuit etiam domino Regi, rectumque nobis videtur, atque obſecramus coepiſcopos noſtros,*

qui modò præſentes adeſſe non poſſunt; ſed & religioſos abbates, dum noſtræ conſtitutionis paginam legerint, unam nobiſcum ineant voluntatem, ac ſubſcriptionis ſententiam. Conſule Baronium ad an. 419, num. 59.

Inſignem habes adhuc hujus rei probationem ex vetuſto codice MS ſancti Petri Carnotenſis, qui *Hagano*, inſcribitur, in quo hæ ſubſcriptiones leguntur, non attenta ſubſignantium dignitate, ſed ratione temporis, quo vicibus interpolatis ſubſcripſerunt: [Ragenfredus Carnotis civitatis præſul humilis auctoritatis paginam firmavit ac roboravit. Hildemannus archiepiſcopus Senonenſis, Graulfus abbas ſancti Carauni; Arduinus archiclavis; Theodoricus preſbyter . . . . . , Gauzzo diaconus; Arderardus ſubdiaconus . . . . . . Gerardus diaconus, Lambertus canonicus; Aymo, Valteramnus, Burchardus, milites, ſubſcripti in antea. Poſtea firmaverunt Joſeph archiepiſcopus Turonenſis, Conſtantius Pariſiorum epiſcopus, Guichardus Ebroicæ epiſcopus, Mainardus Cinomanicæ epiſcopus, Mabbo Paulinavi Britanniæ epiſcopus, Nordoardus Redonenſis epiſcopus, Tetbaldus comes, Hugo dux Franciæ, Hugo filius ejus, Letgardis comitiſſa. Sequenti tempore Odo epiſcopus Carnotenſium; Otho comes Burgundiæ; Siggerius decanus. [Unius ejuſdemque civitatis epiſcopos eidem chartæ pariter ſubſcripſiſſe; probat inter alias quamplurimas charta 21 chartularii Flaviniacenſis pag. 69 & ſeq. de qua & ſimilibus aliis in hanc rem luculenter allatis vide hujus ætatis celeberrimum ſcriptorem Philippum Baſtide, ad calcem majoris operis *de ordinis S. Benedicti Gallicana propapatione, &c.* contra eumdem Cointium, quem veterum chartas ob ſubſcriptiones (quas interpolatas retur) acrius inſectantem, abradentem, ſtyloque minus ubique Chriſtiano configentem, fortiter ipſe confodit, & pene ad incitas egit ipsâ melioris notæ Diplomatum, ſeu chartarum inſpectione. Sic autem ea quam laudamus [Signum Iſahac Lingonenſis Eccleſiæ epiſcopi. Signum Warini abbatis. Signum Anſerii abbatis. Signum Amalrici archidiaconi . . . . . . Signum Urſini decani. Signum Vicarini preſbyteri . . . . . . Signum Rotmundi levitæ . . . . . Signum Arembertï ſubdiaconi . . . . . . Signum Giſlerii acolyti . . . . . . † Ego quoque in Dei nomine Argrimus Lingonenſium epiſcopus relegi, & meo ſigno ſignavi. Signum Geyolonis Lingonenſis epiſcopi.] In quo vides tres epiſcopos Lingon. diſtinctis temporibus

poribus privilegium ſuis nominibus muniviſſe.

Nec indignum Apoſtolicæ ſedis majeſtate putaverunt ſummi Pontifices, ſi Bullis ſuis Romæ editis extranei præſules, & longe diſſiti conſenſus ſui ſignum apponerent, ut voluit Stephanus 9 pro privilegio in gratiam ſancti Geraldi monaſterio Broniensi à ſe conceſſo. Sic enim in vita Geraldi apud Surium 3 Oct. n. 26: [Plumbeo ſigillo munitum ei contulit « privilegium (Stephanus) facta etiam ei poteſtate, ut ejus con- « firmandi gratia, pontificis nomine juberet ſubſcribere epiſ- « copos omnes, per quos revertens in patriam tranſiturus eſ- « ſet.] Non aliter Joannes 20 pro Arnaldo Magalonenſi epiſcopo: *Hoc verò decretum firmari volumus ab omnibus epiſcopis, quos Arnaldus invitaverit, ſicut nos feciſſe inferius cognoſcetur.* Quos diverſarum provinciarum epiſcopos eidem privilegio ſubſcriptos recenſet Philippus Baſtide pag. 225 operis jam laudati: *Idipſum quoque*, ait, *contigiſſe Sueſſionenſi ſancti Medardi privilegio à ſancto Gregorio Papa conceſſo, regum præſulumque Francorum ſubſcriptiones teſtantur.*

Hinc factum eſt (monet Mabillonius teſtis omni exceptione major, *pag.* 154 *Rei Diplom.*) ut in vetuſtis illis monumentis poſt præſentium nomina, aut certè inter finem contextûs & eorum ſubſcriptiones, amplum non rarò ſit relictum ſpatium, quod abſentium & futurorum ſubſcriptiones capere poſſet. Illud autem ob eam cauſam in morem venerat, ne novas ſæpius ad privilegiorum confirmationem litteras ab epiſcopis obtinere neceſſe eſſet, (pari modò de regiis chartis) nec cunctarentur futuri epiſcopi ea confirmare, quæ in vetuſtis monumentis ab anteceſſoribus ſuis roborata vidiſſent. Hinc fit ut in illis Synodicis litteris, & Diplomatibus regum, ut in illo Theodechildis tam ſæpe laudato, cui poſt abbates, & diaconum Tudebertum ſubſcribunt ſancti Germanus & Medardus epiſcopi, non rarò abbatum ſubſcriptiones præcedant quorumdam epiſcoporum nomina, & ſubſcriptiones: propterea quòd abbates illi qui Synodo præſentes interfuerant proximè poſt epiſcopos præſentes ſubſcribebant, ac proinde ante epiſcopos abſentes ac futuros, quibus poſtmodum eæ litteræ ſubſcribendæ offerebantur. Quæ ſubjectis exemplis confirmat Mabillonius.

Noſtra adhuc intereſt hîc obſervare, cùm familiaris eſſet harum poſteriorum ſubſcriptionum uſus, plures modeſtiæ causâ futuris ſubſcriptoribus ſpatium reliquiſſe, nec conſequenter &

Digitized by Google

preſſim, nullo mediante intervallo, nomen ſuum appoſuiſſe, ita ut nonnumquam in quibuſdam chartarum ſpeciminibus advertere liceat quoſdam, qui prima privilegii exarati ætate ſubſcripſerunt, inferius & prope ſcribam ſeu notarium, qui ad oram tantùm Diplomatis ſcribebat nomen ſuum, ſeſe locaſſe, & aliis qui poſt eos chartam confirmarunt, locum feciſſe: quod de Genebaudo primo Laudunenſi præſule ipſum Chlodovæi magni Diploma perhibet, qui poſt Auſtregeſillum Bituricenſem archiepiſcopum ſcriptus legitur, quem tamen ætate & ſedis tempore longè præceſſit. Sic inter Medardum & Germanum Vedaſtus ponitur, quod nemini faceſſere negotium debet, qui veterum chartas inveſtigaverit, earumque ectypa æri inciſa. Altera ſubeſt ratio confuſi hujus, ſeu permixti ſubſcriptionum ordinis, ipſa ſcilicet chartarum forma amplioribus ſpatiis in longum aut latum porrecta, ita ut plures uno tenore ſubſcriberent in prima linea, vel quidam ad libitum ponè alios; quidam è regione, hinc inde alii; uni charæ limbum eligerent, alii ejus umbilicum, ut videre licet in ſpeciminibus vulgatis, & ad fidem prototyporum exaratis. Quo factum eſt ut amanuenſes apographa ſcribentes (quæ ſola plerumque critici novatores inſpexere) nihil certi quantùm ad ſubſcriptionum ſeriem colligere valentes, cuncta permiſerint arbitrio ſuo, anſamque dederint pluribus intemeratas & inſontes chartas criminandi. Certe mihi plures ſenioris ævi chartas perſcrutato hæc eadem ſemper occurrit ratio, quæ perplexis quoad ſubſcriptionum parachroniſmos tranquillitatem afferat, ſuamque Diplomatibus integritatem conciliet. Pauca eorum originalia viderunt Diſſertator & Cointius, quæ in cathedralium Eccleſiarum, & monaſteriorum forulis deliteſcunt, nec cuivis facile pervia, ut apud me conqueſti ſunt Sanmarthani fratres clariſſimi: ſolis hæſere apographis malæ fidei ex mera amanuenſium inſcitia, qui ex illa ſubſcribentium confuſa ſerie perplexi, nec chronologiæ periti, ut ſuum cuique ſervarent ordinem attento tempore ſedis illorum; dum eis placuit ſubſcriptiones illas ſic confuſas aliter ordinare, & ſucceſſiva ſerie unius poſt alium exſcribere, uti nunc cernimus in Conciliorum collectionibus, & aliis publicis Actibus, errori lubricum fecere, & litium anfractibus apud litteratos, quibus tam acriter hodie ultro citroque confligunt. Hæc labes adhuc irrepſit ex poſteriorum ſubſcriptionibus, de quibus ſupra; quo uſu à ſcribis perperam intellecto, hînc vapu-

Digitized by Google

lant chartæ. Unde non mirum ſi in gratiam ſinceræ vetuſtatis hoc epiphonemate ſeſe cordatum hominem exhibeat Quatremarius, contra Diſſertatorem noſtrum acrioribus ſtimulis incitatus, toto opere ſuo propugnati privilegii Sangermanenſis, & præſertim pag. 267: [Ex iis & ſimilibus diſcimus quo ſtu- « dio ageretur veneranda patrum antiquitas pro ſanctionibus « ſuis per poſterorum ſubſcriptiones corroborandis. In hunc « eumdem finem capaciſſima ſpatia in chartis ipſis laxabantur « inter poſtremi teſtis ſubſcripti nomen, & ipſius notarii, qui « non niſi in ultima chartæ ora proprium aſcribebat vocabu- « lum. Unde (ut hoc obiter admoneam) convincuntur parùm « ſcitè argutari nonnenimes judicium ſibi de antiquiſſimis qui- « buſque monimentis arrogantes, qui quamprimùm in noſtris « chartis pontifices, vel principes ævo chartarum poſteriores « ſubſcriptos viderint, ad ſcombros, & thura damnant inſon- « tes ſchedas hoc uno *ſubſcriptionis* præjudicio, quod non aliud « præter eorum inſcitiam præindicat & præjudicat.] Non aliter « Mabillonius (qui inſtar omnium) pluribus in locis operis ſui Diplomatici: & cap. 21 lib. 2 quæ paulo ante diximus, confirmat his verbis: [In multis litteris inveniuntur teſtes ante & poſt « datam, quando poſtremo loco ponitur: quod accidit duabus « ex cauſis. Prima quòd poſteriores teſtes in chartæ confirma- « tionem adducti, cùm nullum inter primos teſtes ſpatium va- « cuum reperiſſent, nomina & ſigna notis chronologicis ſuppo- « ſuerunt, ut apud Perardum. Altera quòd alii teſtes traditio- « nis, ſeu conditæ chartæ adhiberentur, alii inveſtituræ, quæ « aliquanto poſt ſcriptam chartam tempore, & alio in loco « nonnumquam fiebat, &c.] Et cùm exſcribendis autographis « vacabant amanuenſes, hujuſmodi rituum vix ſcientes, nullum primos inter & ſecundarios teſtes diſcrimen obſervabant, quod poſteris erroris fomitem miniſtravit.

OBJECTIO UNDECIMA.

Imprecatio.

IMprecationis nonnihil habet charta Chlodovæi hîc agitata, quo zelus calumniatorum ejus iterum acuitur. ***Si quis autem contra hanc ſcriptionem venire temptaverit, imprimis iram Dei incurrat, & nullo modo evincere valeat. Omnipotens autem Deus qui dixit, mihi vindictam, ego retribuam, ipſe illum condempnet, qui hanc***

noſtram chartulam in aliquam calumniam immiſerit. Verùm contra morem nihil peccavit amanuenſis, nec quidquam bene novum tentavit. Primò enim certum eſt Marculfum, qui Meroveadum ævo vixit, formulas ſuas conſcripſiſſe, prius inſpectis originalibus chartis, aut earum legitimis exemplaribus, quæ diu ante præceſſerant, ad quas ſuas ille concinnavit. Hìc ſolam ſiſtimus in exemplum, quam dedit capite primo libri ſecundi, quod ſic inſcribitur: *De magna re, qui vult xenodochium aut monaſterium conſtruere*, qui ſcopus etiam Chlodovæani Diplomatis, in quo de conſtruendo cœnobio Viviano per Theodechildem agitur. Sic porrò Marculfus quantùm ad diras & imprecationes, ſtylo longe aliter ſæviente quàm apud Chlodovæum: [Si quis hanc voluntatem meam pro quibuſlibet adinventionibus, ſeu propoſitionibus, ſicut mundus quotidie...... convulſor etiam aut tergiverſator extiterit, anathema ſit, & tàm qui fecerit, quàm qui faciendo conſenſerit, anathema ſit, & ſicut Dathan & Abiron hiatu terræ abſorpti ſunt, vivens in infernum deſcendat, ei Giezi fraudis mercatorem, & in præſenti & in futuro partem damnationis excipiat, & tunc veniam conſequatur, quando conſequuturus eſt & diabolus.] Guntramnus & Childebertus reges amicitiam pacti in conventu apud Andelaum, de quo ſupra, & apud Gregor. Turonenſem lib. 9, cap. 20 [Jurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inſeparabilem Trinitatem, vel divina omnia, ac tremendum diem judicii, ſe omnia quæ ſuperius ſcripta ſunt abſque ullo dolo malo, vel fraudis ingenio inviolabiliter ſervaturos.] Deinde, [Lectis igitur pactionibus, ait rex: Judicio Dei feriar, ſi de his quidquam tranſcendero, quæ hìc continentur.]

Ipſa Theodechildis Chlodovæi magni filia in inſtrumento ſuæ donationis apud Cotronium pag. 175 Chronici MS anno 9 Chlotarii primi, ut habet antiquiſſimus codex Vivianus, ſic concludit, & diris devovet, qui dotalitias opes Chriſto legatas uſurpaverit: *Imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & à populo Chriſtiano ſequeſtratus, & à communione Eccleſiaſtica alienus efficiatur; & inſuper inferat partibus ipſius monaſterii, diſtringente fiſco, auri libras* 114, *argento pondera* 50, *& nihilominus quod repetit evindicare non valeat.* Quam pecuniariam multam imprecationibus adjungit Marculfus mox laudatus: *Inſuper etiam inferat ſociante quoque tàm in perſecutione, quàm in exactione ſacra-*

Digitized by Google

tiſſimo fiſco, vel ſancto epiſcopo Eccleſiæ ipſius, auri libras centum. Similem imprecationis & multæ clauſulam appoſuit donationi ſuæ Chrotildis anno 16 Chlotarii tertii, cui ſubſcribunt Agilbertus Pariſienſis epiſcopus, abbates plurimi & optimates, ex autographo Dionyſiano: *Iram ſanctæ Trinitatis incurrat, & a liminibus ſanctarum Eccleſiarum excommunis appareat, & inſuper inferat cum ſocio fiſco auri libras viginti, argenti pondo quinquaginta.* Sub Chlotario II eadem imprecatur Theodetardis apud Dubletium pag. 654: *Vt ille maledictus in inferno inferiori, & anathema & maranatha percuſſus cum Juda cruciandus deſcendat, & ob peccatum quod admittit, in filios & in domo ſua crudeliſſima plaga deſæviat; ſint leproſi pro hujus culpa, & à Deo percuſſi; ut non ſit qui inhabitet in domo ejus, & inſuper duplicem ſatisfactionem fiſco exſolvat.* Quibus familiaris eſt veterum inſtrumentorum lectio, plura legère zeli fervidioris argumenta tàm in regiis quam in privatorum chartis.

Nec inutili parergo excurremus, ſi advertere velimus non indigna fuiſſe regum majeſtate, nec eorum auctoritati contraria veneranda hæc divinæ religionis terricula, quæ ab ipſis præſulibus ſacris, ac ſummis etiam pontificibus adhibita fuiſſe, palam eſt apud omnes: immò lege ſeu ritu ſancita in Diurno Romano ante annos plus mille, ut videre licet pagg. 31, 33, 69, 120, 134, 139. Ipſis in ſeipſum diris deſæviit ſanctus Bonifacius Moguntinus epiſcopus in ſacramento quod Gregor. II præſtitit; & Arnulphus Remenſis pari ſe voto obſtringens Hugoni & Roberto regibus tom. 2, pag. 40 Metropol. Remenſis. Similia profert Girolamus Faber. pag. 116 Ravennæ Anticæ. Innocentius II in Bulla originali anni 1137: [*Poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.* Et in eodem Diurno Romano venerandæ antiquitatis pag. 33, ipſe Romanus pontifex eidem anathemati ſe ſubjicit: *Si quis umquam ſeu nos, ſive alius aliquid præſumat contra, &c.* Præſto hîc eſſe poſſet vice coronidis clauſula privilegii à ſancto Gregorio magno Senatori preſbytero, & abbati Æduenſi conceſſi; ſed legi poteſt apud doctiſſ. Mabillonium, pro qua ſtat toto cap. 9 lib. 2 Rei Diplomaticæ: ex quo pariter imprecationum antiquitas, ipſique Chlodovæo coæva probatur. Inſigne tamen Chriſtianæ mode-

Digitized by Google

rationis exemplum exhibet Wido comes Matiſconenſis, pag. 457 tomi ſexti Spicilegii Dacheriani, in charta ſua pro monaſterio Cluniacenſi, ibidem habitu monaſtico proximè induendus. [Si quis in prædictis calumniam vel moleſtiam ullo modo intulerit, duriſſimam virgam & diſciplinam omnipotentis in hoc ſæculo experiatur; quia non eſt dignum optare cuiquam ut in perpetuum damnetur. Actum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo octavo, &c.

COROLLARIUM.

Pro iterata genuinarum Chartarum defenſione.

HActenus intemeratæ Chartæ partes ſuſcepimus, & à ſcrupulis rixantium, quâ ſeſe veritas obtulit, exemimus. Si fortè longius à primario noſtræ Diſſertationis argumento digreſſi ſumus, non tamen aberravimus à ſcopo, cùm ætati probandæ Chriſtiani Senonum natalis palmare nobis argumentum occurrerit, ipſum ſcilicet Diploma regium, ſed pari fato temerè cum pluribus aliis Merovingicis chartis multatum, à falſi ſuſpicione debuit vindicari. Nævos ab aliis objectos bona fide recenſuimus, & quâ licuit abſterſimus. Verùm quia poſſent alii ſublatere, & nonnihil negotii faceſſere minus in ſcientia temporum peritis, quibuſque non ita patuere veterum Bibliothecarum ſcrinia, juvat quædam iterum obſervare, cùm in hujus Diplomatis præſidium, tùm aliorum in quæ jugiter blaterant nuperi critices adminiſtri.

I. Illud potiſſimùm urgent contra veterum chronologiam, quod ex lemmatibus & ſubſcriptionibus Conciliorum novæ collectionis, quam Sirmondus, & ex eo Labbeus accurrarunt, eruunt iſti pro definiendis rerum epochis, putantque quidquid Sirmondo diſplicuit, veritati mortiferum eſſe. At jam oſtendimus lubricam eſſe ſynodalium Actorum fidem (ſalvâ ſemper canonibus reverentiâ ſuâ) nec quidquam ex illis dogmaticum induci poſſe pro temporum delectu, pro ſedibus aut nominibus prælatorum, & pro regum & conſulum chronologicis notis; ut mirum ſit quòd poſthabitis veterum effatis, ubi ſincere conveniunt, meris ut plurimùm conjecturis novitas indulgeat. Hæc quidem ſupra: ſed audiendus præ cæteris ipſe Sirmondus, cui tamen tota novantium ſchola prona ſubſcribit. Multa enim in rem noſtram præfatur ad tomum primum editionis ſuæ Con-

Digitized by Google

cil. Galliæ, quibus ſatis innuit in illa voluminum congerie quibus uſus eſt, nullum ſibi fuiſſe codicem originalem ad cujus fidem quidquid peccatum eſt, in apographis corrigere poſſet.

[Cæterùm, *inquit*, quod dicere cœperam, ſynodorum illos « ſuarum, canonumve nullum certum corpus, nullam ſtatam « collectionem habuiſſe docet varietas ipſa exemplarium. Quot « enim extant codices antiqui, totidem fere diverſæ ſunt col- « lectiones: aliæ in aliis plerumque ſynodi, vel plures numero, « vel pauciores; raro eædem, aut paucæ in omnibus cernun- « tur, &c. Quamquam, niſi diſſimulare volumus, de hac ve- « terum codicum noſtrorum perturbatione vel inopia nihil eſt « quod privatim ac præcipue conqueramur: fuit ea communis « noxa omnium gentium.] Hæc vera cordati viri indoles; & « contra ſerpens tam longe lateque novitatis virus præſentiſſi-mum antitodum, ad quod advertere nolunt, quibus Sirmondi conjecturæ, quibus ſolis uſus eſt, indubitata videntur veritatis chronologicæ oracula, certaque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ momenta. Secùs ille, qui ſibi non minus quàm aliis cautum eſſe voluit hoc ſolemni effato: [Neque id opinor jure « quiſquam à nobis exigat, aut ſibi hanc legem ullus eorum, « qui antiqua dant in lucem, imponi velit, ut omnium aucto- « ritatem præſtandam in ſe recipiat. Tui nempe judicii fuerit, « prudentiæque, lector, in his quæ ad publicam utilitatem « proferuntur, ſi quid forte uſpiam melioribus aſperſum ſe of- « ferat, quod non proinde probandum videatur, rectis frui, & « iis, quæ offendant, rejectis, meliore te ſæculo natum gratu- « lari.] Ad hanc ſinceræ mentis cotem acui noluit Labbeus, « ut in hujus Chriſtianæ modeſtiæ ſacrum aditum penetraret, ratus ubique marginalium operum ſuorum in nova Conciliorum omnium editione, quam ex Sirmondo accurravit, in communi caligine, quam probe profitentur eruditi, ſibi ſoli verum affulſiſſe. Inſignes habuerat, & omnium votis digniſſimos (ut etiam Sirmondus) ſui laboris prodromos Crabbæum Franciſcanum, Surium Carthuſianum, & Binium in ſacra Theologia bene meritum; qui quo labore & diligentiâ ſuas editiones adornaverint, ipſi teſtantur in prolegomenis. Primus, *Per varias eaſque vetuſtiſſimas diverſarum regionum Bibliothecas diligenter ſe inveſtigaſſe veterum ſchedas & exemplaria.* Alter, *Aliquot locorum millia in ſynodis & epiſtolis decretalibus hactenus editis ad vetuſtiſſimorum MSS codicum fidem diligenter emendaſſe, reſtituiſſe.*

Tertius, *Ex MSS, aliiſque emendatioribus codd. auxiſſe, contuliſſe, recognoviſſe.* His attrita laboribus tantorum virorum ætas, hi inſignes tot annorum partus, & quæſitum tam anxie rei litterariæ totique Eccleſiæ decus, ad ſolas Labbei conjecturas, & ex Sirmondo convaſatas evaneſcunt, & quod magis eſt, egregie vapulant illi, quâ ſeſe prorepit novitatis pruritus. Tam igitur injurioſum eſt veritati, quàm humano ſenſui, aliorum luce offendi, cùm etiam in propriis cœcutimus ipſi; ducem ſe viæ præbere, cùm ſimus dubii quâ ſit eundum; & ſtabiles videri, dum nutamus. Sirmondi notas evolve, & margines Labbei, nihil à me gratis aſſertum pervidebis.

2. Jam oſtendimus ex conflictu inter eruditos & chartarum peritiſſimos, vix certum poſſe conſtitui characterem, quo purum labis & integrum Diploma dignoſcatur. Plura Mabillonius exhibet ejuſdem ætatis, & quæ genuina credimus: plura tamen notas habent à ſe diverſas, in quibus mirifice luſit indoles amanuenſium. Alia profert Puricellus, alia Papebrochius, non pauca Perardus ejuſdem ævi cum Mabillonicis; ſed quæ, quantùm ad ſcripturæ genium methodumque, vix cohærent. Calumnianda proinde non venit charta Chlodovæi, ſi quid habet quod inſolens videatur, niſi proferantur aliæ ejuſdem regis; cùm unica Mitiacenſis, quæ & illa ſpecimen habet longe diverſum ab aliis Merovingicis, non ſit regula certa dignoſcendi, quæ ſint nothæ vel legitimæ: alioqui perirent quæ tanto labore, necnon artis & diligentiæ apparatu æri preloque credita legimus à Mabillonio horum omnium ſcientiſſimo.

3. Pronus eſt in chartarum excidium, aut certe ſuſpicionem, novantium turbo, ex ea quæ ſenſim irrepſit prurigine credendi, eas à monachis cæteriſque collegiorum Myſtis confictas, aut interpolatas fuiſſe. Nullus apud quoſdam recentiores alius cenſuræ modus aut lydius lapis probandis Diplomatibus, quàm iſthæc ſemel concepta contra monachos opinio, quæ longo tempore, quod cætera domat, pluſquam invaluit. Et verò neminem latet famoſiſſima eſſe apud illos antiquarum rerum ſcrinia, & immenſum rei litterariæ penum, præſertim apud Benedictinos, de quibus omnibus, citrà aliorum invidiam dicere liceat, quod de ſuis Anglicanis cœnobitis, V. C. Johannes Mareſhamus, licet à noſtris ſacris alienus, ſcribebat nuper, ſtatim ab initio ſui Monaſtici Anglicani in gratiam Benedictinorum:

rum, quòd eorum eruditioni debeat Anglia, ſi ſe non ignoret, ut eorum pietati quòd ſancta audiit apud omnes. [Monachatus olim maxima fuit pars gentis Eccleſiaſticæ, & parietes cœnobiales diu ſanctitatis & melioris litteraturæ fuerunt ſepes. Ex illo ſeminario prodierunt ingentia illa Chriſtiani orbis lumina, Beda, Alcuinus, Villebrodus, Bonifacius, & alii ob doctrinam & propagatam fidem impenſè colendi. Abſque monachis nos ſanè in hiſtoria patria ſemper eſſemus pueri.] Hæc ab heterodoxo veritas elicuit, quæ non minus obtinebit ab aliis cœnobialium rerum ſcientiſſimis, probéque doctis, quàm jugi Bibliothecarum & lucubrationum ſuarum ſcaturigine perennent ad hanc uſque diem ſcientiarum omnium rivuli, quibus tota litterarum reſpublica proficit in dies. At quàm liberalis eſt in gratiis rependendis, & in laudes effuſa pro tot exantlatis laboribus in litterarum emolumentum & decus, cùm mere gratuita ſunt eorum ſtudia: tam iniquo livore tabeſcunt eorum æmuli, dum gratus & benevolus ſacrorum & ſæcularium magnatum animus, datis undique Diplomatis & privilegiis, cùm ſpiritualibus, tùm temporalibus gratiis, tot impenſa publicæ felicitati beneficia muneratus eſt. Serius aut citius conclamatum fuit ab æmulis, ab invidis, & ab illis præſertim, quorum utcumque intereſt tanta non concedi, nuſquam emerſiſſe privilegia illa, chartas eſſe fictitias, & ſuppoſititia donationum inſtrumenta. Hoc delirio in vulgus ſparſo, plures hodieque dementant, nihilque tam frequens pro roſtris, quam ſic perſtrepentium clamor; quos ad mentem reducere, mei non eſt inſtituti, nec votum animi morbo mederi, qui ipſi innocentiæ coævus tamdiu durabit, quamdiu bene moratis arridebit. Hac curâ nec perfunctorie, nec infeliciter perfuncti ſunt alii contra Gabrielem Naudeum, & Conringium cæteroſque monaſtici Lycæi, librariæ apud illos ſuppellectilis, ſed præſertim gratiarum, & immunitatum à primæ ſedis regnique proceribus eis conceſſarum oſores. Sed hinc nata ringendæ chartæ prurigo nullam ei labem inurere poteſt; ſicut nec odium nævus eſt virtutis. Non negarim ubique gentium, & in ſacris etiam cœtibus nebulones extitiſſe, quibus vel chartas fingere, vel interpolare luſus fuit: at ſolis monaſticis noxam hanc impingere furor eſt hominis male ſani, & ab hiſtorica veritate longius aberrantis. Caſtigavit etiam Papebrochium Mabillonius hac paululum contra monachos impetigine laborantem,

Digitized by Google

ut qui velit turpem hanc fallendi libidinem ab illis promanaſſe circa ſæculi undecimi primordia, quo nuſquam ſanctius clauſtra floruêre; pluribuſque probat illam mendacii larvam veris Diplomatibus coævam eſſe. Ne ſim nimius, adiri poteſt ad cap. 6, lib. primi, & 5 & 6 lib. tertii Rei Diplomaticæ; quo toto opere, quod in immenſum ſuis laudibus poſteritas proſequetur, ſic veritati litavit, ſic ſuorum integritati quâ ſcalpello, quâ calamo per 60 ſpecimina æri inciſa, & ducenta & amplius originalium chartarum monumenta ſinceræ fidei & auctoritatis locupletiſſimo penu Benedictinarum Familiarum deprompta; ut candidius oſtendi non poſſit intemerata ſemper fuiſſe apud cœnobitas illos hæc ſibi credita antiquitatis decora. De privilegiis & donationibus par cum rebus hiſtoricis ratio; alioquin nihil tam injurioſe cogitatum, & temere prolatum, quàm ex illo lædendi pruritu ſimilia blaterare. Sed hæc blitea ſunt, nauccique facienda.

4°. Iterum in chartas ſævitum, quòd nonnullis hînc inde mendis aſpergantur aliquæ earum. De Chlodovæana quam hîc propugnamus, non facile conſenſerim. Non tamen moror quin iſthæc objectio liberius currat per omnia litteratorum Muſæa, & ferulæ ſubdat ipſa ſanctorum pontificum & regum Diplomata, in quibus mendas nonnumquam advertere licet librariorum vitio, aut exſcriptorum incuriâ: ſed hînc rejicienda penitus prælatorum ſcita, canones Conciliorum, principum edicta legeſque, nemo jure dixerit, de quibus omnibus illud edicendum, quod Baronius de geſtis Sanctorum prudens aſſeruit in notis ad Martyrol. ad 9 Octob. [*Quod ſi ob unum errorem vel alterum in vitis Sanctorum inventum, cætera quæ remanent fide carere dixerimus; profectò omnes fere Sanctorum vitas in maximum diſcrimen inducimus, cùm pene in omnibus aliquid notari poſſit, quod corrigendum videatur.* Eadem mens eſt C. V. Hadr. Valeſio, & par in veteres chartas, notæ aliàs probitatis, indulgentia; ex uno ſcilicet defectu, & plerumque imaginario, non eſſe temerè proſcribendas. Siquidem reſpondens Diſſertatori Launoio, excidium minitanti Dionyſ. Diplomati à ſubſcriptionibus quorumdam epiſcoporum, quos nuſquam extitiſſe putavit, vel qui nondum infulati erant, pauca hæc ſapienter ingerit: *Aſſentior eos (epiſcopos) nondum anno 862 dictarum urbium antiſtites fuiſſe, ſed quia eorum nomina ab aliquo antiquitatis ignaro decreti ſubſcriptionibus poſtea inſerta ſunt, non ideo totum*

Digitized by Google

decreti corpus falſi arguendum, pro ſuppoſititio habendum, damnandumve exemplo tuo ac rejiciendum puto, pag. 353 ſuæ Defenſ. pro Baſilicis. Hoc æqui bonique viri judicium eſto: ſed tunc non meminit Valeſius ſubſcriptiones poſteriùs additas illi Diplomati, ſicut & aliis, non fraudem, aut inſcitiam ſcribarum innuere, ſed morem tunc ætatis uſitatum, ut ſupra monuimus. Frequentes has chartarum noxas, ſed tutâ ſemper rei ſubſtantiâ, non ignoravit vir eruditiſſimus Jacobus Gothofredus, occaſione data nævorum, qui in codice Theodoſiano ſæpius occurrunt, & in ipſas leges ante earum digeſtum, præcipiti amanuenſium calamo irrepſerant, ut probat cap. tertio ſuorum prolegomenōn, *de nævis & erroribus codicis Theodoſiani* inſcripto: *Vitium quoque frequens*, ait, *in inſcriptionibus, & ſubſcriptionibus legum, veluti in Imperatorum nominibus adſcribendis vel omittendis, in conſulatibus item non recte aut plene deſignandis. Quod videre eſt in Conſtantinianeis & Valentinianeis. Vnde ea chronologiæ confuſio enata, quam reſtituere operoſum hodie ſæpe videatur.* Quæ tamen ſcribarum peccata auctoritate codicis, ubique fere populorum recepti, nihil hactenus nocuêre, ſicut nec vitia ſermonis & ſolœci ipſis legibus: ut patet ff. de Stat. hom. lib. L. Imperator; & de Manum. Teſtam. L. Qui habebat. C. de Teſtam. L. Errore, & L. Ambiguitates. & Extra de Fide Inſtrum. c. Ex parte, &c.

Eadem fere notat Vvilthemius apud Papebrochium in Propylæo num. 68 & 69, ubi chartas nonnihil à veritate hiſtorica, aut chronologiæ legibus deflectentes, non ſpurias putat aut confictas, ſed autographorum vice *ſuffectas* à notariis bonâ fide ſcribentibus, quamvis parùm eruditis, & à judicibus in foro receptas. [*Hæc*, inquit, *vicaria Diplomata pro confictis atque falſis non habebantur; quippe ſcripta auctoritate regum atque imperatorum, ut ſummam rei ex vero continerent, hoc eſt, donationes, fundationes, privilegia, & id genus alia, quæ de cætero notarii homines candidi & antiqui moris condebant ex ſuo vel dictantium ingenio, iis adhibitis verborum formulis, perſonarum nominibus, temporum notis quas pro ſuo captu ad rem eſſe arbitrabantur. Atque ut iſta ſine dolo malo in publicum emittebantur, ita minimè argutè aut ſcrupuloſè excutiebantur in curia, judicibus in ſummam rei tantùm intentis, nihil autem ſollicitis an talia ſcripta eſſent cancellata, an ſignata, an ceris affixis munita, an dies & conſules rectè aut perperam notata haberent.* Hæc omnia probè firmantur regulis ſeu

Digitized by Google

obſervationibus Auctoris Diplomatici ſuperius recenſitis in objectione ſecunda, circà finem.

Quantùm ad Chlodovæi Diploma, cui præcipue debitor ſum, illud obiter dictum velim nullo prorſus vitio temeratum eſſe ex illis decem quæ idem auctor expendit, ut reprobet Dagobertinum ſancti Maximini juxta Treviros, à Papebrochio propoſitum pro germano talique, ad cujus ſpecimen alia diſcutiantur. Si quæ minutiora forſan occurrant ad quæ ceſpitent non bene periti in rebus diplomaticis; ut plurima verba jam exotica, & à noſtris uſibus longe fugientia, & quibus etiam ævi barbaries ſuos nævos inuſſit: conſulant chartas primæ ſenectutis notæque probitatis, & à criticorum pumice tutas; paria cernent hujus venerandæ vetuſtatis indecora, quæ non placeret niſi talibus ſulcata rugis. Has mediæ ætatis labes, poſtquam periit inter noſtrates Latii decor ſermonis, vera tamen ſui ſæculi ſymptomata jugiter exhibet V. C. dominus du Cange in Gloſſario ex veteribus diplomatis & inſtrumentis. Et ſi ſincerus audire poſſim apud cordatos, mihi facilè præſtabunt fidem aſſerenti nihil in hoc Diplomate Chlodovæano me legiſſe, quod alia paris formæ, vel auctores ſynchroni, aut ſi ſuppares, ſingularis certe eruditionis, non exhibeant, ut patebit ſylvam Diplomaticam Mabillonii perluſtranti, aut Papebrochium, Chiffletium, Labbeum, Puricellum, Perardum, Gretſerum, Conringium, Ughellum, Dubletum, Yepeſium, cæteroſque rerum ſuarum ſcientiſſimos evolventi

Ne cum aliis, lector, offendas ad hæc verba in ſubſcriptionibus noſtri Diplomatis: *Ego in Dei nomine Aurelianus conſiliarius regis*, quaſi noviter inducta. Eadem enim habet Flodoardus lib. 1 Hiſt. Remenſis cap. 13, loquens de Chlodovæo proximè ſacris undis tingendo: *Rex ab Aureliano conſiliario ſuo ſuadetur, ut credens in Chriſtum, &c.* Eamdem vocem habes in leg. Burgund. in Proemio. In Capitul. Caroli Calvi tit. 16, cap. 12. & tit. 30. Conſtantinus lib. 1 de Them.

Hîc tandem poſt longiorem excurſum, chartæ Vivianæ à Chlodovæano magno conceſſæ, defenſioni finis eſto. Cujus ab aliorum ſcrupulis vindicandæ duplex mihi ratio ſuadebat; quòd ſcilicet præcipuo, de quo quærimus, argumento pro Saviniani epocha foret neceſſaria, & quòd natales celeberrimæ domûs Vivianæ mirè commendet. Nunc ad primarium hujus Diſſertationis ſcopum de vera Senonum origine Chriſtiana ſtylum proſequendo convertamus.

Digitized by Google

§ V.

Probatur item ſanctum Savinianum à beato Petro Senonas miſſum.

NOvitati criticorum hactenus oppoſuimus traditionem, jugi populorum conſenſu firmatam; Acta martyrii ſancti Saviniani, ſuis librata momentis; Acta etiam paſſionis ſanctorum Sanctiani & Beatæ ſub Aureliano Cæſare, quorum character genuinam præ ſe fert antiquitatem; ſubjecimus chartam Chlodovæi Saviniano propitiam, & jam (ni fallor) à novantium anathemate tutam. Cætera quæ ſuccurrunt, ſpeciali quæque titulo adtexemus.

Inſcriptiones.

Eas, ut ipſis Eccleſiæ ſacris initiis coævas, exhibent nobis nominatiſſimi duo rerum Senonicarum ſcriptores Buretellus & Tavellus, jam ſupra non ſemel laudati. Primus in Opere ſuo nondum vulgato, quod de Senonum præſulibus inſcripſit, refert ex antiquiſſimo codice MS Eccleſiæ Senonenſis (occaſione reædificandæ S. Salvatoris Eccleſiæ, nunc ſancti Saviniani dictæ) hæc verba quæ à ſcriptore antiquioris ævi pervetuſtus ille codex mutuatus eſt: [Placuit & neceſſarium erat " beatiſſimi Saviniani ſociorumque ejus Eccleſiolam, quæ ab- " jecto conſtruebatur opere, & jam ſenio defecerat, evertere, " & loco ipſius aliam meliuſculam majoribuſque impenſis de- " coratam reparare. Quæ ut antiquiſſimis litteris deprehenſum eſt, " & multorum mortalium opinio, ab ipſis fidei noſtræ cuna- " bulis ipſo eodemque primo pontifice, & Apoſtolo noſtro im- " perante, eſt conſtituta, & officio ſacri baptiſmatis, collecta- " rum quoque & ſacramentorum ſolemniis dedita. Poſtremò " martyrum corporibus pretioſiſſima morte ſolutis, quæ ſepul- " turæ lege ſuſcepit, omni decoramine præſtantius, omnique " theſauro ditius eſt ornata. Cumque primùm dejecto culmine " & propulſis parietibus, humum quoque fundamentis ingeſtam " effoderent, invenerunt alium vetuſtiſſimum parietem, prio " ri quidem interius adhærentem, ſenioribus fundamentis im- " poſitum, *qui illius antiquiſſimæ fuiſſe ferebatur Eccleſiæ, ab ipſis* " *Chriſtianæ militiæ principibus, ſicut diximus, collocatæ.*] Poſt quæ, " mira refert de pretioſis martyrum corporibus repertis in ſcro-

Digitized by Google

bibus, & fundamentis altiſſimè defoſſis, in loculis plumbeis, ſaxeis & gypſeis. Deinde in rem noſtram pro Saviniano:
» [Progreſſi verò interius totam ſedem ſtudioſius mundave-
» runt, nihilque præter id quod præmiſimus invenerunt. Cæ-
» terùm in pavimento quod ſectis atque complanatis lidoriis
» interius totum ſternebatur, antiquiſſimæ ſanè litteræ in ea
» quâ capita poſuerant parte, duabus digeſtæ lineis imprime-
» bantur, quæ ita quidem, cruce præpoſitâ, ſeſe habent. *A pau-*
» *cis miniſtris Chriſtianis ibi poſiti ſunt martyres Dei ſecundo Ca-*
» *lendas Januarii, ſanctus Savinianus, ſanctus Potentianus, ſanctus Eodaldus.*]

Ex hujus antiqui ſcriptoris fonte ſimilia prorſus hauſerunt Clarius, Gaufridus à Colone, Robertus Antiſſiodorenſis ſancti Mariani monachus Præmonſtratenſis, loquentes de prædicta ſancti Saviniani Eccleſia ſub Richerio Senonenſi archiepiſcopo reſtituta anno 1068. Sed monendus lector quædam in illa narratione legi veriſſima certè, ſed quæ annum 847 longius præceſſerunt; nam ab illo anno, quo Wenilo Senonis ſedebat, jam ab illo tranſlata fuerant corpora ſanctorum Saviniani, Potentiani, Altini, Eodaldi, Serotini, Victorini, &c. in cœnobiticam Baſilicam ſancti Petri Vivi, ut iidem auctores omnes, aliique rerum Senonenſium hiſtorici, ipſumque Breviarium Senonenſe & Vivianum cum aliis plurium Eccleſiarum ſacris monumentis conſtanter referunt. Ipſaque tranſlatio eodem anno 847 in tabulis Eccleſiaſticis conſignata annuis honoribus celebris habetur per totam diœceſim. Hac obſervatione commendatam volumus prædictæ narrationis (cui vetuſtus codex Senonum adhæſit) antiquitatem, & in gratiam Diſſertatoris, cui ſola veterum monumenta arrident, quæ Caroli magni tempora præcedunt.

Alias inſcriptiones ſeu lemmata non minoris ævi profert Tavellus Senonis impreſſus anno 1608, & ſi ejus calamum fugiſſent, adhuc hodie patent omnium adventantium aſpectibus in ejuſdem Eccleſiæ ſancti Saviniani ſubterraneo ſpecu, ex antiquioris ruderibus eruta, & Senonenſium ſedula pietate, poſterorum devotioni ſacra & ſervata. Ex doctiſſimi Mabillonii ſpeciminibus non ægrè de litterarum harum grandævitate cenſebis, quæ unciales, ut vocant, ſibique nonnumquam implexæ eò magis Romanam præ ſe ferunt vetuſtatem, quò ad hujus ætatis majuſculas propius accedunt: mihique ad manum

Digitized by Google

eſt argenteum numiſma, ex una parte Cæſaris faciem cum hoc lemmate CÆSAR AUGUSTUS, ex altera jaculum cum duabus æqualibus palis in decuſſim poſitis exhibens, & ſimul hæc verba, DIVUS JULIUS: quæ noviter cuſa cenſeres, ſi primæ ætatis characteres tibi noti non eſſent. Sed præſtat audire Tavellum pag. 3.

« Reliquiæ ſepulchri ſanctorum martyrum (Saviniani, &c.) adhuc extant in crypta ſeu loco ſubterraneo in Eccleſia ſancti Saviniani, quam hæreticorum rabies efferata incendit menſe Decembri anno 1567, cùm Senonum urbem obſiderent, & fruſtra oppugnarent. Elogia litterarum formâ vetuſtiſſimâ inſcripta lapidibus in eadem crypta, non piget hîc aſſcribere, quæ priſcam redolent pietatem. »

Ad Orientem.

« Hujus ædis in receptaculo ambiuntuur tumulati Chriſti martyres meritò Savinianus & Potentianus & Eodaldus. Corpus autem Serotini in altera Baſilica, ſed in iſto cimiterio eſt poſitum. »

Ad Occidentem.

« Felix ager & inclytus, valde pulcher & candidus, roſeo ſanguine martyrum feliciter conſecratus, orationumque munere dignè adornatus eſt. »

Verſus Meridiem.

« Per flores roſei ſanguinis ſumpſerunt coronas victoriæ martyres Chriſti Savinianus & Potentianus cum multitudine ingenti, & ibi tumulati ſunt pridie Kalend. Januarii. »

Licet illa ſancti Saviniani Eccleſia, Chriſto Domino *Salvatori* olim poſita ab ipſo ſanctiſſimo præſule, pluribus cladibus & conflagrationibus attrita ſpeciem ſæpe mutarit, ut habent veteres ſchedæ Vivianæ; receſſus tamen ille ſubterraneus tota Senonum religione frequentiſſimus ſitum, nec virtutem confluentibus illuc populis, & languentibus ſalutiferam uſquam mutavit. Ad eum olim religionis votique cauſa peregrinabantur primi Chriſtiani; & quod de Columba, Sanctiano, Auguſtino, & Beata ad illas Senonenſium martyrum memorias ex Hiſpania ſecuriſſimè profugis dictum eſt ſupra, eos ſcilicet cùm ad Saviniani tumulum excubarent, ab Aureliano Cæſare comprehenſos & cæſos anno Chriſti 274: de aliis ejuſdem & ſequioris ævi beatiſſimis illis manibus pio cultu devotis non temerè opinamur ex tot martyrum aggeribus ibidem ſepultorum,

Digitized by Google

& 40 & amplius Senonum præſulibus Saviniani corpus ambientibus in illo S. Petri Vivi cœnobio.

Nolim ego inter hæc ſinceræ antiquitatis rudera quidquam veritati novum accerſere, quod ab eruditis minus probetur: nec ita jejunè pro Saviniano diſputamus, ut dubia pro certis in ejus cauſa miniſtrentur. Si tamen apud omnes doctiſſimi Jac. Sirmondi judicium valeat, quod apud criticos oraculum eſt, non ægrè tali viro concedent antiquiſſimum fuiſſe apud Senonas Saviniani cultum, & jam ante Conſtantini magni tempora ſepulchrum ejus glorioſum extitiſſe, & votivis honoribus frequentatum. Id ſibi perſuaſum habuit vir ille temporum ſcientiâ clariſſimus, non ſolum ex his quæ ſuperius ſunt aſſerta, ſed præſertim ex Labaro ſeu monogrammate Conſtantini, lapidi inſculpto, & in arenaria & adytis cryptæ ſacratioris ſancti Petri Vivi (quæ olim ſancta ſanctorum dicebatur) noſtris diebus reperto; quod oſtio ſpeluncæ inferioris & omnium profundiſſimæ imminebat, velut inſigne, ait Sirmondus, conceſſæ ab imperatore facultatis ſacros ritus & eccleſiaſtica munia liberè & coram exercendi: quodque in ipſa Senonum metropoli, ut omnium tunc ætatis intra fines Galliarum Romanæ editionis nobiliſſima, & in loco propter merita Saviniani omnium religioſiſſimo conſpici deberet. Opponebam ipſe contra ſenſum Sirmondi lapidem illum ut publicæ felicitatis teſſeram non inferioris ſpeluncæ valvis, ſed ipſis Eccleſiæ ſtholis affigendum fuiſſe: non negavit ille, ſed forſan ſitum mutaviſſe ob varias illius Eccleſiæ clades, aut ſub Juliano Cæſare, ſub quo novus perſecutionis fomes efferbuit, deffoſſum fuiſſe.

Facile concedam argumentum hinc deductum pro antiquiori Saviniani epocha, quam agitamus, non convincere, ſi ſolitariè ſumatur, nec Severianæ aut Decianæ quidquam officere; quidquid ſit de Sirmondi benevolo ſenſu, qui putavit ſacrum illud Saviniani delubrum multum ſibi temporis, religionis & celebritatis ante Conſtantini monarchiam adſciviſſe, ut ejus vexillo & inſignibus præ cæteris emineret. At ſi ſpectentur rationum momenta in præmiſſis 4 ſection. digeſta, novum ex hoc lapide quæſitæ rei firmamentum accedet, qui tanti fuit Sirmondo; ut eum in æs inciſum publico dederit.

§. VI.

Digitized by Google

§ VI.

Martyrologia.

HÆC probandi ratio familiaris eſt Diſſertatori, ut quæ certam Eccleſiarum traditionem compendioſè demonſtret. Habes imprimis pro Saviniani, quam inquirimus, epochâ vetuſtiſſimum martyrologium MS. bibliothecæ Thuaneæ, nunc in celeberrima Colbertina ſub cura doctiſſi. & C. V. Stephani Baluzii: *Pridie Kalendas Januarii. Apud Senonas beatorum Sabini, Sabiniani epiſcopi, & Potentiani, qui à beatis apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.*

In codice Viviano [Pridie Kalendas Januarii. Senonis « paſſio ſanctorum Saviniani, Potentiani, Altini, Eodaldi, Vi- « ctorini & ſociorum martyrum, quorum duo primi inter ſeptua- « ginta duos diſcipulos à Chriſto delecti & à beato Petro Se- « nonas miſſi, nobilem illam Galliarum metropolim, & plures « alias ei ſuffraganeas civitates Chriſto conciliarunt. Tandem « multâ per baptiſmum prole fœcundi, & gratiarum omnium « quæ viros apoſtolicos decebant, divinis chariſmatibus inſigni- « ter aucti, primariam Eccleſiam ſuæ ſedis inauguratione ſui- « que ſanguinis effuſione cum prædictis & pluribus aliis utriuſ- « que ſexûs fidelibus conſecrarunt. Paſſi ſunt omnes in alodio « S. Petri Vivi; & in ejus arenariis cryptis, ubi diu ſynaxes « egerant, ſepulti.] «

Tertius codex Corbeienſis bibliothecæ, paris cum Thuaneo characteris & ætatis, mirèque commendatus ab eruditiſſ. Hugone Menardo, nihil profert diverſum à primo: *Apud Senonas beatorum Sabiniani epiſcopi & Potentiani, qui à beatis apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.*

Non aliter ſcripſit Ado Viennenſis in Martyrologio: *Pridie Kal. Januarii. Apud Senonas natale beatorum Sabiniani & Potentiani, qui à beatis apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.*

Vetus martyrologium Baſilicæ Vivianæ ad diem 19 Octobris [In Galliis civitate Senonis, Natalis beatorum marty- « rum Saviniani Potentiani & Altini: qui à Domino noſtro «

„ Jeſu Chriſto deſignati ex ſeptuaginta diſcipulis, poſtmodum
„ verò à beato apoſtolorum principe Petro ad prædicandum
„ Gallias deputati efficaciſſimè claruerunt doctrinâ & miracu-
„ lis. Cùmque in eadem urbe jam per continuam prædicatio-
„ nem, multitudinem populorum ad fidem Chriſti converti ſſent;
„ ab iniquo duce Severo graviter fuſtibus macerati, ac deinde
„ plumbatis diutiſſimè laniati, noviſſimè in ergaſtulo carceris
„ ſunt mancipati. Apparente verò in vera carnis ſpecie Domi-
„ no noſtro Jeſu Chriſto, ibi poſtea viſitati & ejuſdem divinita-
„ tis gratiâ præmuniti, ad ultimum decollationis ſententiam
„ feliciter promeruerunt. Paſſi ſunt cum eis & alii eorum ſo-
„ cii quatuor, Victorinus videlicet cum filio, Eodaldus & Se-
„ rotinus] His adjungere placuit martyrologo S. Serotinum, qui tamen poſt Savinianum ad ejus tumulum excubans, martyr occubuit 22 Septembris, cujus ideo natalis in eodem martyrologio ad eamdem diem recolitur.

Sacra Dyptica menaſterii ſanctæ Columbæ, quorum nota Senis canities, non recedunt à ſenſu communi Eccleſiæ Senon. licet beatos illos martyres non à Petro aut apoſtolis, ſed à *pontifice Romano* miſſos edicant, ut mox videbimus: *Apud Senonas beatorum martyrum Saviniani & Potentiani epiſcoporum, qui à pontifice Romano ad prædicandum directi, eamdem urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.*

Conſentit Beda in martyrologio, ſed qui diſertè ſcribit etiam miſſos à beato Petro, ut Launoius ipſe habet pag. 19 ſuæ Diſcuſſ. Convenit tandem inter eruditos interpolatum fuiſſe Bedæ martyrologium: ſed illud aſſerunt de Sanctis tantùm qui poſt mortem ejus claruere; ut proinde dubium non ſit Saviniani memoriam ab eo cultam fuiſſe, & in ejus faſtis celebratam. Quod ſi de eo ſiluit in martyrologio metricè à ſe conſcripto, ut quidem innuit codex Remigianus Remenſis, qui illius apographum manu Bertigarii monachi ſub Ebbone archiepiſcopo exaratum exhibet: vel à monacho Giruenſis cœnobii in Anglia ex ſchedis ipſius venerabilis preſbyteri concinnato, nihil inde patitur incommodi Savinianus, cùm plures alios notiſſimâ ſanctitate & maryrii laureâ celebres, qui in proſaïco Bedæ martyrologio numerantur, auctor ille quiſquis ſit, prudens in metrico omittat. Iſtud advertere libuit, quod quibuſdam obſcura videatur fuiſſe Saviniani memoria. ex hujus metrici martyrol. ſilentio

Nec proinde pigebit referre quæ de primis illis Senonum

Digitized by Google

martyribus habet Vandalbertus in ſuo item martyrologio metrico ad ultimam Decembris, licèt miſſionis tempus non exprimat.

Virgo columba ſimul palmam virtute perennem
Percipis effuſo Chriſtum comitata cruore.
Cumque Potentiano Sabinianus eodem
Occurrit feſto, æquales arâ atque triumpho,
Urbem qui Senonum primi docuere patroni.
Hac tandem claudunt extremum feſta Decembrem.

Florebat Vandalbertus ſub Lothario imperatore anno 854, diaconus & monachus Pruvienſis.

Præiverat Uſuardus ſub Carolo M. ſcribens etiam *à Romano pontifice* miſſum in Gallias Savinianum, cujus verba immutare noluit martyrologium Romanum à Cæſare Baronio recognitum. *Apud Senonas beatorum Sabiniani epiſcopi & Potentiani, qui à pontifice Romano illuc ad prædicandum directi, eamdem metropolim confeſſionis ſuæ martyrio illuſtrarunt.* Ad quæ verba Baronius: *De his Beda, Uſuardus ac cæteri omnes, &c.* Sed à Petro miſſum fuiſſe Savinianum diſertis verbis ſcribit in Annalibus ad annum Chriſti 46. [Quinam verò fuerint qui diverſis temporibus « ad diverſas inſtituendas Eccleſias à Petro ſunt miſſi diſcipuli « & ordinati epiſcopi, licet ſcriptorum inopiâ obſcurum penè « remanſerit; aliquot tamen quos recenſitos invenimus, hîc « enumeraſſe voluimus. Habuit à Petro inſtitutos epiſcopos Si- « cilia Pancratium...... In Galliis Lemovicenſes, Tholoſani « & Burdegalenſes Martialem..... Arelatenſes Trophimum, « Senonenſes Sabinianum, Cenomanenſes Julianum, Vienna « & Maguntia Creſcentem, &c.] Superfluum videretur in aliis « cæterarum Eccleſiarum Galliæ martyrologiis immorari, in quibus eadem de Saviniano memoria vel *à Petro*, vel *ab apoſtolis*, aut *à pontifice Romano* Senonas delegato. Triplex enim hîc ſcribendi character in omnibus quæ convaſare licuit martyrologiis reperitur, & eôdem ſingula collimant contra Severianam & Gregorianam chronologicas notas hîc controverſas. Nec hac ſolemni & antiqua celeberrimarum Eccleſiarum profeſſione, niſi luculenter aſſeritur apoſtolatus Saviniani, veraque primi Chriſtiani ſæculi ſacra Senonum origo. Quòd veterrimæ membranæ noſtræ, quod Eccleſiarum religioſa Dipthyca, quod Beda,

Digitized by Google

quod Ado Viennenſis aut Trevirenſis, quod Uſuardus, Vandalbertus, aliique de hac chriſtiana Senonenſium geneſi publicis litterarum monimentis conſignarunt; fides erat patrum & decurrentis per tot ſæcula traditionis trames, cujus tamen plura ſuppetunt, ut vidimus, ſcripta monumenta, quæ Caroli magni tempora quibuſdam ſæculis antecedunt: cujus ætate affectatum à melioribus orbis Eccleſiis Synchroniſmum apoſtorum pro ſuarum ſedium origine gratis pro more ſuo Diſſertator aſſerit, & pluſquam tricies, ſine ulla rationis aut certi cujuſdam auctoris allegatione; ut vel in hoc mirari ſubeat, quàm præceps fuerit & facilis novandi libido, quæ tot ejus ſcholæ percelebres viros addixerit ſolâ nominis celebritate, de quo conqueri nuſquam mihi ſatis erit.

Hæc non indole conviciandi vel criminandi dicta eſſe, præter tot congeſta fugientis fidei ſpecimina, lector advertet ex iis, quæ Diſſertator opponit, martyrologiis ſupra relatis, quæ ſibi potius quàm Saviniano nocitura poterat prævidere.

Poſtularet ordo præſtitutus à nobis has objectiones ad caput ſequens remittere, in quo pluribus aliis fiet ſatis: ſed ne perplexus hæreat lectoris animus Launoianis ratiociniis jam forſan imbutus, ſatius viſum eſt ſtatim à præſtigiis cauere momento huic ex veterum martyrologiorum fide petito, nec diſſimulare quàm inaniter verſetur & ludat in re ſeria vir aliàs graviſſimus.

Objicit duo ne Saviniano proſint martyrologia recenſita. » Primum habes §. 4. ſuæ ſecundæ Diſſertationis [Uſuardus in » martyrologio Sabinianum & Potentianum non à Petro ſed » à pontifice Romano miſſos ait XXXI Decembris: *Apud Seno-* » *nas beatorum Sabiniani & Potentiani, qui à pontifice Romano* » *ad prædicandum directi eamdem metropolim martyrii ſui confeſſio-* » *ne illuſtrem fecerunt.* Hæc ille, qui cùm Senonibus eſſet proxi- » mus, veterem Eccleſiæ Senonenſis traditionem vix potuit ig- » norare. Uſuardum ſequuntur multarum Eccleſiarum martyro- » logia, & hodiernum Romanum vetus martyrologium Ms. » quod olim vidi in bibliotheca R. P. Hieronymi Vignier Ora- » toriani preſbyteri, XXXI Decemb. *Senonas martyrum Sabinia-* » *ni & Potentiani.* Iſtud de miſſione ſilens, nec prodeſt nec officit, niſi quod ſtatum aſſerit Saviniani, de quo nulla umquam controverſia.

Prima ad hanc objectionem reſponſio poteſt eſſe ad homi-

Digitized by Google

nem. Uſuardum hîc & pag. ſequenti mirè commendat, cum eum præferri velit Adoni, cæteriſque Martyrologiis quibus Senonenſis Eccleſiæ traditio non ita nota fuerit, ut ei qui fuit antiquior & Senonis vicinior. Totam igitur Uſuardi ſcientiam, quantùm ad hanc miſſionem attinet, in ſola rei traditione agnoſcit (quidquid illa ſit) cui potius ſtandum eſſe velit, quàm dictatis ab Adone, venerabili Beda cæteriſque, qui vel Petrum, aut Apoſtolos miſſionis hujus auctores fuiſſe conſtanter aſſerunt: hincque non potuit altius extolli vis & efficacia traditionis, quàm hîc à Launoio; cui tamen aliàs exoſa videtur, & in morboniam amandanda, niſi tribus ſit inſtructa dotibus, quas aſſerendi veri, falſique deſtruendi regulas eſſe anxius perſuadere molitur ubique operum ſuorum, ſuperius à nobis recenſitas, & quas iterum lectori ſubjicimus.

[Imprimis, *inquit*, ut de eo quod in traditione poſitum contenditur, diverſis & temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui in teſtes producantur. «

Deinde ut ſcriptores illi niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conveniant in teſtimonio quod de re tradita perhibetur. «

Poſtremò, ut iidem ſcriptores de quibus loquuntur, ad primam rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continuâ ſerie reducantur.] «

Ex his regulis tàm artificioſè, quàm inutiliter excogitatis, convenio Diſſertatorem vel ſibi pronos & aſſeclas, nùm traditio illa apud Uſuardum de prima Senonum Eccleſiaſtica præfecturâ nuda ſit traditio ex ſola populorum conſenſione decurrens; aut Launoiana ad trium illarum regularum incudem efficta, quæ ſcilicet ſcriptores ſecum habeat ſibi ſucceſſivè cohærentes, *& qui ad rei geſtæ originem, quæ veritatis eſt caput, continuâ ſerie reducantur*? Si primum, conceditur nobis quod in hac diſſertatione concedendum eſſe contendimus; traditionem ſcilicet ſolitariè ſumptam, quæ in rebus fidei tantum valet, in Eccleſiaſticis etiam dogmatibus, & ſacris hiſtoriis potiſſimùm valere: & cùm ea ſic accepta tanti ſit apud Diſſertatorem, ut ex ea ſola Uſuardum commendet in illo §. 4 à nobis laudato, ejuſque velit auctoritatem, quantùm ad natales cathedræ Senonenſis, cæteris præſtare; nullus dubitandi locus ſupererit, quin Launoius ad meliora reverſus, veritati tandem libaverit, eique reddi poſſit Hieronymianum iſtud à ſe laudatum pag.

Digitized by Google

170 ſuæ 2 Diſſertationis, *Veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt*. Si verò Diſſertator velit traditionem illam de Saviniano miſſo *à pontifice Romano*, cui Uſuardum putat adhæſiſſe, & ad quem proinde Adonem, cæteroſque monet remittendos eſſe ut corrigantur, ſicut expreſſum habes in eodem §. 4 traditionem eſſe ſecundi generis, & tribus inſtructam conditionibus mox relatis, quæ ſcriptores habeat *continua ſerie ad originem uſque rei geſtæ, quæ caput eſt rei, reducibiles* (hanc enim regulam ſeu conditionem veræ traditionis, ut potiſſimam multus ingerit Diſſertator) cùm à tempore Decii quo miſſum vellet Savinianum, anni quingenti quinquaginta plus minus fluxerint, certos nobis proferat autores, aut antiquitatis monumenta quæ ſeriatim nobis demonſtrent veram hujus miſſionis epocham, & quorum ope traditionem Apoſtolatus Saviniani ſic veram habuerit Uſuardus, ut per illam cæteras corrigi velit adverſarius. Sic enim » lepidè §. citato: [Quod autem Ado hos duos martyres (Sa- » vinianum & Potentianum) *ab Apoſtolis* miſſos dicat in Mar- » tyrologio, nihil moramur. Corrigendus eſt per Uſuardum Pa- » riſienſem monachum, qui antiquior cùm ſit, & Senonenſibus » vicinior, *rem perfectius intellexit*. Quod de Adone dicimus, » potiori jure dicendum eſt de monacho Autiſſiodorenſi qui » quadringentis quinquaginta tantùm ab hinc annis vixit.] Vides, lector, ſed non citrà riſum, traditionem illam ſacrorum Eccleſiæ Senonenſis encæniorum Uſuardo notiſſimam, indubitatum eſſe Launoio veritatis dogma, cùm dicat monachum illum Pariſienſem illius ope res Senonicas *perfectius intellexiſſe*. Utri velit traditioni hoc dogmaticum effatum competere, nobis perinde eſt. De priori jam vidimus: de poſteriori, proferat, inquam, nobis auctores qui ſpatio 550 annorum illam non ſiverint excurrere ſolam. Certè qui primus eorum *ad caput rei geſtæ* propius acceſſerit, immò rei geſtæ ſynchronus fuerit non *à pontifice Romano* miſſum fuiſſe Savinianum ſcribere debuit: ſed nominatim Papam illum exprimere, quem fere digito tangebat (ſi Diſſertatoris regulæ ſtandum ſit) puta Fabianum pro miſſione, aut Cornelium, ſi Deciano gladio martyr ille primuſque Senonum antiſtes cecidiſſet: ſic enim apud peritiores hiſtoricos uſus ab antiquo obtinuit, ne tacito magnatum nomine ſub quibus res eveniunt, earum incerta aut obſcurior foret notitia. Primus ſcriptor, aut rei geſtæ vicinior nomen pontificis

Romani, dubio procul, calluiſſet, & poſtero, ſeu poſt ſe immediatè ſcribenti inditum reliquiſſet, & alii ſucceſſive ad Uſuardum qui cùm nullum ſuis in Faſtis exſcripſerit, nullum certè repperit ſibi à prædeceſſoribus ſcripto tranſmiſſum, ſi quos nactus ſit. Nullos recenſere potuit Diſſertator, ne unum quidem, ex quo conſequitur (quod Diſſertationis noſtræ palmare eſt argumentum) cùm traditio illa quam veram ipſe, & Uſuardus agnoſcunt, nullos habeat, aut indicet ſcriptores ſibi coævos, aut ſuppares, fictitium eſſe quod adverſarius tam anxiè cupit, nec probat ad veram traditionem requiri, *ut iidem ſcriptores de quibus loquuntur, ad primam rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continuâ ſerie reducantur.* Idem ſuperiùs expenſum fuit. Et hæc prima, quæ eſt ad hominem, hujus objectionis ſolutio, poſtquam dixerimus Uſuardum ſcriptoribus antiquis deſtitutum, ſoli traditioni & communi Eccleſiarum ſenſui in ſuis dipthycis ſtetiſſe, & regiâ viâ cum majoribus inceſſiſſe ſentientibus primum Senonum antiſtitem *ab apoſtolis* miſſum fuiſſe, ut diſertè ſcribit Ado, cæterique qui ante vel poſt eum martyrologia concinnarunt

Verùm poſtulat ratio, ut quis objiciat cur Uſuardus qui non neſcivit Savinianum ab apoſtolo Petro legatum in Gallias, vel ſi mavis, *ab apoſtolis*, ut loquitur Ado, quod idem eſt, ut videbimus, utrumque ſiluit, huic magis addictus loquendi formulæ *à pontifice Romano*? Non neſcivit, inquam, immò *perfectius intellexit*, ut loquitur Diſſertator, quia Senonis vicinior, quibus mediis & argumentis ſtaret jugis & conſtans à primis æræ Chriſtianæ temporibus illius Eccleſiæ traditio de miſſis à Petro primariis metropolicæ ſedis antiſtibus, quæ nec hodie tempus abolevit poſt mille ſexcentos annos, ut vidimus, & quibus tota fere tumet ipſa metropolis & territorium Vivianum. Putavit vir induſtrius ſub his verbis *à pontifice Romano*, totam patere miſſionis dignitatem, ſi ad primariam orbis Eccleſiam referretur. Noluit hærere lectores ſuos vir ſapiens & probè doctus, ex quo orbis Chriſtiani tractu miſſi fuiſſent Savinianus & Potentianus, qui cùm Hebræi fuerint, & in ſacrum Chriſti collegium adſciti, opinari quis potuiſſet è Judæa Senonas advenìſſe, ſi *ab apoſtolis*, ut ſcribit Ado & plures alii; aut à Petro, ut volunt alii, miſſos fuiſſe, ſuis ipſe Faſtis inſeruiſſet. Nec improbavit hanc opinationem ſchola Launoii, cui ſimilis fuit de quibuſdam Gallicanis miſſionibus ſententia, opinanti ni-

Digitized by Google

mirum (ut alios taceam) Andeolum ad Vivarienſes , Andochium cum ſociis ad Heduos, Benignum ad Divionenſes ab ipſo Smyrnenſi Polycarpo verbi divini præcones directos fuiſſe. *Non videtur credibile*, inquit Launoius §. 30 ſecundæ Diſſertationis, *virum qui ab annis octoginta plus minus Chriſto inſervierat, quique maximâ propagandæ fidei cupiditate ſemper incenſus fuerat, id & multò ante & diverſis vicibus non feciſſe.* Qui ſenſus menti Baronii non arridet, qui putavit tales apoſtolicos viros non ab aliis quàm ab ipſo Petro legatos.

Suadet hanc conjecturam quòd Uſuardus ſub Carolo magno ſcripſit (mihi tamen melius ſub Carolo calvo) & eo jubente martyrologium publicum accurravit, quem ſciebat Eccleſiæ Romanæ addictiſſimum eſſe; gratum proinde ſuo principi fore ſi nullo veritatis diſpendio ipſam Pariſiorum metropolim eo laudis & gloriæ eveheret, ut diceret eam primæ ſedis curis & obſtetriciis manibus prodiiſſe. Nec enim latebat Uſuardum quarumdam Eccleſiarum Galliæ traditio, in ea prædicaſſe Philippum apoſtolum, ut diſertè ſcribit Freculfus Lexovienſis monachus in Chronico tom. 2, lib. 2; & ante eum Iſidorus Hiſpal. cap. 83 libri de Ortu & Vita ſanctorum Patrum: Lucam Evangeliſtam, ut vult Epiphanius, Hæreſi 51: Creſcentem Pauli diſcipulum, ut habent idem Epiphanius, Euſebius, Theodoretus, Sophronius, Chronic. Alexand. Nicephorus, Ado, Notkerus, & ipſe Uſuardus: Lazarum Maſſilienſium epiſcopum, & Maximinum Aquenſium, &c. quos ſi vera ſit illa traditio, volunt ex Judæa aut Jeroſolymis in Gallias profectos eſſe. Secus de Saviniano & collegis quos Româ miſſos à Petro habent eorum Acta, & cætera quæ vidimus; quibus probè notis Uſuardo; ſibi tamen licere putavit ad majorem emphaſim, & compendii gratiâ, ſub ſolo nomine *Romani pontificis*, quod Petro competere nullus negaverit, miſſionem Saviniani commendare, & Eccleſiæ Senonenſis natales (tanti eſt Romæ charum eſſe) illuſtriores reddere. Huic titillationi paruit Baronius, Eccleſiæ Romanæ præco clariſſimus & encomiaſtes, qui in recognitione Romani martyrologii eadem Uſuardi verba immutare noluit, quamvis in Annalibus ad annum Chriſti 46, quem ſupra laudavimus, expreſſis verbis aſſerat delegatum ab apoſtolo Petro Senonas Savinianum. Sed jam ſatis pro prima ad objectionem reſponſione.

Secunda reſponſio contra quam obſtrepere nolit Launoii ſchola,

Digitized by Google

ſchola, ſtylum exhibet Gregorio Turonenſi, qui Diſſertatori Theſeus eſt, familiarem & Uſuardi ſenſum noſtris non imparem votis. Nam æqui juxta & cordati viri eſt, ut quidquid Gregorio condonabitur, ſimilia cum Uſuardo ſcribenti, huic etiam condonetur; cùm apud Diſſertatorem piaculum non ſit auſcultare Gregorium, ſibique viæ ducem adſciſcere, ut quæ faverint uni, alteri proſint. Hoc dato, ſimiles ſcribendi modos legas apud Gregor. Turonenſem, qui vel inſcitiæ aut oſcitantiæ redarguendus eſt, qui ſiluit nomen pontificum Romanorum, cùm de miſſionibus Apoſtolicis, aut ejuſmodi rebus non inferioris momenti loquutus eſt; aut idem ei ſapuit quod de Uſuardo mox dicebamus. Primum non admittet Diſſerrator, totus ipſe Gregorianus, & in verba magiſtri celebri ſacramento propenſus ac devotus. Alterum igitur concedat neceſſe eſt, ſcilicet per *pontificem Romanum* in his Martyrologiis, aut aliis hiſtoricis monumentis eum Papam ſufficienter exprimi quem rei geſtæ ſtatus, & temporis ratio deſignavit. Pari modo vindicabitur ab errore Uſuardus, quem in hac Saviniani delegatione ſtrenuum traditionis Senonenſis aſſertorem, & aliis coryphæum proponit. Sic autem Gregorius.

Lib. de Gloria Confeſſ. cap. 27, *Igitur ſanctus Martialis epiſcopus à Romanis miſſus epiſcopis, in vrbe Lemovicina prædicare exorſus eſt.* Non potuit à duobus epiſcopis Romanis mitti. Si ſub Decio, quod apud ipſum aſſerit Auctor actorum ſancti Saturnini, & ipſe approbat, ut Diſſertator tamquam pro focis & aris contendit; vel à Fabiano miſſus eſt, qui obiit anno 250 20 Januarii, anno primo Decii; vel à Cornelio qui poſt 15 menſes electus fuit anno 253, quo ad finem vergente cæditur Decius cum filio. Non potuit iſta neſcire Gregorius Turon. rerum Eccleſiaſticarum, teſtimonio Diſſertatoris, ſcientiſſimus: nullum tamen pontificem nominavit, minus in illa celebri ſeptem epiſcoporum miſſione ſub eodem Decio, ſi umquam contigit.

Eodem lib. cap. 80, *Buturiga verò primùm à ſancto Vrſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum epiſcopus ordinatus, in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, &c.* Hîc contra Diſſertatorem & ad hominem iterum diſputo. Aut ſcivit Gregorius illorum diſcipulorum nomina, ſed reticere ſibi liberum exiſtimavit: ſicque immunis eſt à reprehenſione martyrologus Uſuardus, qui Petrum ſcivit Savinianum in Gallias mittentem, ſed alio no-

Digitized by Google

mine deſignavit : aut ignoravit, quo caſu, ſolâ ductus eſt traditionis fide, nullius ſcriptoris coævi, vel etiam ſupparis adminiculo ſuſtentatæ; nullum enim nobis exhibet à quo prima nobiliſſimæ Aquitanorum metropoleos Chriſtiana incunabula acceperit, quod in re tanti momenti neceſſarium videbatur, ſi præſertim prævidiſſet devotiſſimum ſibi Launoium nauci facturum aliquando meras illas traditiones, auctoribus deſtitutas ſibi invicem ſuccedentibus, qui à tempore quo de re geſta controvertitur, ad ejus originem reducantur. Hæc enim potiſſima Diſſertatoris Launoii regula, à qua qui vel minimum deflexerit, exilio in Morboniam deportandum edicit. Nec dicat auctores fuiſſe Gregorio traditionis illius indices, ſed prudenter omiſſos : nam pari licentiâ reponam non defuiſſe Uſuardo cæteriſque qui de rebus Senonicis primi ſcripſere. Gaude veritas, & tuta tecum Eccleſiarum noſtrarum traditio quæ adverſariorum, vel invitorum, obſtetricante manu ſereniſſima prodis, larvaſque mendacii fugitare cogis; ut jam Diſſertatori impunè non ſit toties invehi in traditiones ſolitariè currentes, & tot ſæculorum apud nobiliores Eccleſias uſu probatas, gratuitoque ſcommate tamdiu ludere, nec umquam probare ingenioſè ambitum fuiſſe ſynchroniſmum Apoſtolorum ab omnibus fere primarii Galliarum Eccleſiis ante & poſt obitum Caroli magni, ut unaquæque vel Petri, vel Clementis diſcipulum ſibi fingeret antiſtitem. Cogimur iſta bis terve repetere, ne Diſſertatori centies ſubſannanti, & in primigenia Cleri decora toties inſurgenti victoria videatur, quod ſilemus. Sed proſequamur.

In hiſtoria Francorum (quam poſtremas Gregorii curas opinatur Diſſertator, & quibus priores minus accuratas vult eſſe corrigendas) non aliter quàm Uſuardus : ſic enim lib. 10 Hiſtor. cap. 31, aliàs 48 : *Primus Gatianus epiſcopus anno imperii Decii primo*, à Romanæ ſedis Papa *tranſmiſſus ; in qua urbe* (Turonis) *multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur, &c.* Si vera ſit Gatiani miſſio anno primo Decii, quam alii fictitiam putant, Fabianus erat ille Romanæ ſedis Papa, quem tamen ſilet Gregorius. Et ut videas quàm ſibi parum conſtet ſcriptor ille Turonicus, cap. 4 libri de Gloria Confeſſorum, jam non de uno Romanæ ſedis Papa, ſed de pluribus Romanis pontificibus Gatianum mittentibus loquitur : *Gatianum etiam epiſcopum* à Romanis epiſcopis *ad urbem Turonicam tranſmiſſum, primumque Turonicis pontificem datum famâ ferente cognovi-*

mus. Ex quo item loco lector advertat ſolam traditionem ſcriptorum ſatellitio deſtitutam (contra regulas Launoii) ſuccuriſſe Gregorio, quòd primarium eſt noſtræ diſputationis argumentum. Et adhuc obſervare non pigebit tam incertum fuiſſe Gregorium miſſionis ſeptem epiſcoporum ſub Decio (quam omnes fere explodunt cum auctoritate ſcriptoris Actorum paſſionis ſancti Saturnini, & de qua etiam ne verbum quidem apud Surium alioſque qui eadem Acta referunt) ut nullum primæ ſedis antiſtitem nominet, cùm de illis ſeptem viris, ſive collectivè, ſive viritim ſumptis ſermo occurrit. Eadem habet lib. 30 de Gloria Confeſſ. *Per ſanctum enim Stremonium, qui & ipſe à Romanis epiſcopis, &c. eſt directus.* Quid ex hoc augurari liceat niſi vagos rumores virum ſimpliciſſimum, ſed probè candidum collegiſſe; & ſi quos fama vulgi deſignavit de aliarum Eccleſiarum primordiis, ut de Eutropio & quibuſdam aliis, pari fide ſcripſiſſe. *Eutropius*, inquit, lib. 1 de Miraculis cap. 56, *quoque martyr Sanctonicæ urbis, ab beato Clemente epiſcopo, ut fertur, directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis Ordinis gratiâ conſecratus eſt.* Et hæc de Gregorii cum Uſuardo & martyrol. Romano collatione ſufficiant, ne quis dubiam putet Saviniani miſſionem à Petro ex his verbis ejuſdem martyrologii Romani *à pontifice Romano.* In veteri martyrologio Viviano eadem verba legeſis ad ſept. idus Octobris de Dionyſio Pariſ. ſive à Clemente, ſive Decii tempore miſſus fuerit: *Apud Pariſius natale ſanctorum martyrum Dionyſii epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherii diaconi, qui beatus epiſcopus* à pontifice Romano *in Gallias prædicandi gratia Dei directus, præfatam urbem devenit; ibique per aliquos annos ſibi commiſſum opus ardenter proſequens; tandem à præfecto Feſcennino unà cum ſociis gladio animadverſus, martyrium conſummavit.*

In Breviario Romano quod annis 1529, & 1543 editum eſt Lutetiæ, in unica lectione ſancti Dionyſii: [*Apud Pariſius natale ſanctorum martyrum Dionyſii epiſcopi, & Eleutherii presbyteri, & Ruſtici diaconi, qui beatus epiſcopus* à pontifice Romano *in Gallias directus, &c.*

In Martyrologio veteri ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, quod novis typis recuſum fuit Patavii anno MD. Venetiis anno MD. XXII. & M D. XLIX. Pariſiis MD.LXXIII. *Apud Pariſius natale SS. martyrum Dionyſii epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutheri diaconi. Qui beatus epiſcopus* à pontifice Romano *in Galliam prædicandi gratiâ directus, &c.*

Digitized by Google

Ex allatis his omnibus teſtimoniis iterum urgeo contra ſequaces Launoii, vel pontificem illum Romanum, qui non nominatur, notum fuiſſe martyrologiorum & breviariorum ſcriptoribus; aut ignoratum: ſi primum; talis reticentia nominis nuſquam nocebit Saviniano, qui in Romano martyr. dicitur à *Romano pontifice* directus Senonas; nec inde deduci poterit demandatam non fuiſſe à Petro miſſionem illius: ſi alterum; cùm illa martyrologia probentur ab adverſario, & frequentius ab eo laudentur, ut ſibi commoda præſertim in diſpunctione contra epiſt. D. Petri de Marca cap. 18. cogetur tandem (quod ſeriò requirimus) admittere traditiones Eccleſiarum, ſcripto deſtitutas, ſed ſolo uſu & gentium fide firmatas; ſibique contrarius eſſe tot repetitis vicibus aſſerenti, *ſolas illas traditiones veras eſſe, quæ ſcriptores habent, ut certos & idoneos teſtes rei geſtæ, qui continua ſerie ad ejus originem reducantur.* A quo regula ſolùm ad fucum inventa, & ut adverſariis ſuis gravem ſe reddat, & Severo propitium, deflectere neceſſariò cogitur, quoties aliquid ſibi probandum incumbit, quod ad traditiones eccleſiaſticas vel minimùm vergat. Hujus veritatis exempla ubique operum ejus ſeſe turmatim ingerunt, quibus ſupra recenſendis, quâ ſeſe dedit occaſio, me nimium forſan fuiſſe quidam conquerentur.

His ſincerè diſputatis, occurrit aliud in objectione Diſſert. à nobis purgandum. Cùm ſibi dexter adeſt Uſuardus, primas ei certaminis defert, & ad ejus cotem aliorum auctorum opinamenta, quæ ſibi nocent, vult eſſe limanda. Putavit ex his Uſuardi verbis *à ponti. Rom.* quæ mox expendimus, nullam aut incertam fore Saviniani miſſionem à Petro. Vidit Adonem in martyrologio rem acu tetigiſſe, & Uſuardi ſenſum enucleatius expreſſiſſe: *Apud Senonas natale beatorum Saviniani & Potentiani, qui à beatis Apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.* Veriſſimum illud effatum ratus incommodum ſibi, ſic lepidè & jocanti ſimilis confutandum eſſe voluit dicto §. 4 ſuæ ſecundæ Diſſertationis: *Uſuardus, &c.* (ut ſupra) *Quod autem Ado hos duos martyres ab apoſtolis miſſos dicat in martyrologio, nihil moramur. Corrigendus per Uſuardum Pariſienſem monachum, qui antiquior cùm ſit & Senonenſibus vicinior, rem perfectius intellexit.* Hic eſt unus de locis communibus Diſſertatoris, replendis paginis opportunus cùm vacuo rationum penu jejunat ejus ingenium. Dic, amabo,

Digitized by Google

ſedes, quid in miſſione Saviniani præ Adone *perfectius intellexit* Uſuardus ſcribens eum *à pontifice Romano*, quem non nominat miſſum in Gallias apoſtolum? Quis ille Romanus pontifex? Quo tempore ſedit inter viginti Romanos præſules, qui à Petro ad Cornelium ſub Decio pontificem; vel, ſi velis, ad Conſtantinum plenè victorem, & ſub quo pax Chriſtianis data, ſederunt; ut certa Senonenſis geneſeos epocha ſtabiliatur? Quæ illa, inquam, perfecta rerum Senonicarum intelligentia criticorum ſcrupulis affulgere poſſit ex his verbis, *pontifice Romano*, quâ nomenclaturâ gaudent omnes ſupremæ ſedis illius epiſcopi? Aut quid minus ad rei veritatem, & Eccleſiarum omnium traditioni convenientius Ado declaravit, cùm martyres illos *ab apoſtolis* Româ Senonas directos ſuis Faſtis inſcripſit, ſcita majorum, Eccleſiarum tabulas & antiquitatis monimenta, quæ nondum exolevêre, ſequutus: cuique (quod jam monuimus) adverſum nihil habet Uſuardus. Liceat iterum dicere Launoium feria nonnumquam pertæſum ad hilaria paulò liberius divertiſſe.

Oppidò adhuc belléque facetus audiet vir indole ſuâ moroſus priuſquam abſcederet à nobis, cùm *perfectam illam intelligentiam* Uſuardi ex Senonum vicinitate metitur poſt ſeptingentos aut circiter annos ab inclita cæde Saviniani, quaſi doctorum virorum ſcientia terræ ſpatio premeretur, aut protenderetur: aut v. g. res Romanas perfectius calleret civis Allobrogum, quàm Lugdunenſis: Senonum fidem notam habuit Uſuardus vel à traditione, vel ab auctoribus: ſi primæ ſtetit, pugnat pro nobis adverſarius; nec enim umquam alius fuit communis Eccleſiæ Senonenſis ſenſus, niſi ſibi deſtinatum fuiſſe ab Apoſtolorum principe ſanctum Savinianum; ut etiamnum hodie clamant ſacra ejus Dipthyca, veterrimæ membranæ, parietes vetuſtiſſimis (ut ſupra) litteris inſcripti, cæteraque probæ ſenectutis decora, & Carolinum ævum longè ſuperantia, quæ omnia non Adoni minus, venerabili Bedæ cæteriſque paria ſentientibus, quàm Uſuardo pervia fuêre. Deinde nullibi Senonum invenies, nec in tota ampliſſima diœceſi (ſi faſtos Uſuardinos exceperis) ſive in codicibus ſive in parietinis lemmatibus hæc verba *a pontifice Romano*, ubi de primis ſacriſque Senonum initiis fit mentio, ſed ea ad Petri tempora referri. Nec ea fugerunt diligentiam Uſuardi & Adonis qui ad eaſdem origines, & ad eadem traditionis indicia reſpicientes, eadem, ſed verbis

Digitized by Google

diverſis ſcripsêre. Quo ſtante, frivolum eſt itinerum ſpatia dimetiri, uter ad veri centrum propiùs acceſſerit. Ea fuit Adonis diligentia, & impiger labor cùm martyrologio, chronicïſque ſcribendis incubuit (ſi utriuſque fœtûs idem ſit parens) ut inficiari ſit nefas, ſi totius Eccleſiæ Gallicanæ, & præſertim metropolis omnium antiquiſſimæ & celeberrimæ veras origines probè calluerit. Sumat igitur hîc Diſſertator quod aliis propinavit §. 13 primæ Diſſert. *Veritas cùm futilibus argumentis impetitur, etiam confirmatur.*

Quod ſi ſcriptores legit Uſuardus iis inſtructos dotibus quas Diſſertator fingit, ut certa ſit firmaque traditio; nec induſtriâ, nec penuriâ laboravit Ado, quin ſibi eos compararet, longiſſimis licet terrarum ſpatiis excurſus eſſet Senonas inter & Viennam aut Treviros. Nec quidquam de celeberrima traditione Senonica neſcivit vir notiſſimæ probitatis & eruditionis; ut alia quàm Uſuardus, qui medio tantùm ſæculo illum antevertit, ſcriberet contra fidem uſumque majorum; ævo præſertim Carolino ſub principibus rerum cleri Gallicani ſcientiſſimis, uti perhibent tot Capitularia, & Galliæ Concilia eorum nomine & plerumque ſubſcriptionibus munita. Non paſſi eſſent horribilem illam mendacii larvam de affectato, inquit Launoius, apoſtolorum ſynchroniſmo primariis Eccleſiis appingi ſuo tempore, quo tot impenſis laboribus ad decorem fidei, morum præſtantia & candor veritatis accedebat; nec turpi flagitio calamum polluiſſet Ado, eique & cæteris impunè fuiſſet. Emanaſſent ad nos quædam veritatis lachrymæ deliquium tam inſolens paſſæ, piorum quædam ſuſpiria, queſtus monachorum non ſemper cum clericis convenientium, ut ſcribebat olim Abaelardus, & poſt eum Rupertus; nec ſiluiſſet jam tum ſuis aſſurgens meritis ſtudium Pariſienſe. Quædam de his jam præfati ſumus hujus opellæ initio; nec iterum conqueri piget de Diſſertatore qui nuſquam infælicius ſcripſit, nuſquam erravit fœdius. Nec nodum hunc ſolvere facilè poterunt ejus diſcipuli, quem ſic propono.

Nuſquam affectatum fuiſſe
Synchroniſmum apoſtolorum ab Eccleſiis Galliarum
circa tempora Caroli magni, contra Launoium probatur.

De mutata illa ſedium epiſcopalium origine, & ad primos Eccleſiæ naſcentis annos retro acta, perperam conqueritur Diſſertator pluribus in locis, ſed præſertim in 2 Diſſertatione §.

Digitized by Google

3, 6, 7, 17, 19, 29: in obſervatione 4 ſub finem illius Diſſert. Item in Diſſert. 3 de Juliano Cœnomanenſi; & cap. 10 & 17 ſuæ Diſpunctionis epiſtolæ illuſtriſſ. D. de Marca, & alibi paſſim: ubi vel ſuccenſebit, aut ſaltem mirabitur lector rem tanti momenti & in nobilium Eccleſiarum injuriam toties objectam, gratis ſemper aſſertam fuiſſe à Diſſertatore, nullo vade, auctore nemine, nulliſque productis in medium tabulis, quibus commentum illud ſaltem ſuaderet. Si ſtaret regulis à ſe confictis, ut aſſerendi veri, falſique deſtruendi methodum inſinuet, alios à Guiberto Novigentino abbate, & Melchiore Cano (qui tamen ſimilia non blaterant) accerſere debuiſſet ætati Caroli magni, vel pares aut ſaltem ſuppares. Hanc ſcriptorum penuriam nullis ſupplevit rationum momentis, ſolamque ſui nominis umbram ſufficere putavit, ut veritati & Eccleſiarum genuino decori fucum induceret; quod quàm iniquè, hæc forſan ratiocinatio ſuadebit.

Affectatum illum apoſtolorum ſynchroniſmum ſcivit Uſuardus, de quo potiſſimùm hîc Diſſertator, aut ignoravit. Si neſcivit, nuſquam contigit. Mutatas fuiſſe ejus tempore ſedium illarum origines diſertè ſcribit adverſarius: ſed quî motum illum quo tanta concuteretur & peſſum iret antiquitas Eccleſiaſticæ traditionis & innumera propemodum Eccleſiarum monumenta, dipthyca, martyrologia, legendaria cæteraque choralium librorum ampliſſima penus, ignorare potuit Uſuardus cœnobita Pariſienſis, vir apprimè doctus, eruditionis famá, & imperatoris amicitiâ clarus, & ab eo ſpeciali cura deputatus, ut reſtituendis ſuo nitori Eccleſiarum martyrologiis ſedulus incumberet; cui proinde notiſſimus eſſe debuit earum ſtatus, ut innuit ipſe Launoius initio tertiæ Diſſertationis, convaſatis undique curâ Cæſaris & expenſis, ſacris earum faſtis & tabulis quibus avitæ traditionis cujuſque certa ſibi foret origo? Nemo ſui compos illud aſſerere velit, fugiſſe ſcilicet aut præteriiſſe diligentiam Uſuardi, nec minus perſpicaces imperatoris oculos (cui tanti erat nihil in Eccleſiam invehi, quod à veritate & majorum fide alienum eſſet) illam antiquitatis internecionem. Quâ ſtante ſuppoſitione de ignorata ab Uſuardo ſtupenda illa mutatione, & quam ſuperiùs incredibilem eſſe pronuntiavimus; cùm certum ſit apud Diſſertatorem, & alios Uſuardi martyrologium in tota Gallia cæteris omnibus prævaluiſſe, uſuque communi receptum, nec alterum eſſe, ex ſui ſaltem

Digitized by Google

potiſſima parte, quo hactenus utitur Eccleſia Romana, ſi ſanctos excipias novis apotheoſibus conſecratos: illud commodum nobis inferre licet, non alia martyrologio ſuo Uſuardum inſeruiſſe, quàm quæ legit in aliis Eccleſiarum faſtis & tabulis ad trutinam ſuam expenſis, citraque omnem quærendæ majoris antiquitatis ambitum; cùm apud illum videas plures inſignium Eccleſiarum præſules ſub diverſis fixos epochis, quos ad Petri vel Clementis tempora revocare ſibi integrum fuiſſet, accedente præſertim canos illos ambientium conſenſu, ſi novandi pruritus ipſum dementaſſet. Quo improbæ mentis delirio laboraſſe cunctos fermè octavi nonique ſæculi Gallicanos antiſtites, ceteroſque cathedralium in orbe digniſſimos Myſtas jugiter perſtrepit Diſſertator.

Si verò ſcivit Uſuardus novum illud avitæ traditionis excidium illamque originum noſtrarum metatheſin, quam quidem ignorare non potuit, ſi umquam extitit: vel illi conſenſit, aut improbavit; ſi primum, non illis uſus eſſet loquendi formulis quæ obſcuram poſteritati facerent ſedium originem, v. g. *Senonenſis*, ex his verbis hìc in controverſiam adductis *à pontifice Romano*, quæ ſibi commoda & litis decretoria retur Launoius. Intrepidè Petrum nominaſſet, ne qui ſecus, quàm ipſe, ſenſiſſent, anſam arriperent Savinianum ad Decii tempora, aut eo poſteriora removendi. Nec ſibi fabuloſum illud adornanti commentarium defuiſſet ſuâ mobilitate Gregorius Turonenſis, cujus calamus in his rebus cùm in hiſtoria Francorum, tum in libris de Miraculis & de Gloria Confeſſorum leſbia eſt regula, quâ poſſis ad libitum uti, ſi ſolo auctorum teſtimonio veritas ſit aſſerenda. Fit illud evidens ex iis quæ de Urſino Bituricenſi, Gatiano Turonenſi, Saturnino Tholoſano, &c. contraria retulit, ut alibi demonſtravimus, & quibus repetendis ultrò ſuperſedemus, ne hìc ſit vitium quod apud Diſſertatorem lectoribus nauſeam parit, quibus minus quàm bibliopolæ ſuo ſcripſiſſe videtur frequentiſſimâ earumdem citationum repetitione. Multa ſunt apud verum Uſuardum, quem habes in Bibliotheca monaſterii ſui Sangermanenſis apud Lutetiam, ex quibus palam eſt illum fraudi illi & commento nuſquam indulſiſſe. Studuiſſet impenſius novitati illi, ſibique ſedulò caviſſet tamquam dogmatis hujus auctor & partium primipilus, ne quidquam vel incogitanti excideret votis ſuis contrarium, quod tamen ſecùs eveniſſe probat miſſionum ætas diverſa, quarum dum aliquis chronologicus

character

Digitized by Google

character arridet Diſſertatori, miris laudibus Uſuardum extollit, ut §. 8 ſecundæ Diſſert. item §. 15 & 29, & in Diſſert. 3, ſtatim ab initio. Cùm verò deficit ab ejus partibus, & Chriſtianos natales in Gallia quibuſdam Petri miſſionibus adſcribit, doctiſſimi juxta & laudatiſſimi viri auctoritatem elevat, & præſtare Severi ſenſa jactantius effert.

Iterùm ſi novitati, quam ſupponimus, Uſuardus conſenſiſſet, ei facillimum erat prævidere ſeque tutari Diſſertatoris opinamento, quo ſibi lepidiſſimè canit (ut verbis ejus utar) dum ſic ſcribit contra doctiſſimum Chiffletium articulo nono: [Dolendum eſt virum doctum & ſincerum non reddidiſſe rationem, cur cùm temporibus beatorum apoſtolorum Petri & Pauli divina invaluerit religio; apud Arelatenſes Trophimo, apud Narbonenſes Paulo, apud Lemovicenſes Martiali, apud Remenſes Sixto, apud Catalaunenſes Memmio, apud Tullenſes Manſueto, apud Trevirenſes Euchario, apud Silvanectenſes Regulo epiſcopatum gerente, nulli reperiantur martyres, qui vel ad Neronis, vel ad Domitiani, vel ad Trajani, vel ad Hadriani vexationem pertineant. Sic enim ductum ex auctoritate Severi argumentum evaneſceret, & totis theatris exploderetur: alioqui argumentum ſtabit Marpeſia caute immobilius. Qui affectarunt ſynchroniſmum apoſtolorum incommodius obliti ſunt eos apoſtolis aliquo martyrii genere pares facere, quos ætate pares fecerant. Verbis exprimi non poteſt quantùm oppugnatoribus Severi noceat hæc oblivio. Sed hoc mali genus deinceps curari nequit.] Hæc alibi repetit Launoius, & nos iterùm dabimus Saviniano profutura, qui nondum expleto æræ Chriſtianæ primo ſæculo martyr occubuit ſub Severo præſide. Si mens, inquam, Uſuardo fuiſſet cæteriſque fraudis conſciis ſynchroniſmum apoſtolorum fingere, & in ſuos inducere faſtos, nihil tam fabulæ ſpecioſum acceſſiſſet, quàm primos illos Eccleſiarum apoſtolicos viros martyrii laureâ decorare, ne fictitia videretur interpolatio, quam arguit Diſſertator; nec tanta videretur in earum tabulis varietas, ſi ſpectes earum incunabula ſacra, quantam cernere licet in martyrologiis noſtris, etiam poſt recognitionem Uſuardi. Petrus & Clemens miſſionum omnium eſſent anteſignani, primique noſtri patriarchæ; non defuiſſet primoribus epiſcopis Neronis, aut Domitiani, vel Trajani gladius, ne Eccleſiarum aliqua purpuratam apotheoſin alteri invideret. Hanc tamen in-

Digitized by Google

ter illas diſparitatem, quam Uſuardus probè ſincerus intactam voluit, commendat auctoritas, traditio, & hactenus perſeverans populorum fides. Variæ ſunt præſulum illorum ſortes, variaque diſcrimina; non idem ſedium natalis, ut ſupra monuimus, diverſum mortis genus; plures confeſſores quàm martyres, qui, licet tunc acrius ſævirent gladii, & præſertim in antiſtites ſpeciali principum edicto, (quod innuit Euſebius,) pacifico tamen funere inter Eccleſiæ vulnera quieverunt: ut hinc cavillis ſuis anſam arripuerit garriendi Diſſertator, quaſi mentita ſibi fuerit interpolatorum iniquitas, nec ſibi ſatis conſtiterit, non prævidens vix poſſe credi, cùm ad trochleas, equuleos, beſtias, ſartagines ebullientes, crates ignitas cæteraque exquiſita ſupplicia concurrerent innumeri fidelium greges, ſolos ſtetiſſe paſtores, & ut habet Tertullianus, in pace fuiſſe leones, in prœlio cervos. Synchroniſmum illum & apoſtolicam canitiem ſic facilè conciliaſſent cathedris noſtris, ſi apud Uſuardum ſinceræ veritati dolus prævaluiſſet. Sed abſit à piiſſimo cœnobita, omnium calculis probatiſſimo, cujus gloriæ nec invidit Diſſertator, cùm ejus amicitiam inire potuit, ut ſibi mendacii larvam accerſeret, & poſteritati ſub eruditiſſimo Cæſare illuderet, ad quem reſcribens in martyrologii ſui proloquio, hos fidei ſuæ laudat obſides.

» [Præterea & venerabilium ſcilicet Hieronymi, & Bedæ
» preſbyterorum, piis quamvis ſuccinctis ſuper hoc provocabar
» deſcriptis; quorum prior brevitati ſtudens, alter verò quam-
» plures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inveniun-
» tur hujus operis prætériiſſe neceſſaria; quos tamen ſequutus
» cenſui, & Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipſo ne-
» gotio ſequi veſtigia; præſertim in ſecundo ejuſdem libro.
» Ibi enim multa quæ in priori omiſerat, correxit & addidit.
» At ſi quid præter quod ab illis accepi in hoc tempore auctum
» vel mutatum eſt, *ſagaci à me indagine perquiſitum agnoſci poterit.*]

Meminerit lector nos adhuc graviora ſuperius contra Diſſertatorem objeciſſe, ut fictitius putetur hic Synchroniſmus apoſtolorum, quæ hîc repetita nolumus; nec quiſquam ſanæ mentis admiſerit fuiſſe poſſibile tot Eccleſiarum ſilentium, quas non ſpectabat ambitioſus ille ſibi canos inducendi pruritus; collegiatarum præſertim & cœnobialium, apud quas cùm veri amor, tùm litterarum omnium puritas eminebant. Non ipſe Diſſertator inficiatur, quoſdam inter eximios tunc temporis pontifices

ſibi ab illa prurigine caviſſe, quorum proinde formidoloſus novatoribus fuiſſet zelus veritatis & juſtitiæ, paſtorali ſollicitudine digniſſimus. Nullus canum illorum latratus umquam innotuit; nemo refutare, ne mutire quidem auſus eſt aliquis; ut certè causâ cadam, ſi vel ipſe Diſſertator ſibi perſuaſum habuerit quod tanto verborum apparatu, ſed ad fucum, lectoribus ſuis gratis injecit, ut dicere liceat cum eo §. 9 ſuæ ſecundæ Diſſertationis, & quidem indolis ſuæ forſan pœnitente: *O durum & funeſtum criticæ genus, à quo mentem cogitationemque noſtram D. O. M. avertat.* Fixum igitur maneat, tam non conſenſiſſe illi Synchroniſmo Uſuardum, quàm ſibi ignotum fuiſſe. Reſtat ut improbatum ab eo fuiſſe dicatur. Verùm pari rationum firmamento contrarium evincitur: indeque nullum fuiſſe lector æquus admittet. Si inverſus ille ſedium epiſcopalium ortus, & chronologicus ordo tempore Caroli magni umquam extitiſſet, contra mentem Uſuardi, cui reformandorum martyrologiorum cura ſpecialis indicta fuerat; obſtitiſſet novitati vir imperatoris auctoritate potens, eruditione ſuâ cæteris præſtans, & vindicandæ veritati ſua ſponte propenſus; eò præſertim quòd rerum omnium cleri Gallicani, uti dicebamus, ſcientiſſimus erat. Non ſiluiſſet verbo nec calamo ſcriptor intrepidus, amicitia principis pene tumens, & pro domo Dei ſeu Eccleſia, quæ eſt columna veritatis, murus ſtabilis & inconcuſſus. Scripto nobis prodidiſſet vel in martyrologio ſuo, vel in aliis commentariis verenda patrum & pudendum inanis gloriolæ pruritum, & armatam pro tuitione veritatis manum poſteritati conſignaſſet. Ut eâ valebat apud Cæſarem auctoritate, quæ deceret monachum bono publico deditiſſimum, regiis litteris, aut edicto ſolemni, malo illi caviſſet.

Nec opponas cœcutiſſe Carolum magnum adulatione prælatorum quibus ambitioſa novitas arridebat. Præſtò erat Uſuardus qui fraudem detegeret, & ad manùm ejus varii Eccleſiarum codices veræ traditionis indices, quibus neotericum Synchroniſmi dogma convelleret, & quos ſibi non defuiſſe ad Carolum ipſe proloquitur. Quid exhibitis illis choralibus libris, faſtis, dipthycis, tabulis & elenchis quibus verus ſedium natalis, & præſulum chronologica ſeries inſerta erat, reponere potuiſſet Cæſar æqui verique ſtrenuus propugnator; aut quid in injuriam veritatis obtrudere potuiſſent prælati viſis tabulis

Digitized by Google

contra fraudem allatis? Nec enim credibile foret immanem in momento temporis & generalem fuiſse librorum illorum, & membranarum ſtragem, ut à curioſis poſteritatis obtutibus fraudi deinceps cautum eſset; aut nullibi poſtea delituiſse in Bibliothecarum forulis quoſdam codices priſci verique ritus memores, præſertim apud Benedictinos, quibus hæreditario litterarum amore jugis ineſt antiquæ earum ſuppellectilis cura, & apud quos quotidie cernimus miræ ſenectutis archetypa eruditorum ſtudiis perhumanè commodata, aut illam librorum internecionem, quam admittit ſchola Diſsertatoris, communem etiam fuiſse collegiis & monaſteriis, apud quæ, illo conſentiente, nuſquam dolus ille in antiquitatis excidium obtinuit.

Steterit Launoius, quantùm ſuis votis commodum cenſuit, pro ſuis Severo & Gregorio, & pluribus aliis in rem ſuam opinationibus indulſerit, ut Severianam, aut Decianam epocham Galliæ Chriſtianæ natalitiis adſcriberet; nec certè diſſimulandum, quin quædam, ſaltem ſpecie tenus, auctori ſuo profecerint ex malæ objectis ab adverſariis ſuis, ſine quibus miſſionum antiquitas primo Chriſti ſæculo coæva prævaleret: at quæ ex fabuloſo illo apoſtolorum Synchroniſmo cauſæ ſuæ firmamenta quæſivit, ſic mentem ejus exhibent, ut de eo cum Plinio ſeniore dicere liceat: *Nemo mortalium omnibus horis ſapit*; & cum ipſo pariter capite 16 ſuæ Diſpunctionis contra Epiſt. illuſtriſſimi D. de Marca Pariſienſis archiepiſcopi, Saviniano cæteriſque primis Galliarum epiſcopis ſuis ſecundis curis patrocinantis: *His ſe rebus abſurdis implicant, qui non amore veritatis, ſed contradicendi libidine ſcribunt, & in aſſerendis primis Gallicanæ Eccleſiæ traditionibus auctorum & monumentorum delectum nullum faciunt.*

Cæterùm hîc eum maximè & ad hominem convenio, qui regulas fixit, quas aſſerendæ veritati & falſitati deſtruendæ convenientiſſimas putat, ut ſcilicet nihil certi ſtatuere poſſis aut deſtruere, niſi ſcriptores adhibeas, qui rei, de qua eſt ſermo, ſynchroni fuerint ſeu tempore æquales, aut certè proximi ſeu ſuppares; nec alii ſint qui eodem tempore contradixerint. Hanc inveniendi veri methodum prædicat ubique: ſed ſtatutis à ſe legibus ſuperiorem certè ſe credidit, & præſertim in hoc, quod præcipuum eſt hujus diſputationis, argumento, cui ſtabiliendo ne unum quidem nobis auctorem exhibet, qui ducentis aut circiter

Digitized by Google

poſt Carolum M. annis (hanc enim ſuppariṫati metam figit) ſcripſerit ejus tempore vel regnantis aut imperantis, Eccleſiarum noſtrarum origines ad apoſtolorum tempora revocatas fuiſſe, nec alios profert hoc ſæculo anteriores, qui majoribus noſtris ſcelus hoc objecerint. Si qui verò ſint ejuſdem ætatis, qui cum Severo & Gregorio non conſentiant, ut teſtes non idoneos rejicit, ſtatimque *de poſteritate præſcribit*, ut verbis utar Tertulliani contra Hermogenem agentis. Sic enim inter alios, Iſidorum Hiſpalenſem, & Freculphum Lexovienſem Epiſcopos, quibus par cum eruditione eximia pietas inſignis acceſſit, ſed à Sulpitii ſui ſenſu longè diſpares, procul faceſſere jubet §. 18. 1. Diſſert. *In ſumma quamvis concederem Iſidorum idem cum Freculfo dixiſſe; ego planè præcido eos non eſſe, quibus per ætatem liceat cum Severo contendere.* Erraverit Severus; quandoque bonus dormitaverit Gregorius; excitentur aut corrigantur ab aliis emunctiſſimæ naris, & qui rem penitius & felicius indagaverint; modò prioribus anterior chronologia faverit, & error ex ætate callum induxerit, puros & integros labis Diſſertator edicit. Ut erat antiquitatis amantiſſimus, ad quam, ut eruditos adigeret, ſe legiſlatorem voluit confictis à ſe legibus, cur hìc tam à ſe quàm à vero deflexit, ut prævaricator legis à ſe conſtitutæ neminem ex antiquis ſcriptoribus ſui dogmatis conſcium adſciverit; quaſi verò convellendæ majorum fidei, quæ per ſexcentos ſupra mille annos induruit, ſola nuperi cujuſdam ſcriptoris ſufficeret authoritas? Baronianum igitur iſtud, quod ſolito frequentius laudavit, ſibi decretorium ſumat: *Quod à recentiori auctore de rebus adeo antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Non Letaldus Cenomanenſis, nec Gauſbertus in Concilio Lemovicenſi anni 1031. tales ſunt, qui cenſuræ Launoianæ jure ſuffragentur: nec Guibertus Novigentinus abbas, nec Melchior Canus, quos ſolos ambire potuit Diſſertator, affectatum à noſtratibus ævo Carolino Synchroniſmum illum apoſtolorum umquam ſcripſere: in quædam tantum menda, ſpuriaque ſanctorum miracula, quibus nonnumquam ab heterodoxis, religionis odio, aut impoſtoribus lucri gratia, interpolatæ ſunt eorum vitæ, ſtylum illi acuerunt: ſed de ſimilibus nævis audiendus iterum Baronius in notis ad martyrol. 9. Oct. *Quod ſi ob unum errorem aut alterum in vitis ſanctorum inventum, cætera quæ remanent, fide carere dixerimus, profectò omnes fere ſanctorum vitas in maximum diſcrimen inducimus; cùm penè in omnibus aliquid no-*

tari poſſit, quod corrigendum videatur, ſitque canonicarum tantummodo ſcripturarum ſingularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcuſſa certaque narrentur. Non ſatis igitur æquitati ſtuduit Diſſertator, cùm ambitioſe præſcriptis à ſe regulis non pareat in ea re, quæ totius diſputationis caput eſt; & probatiſſimos ſcriptores reſpuat, niſi cum re controverſa ævo conveniant aut certè ſint ſuppares; ac tandem ſynchroniſmum iſtum omni retrò antiquitati non notum, clero probroſum, veritati contrarium effinxerit nullo teſte, nullo vade. Hujus origo mali, eo teſte §. 9. primæ Diſſertationis, *ſolis debetur partium ſtudiis, quibus occupatus mentis ludibria ſuſtentat, ut poteſt.* De hoc iterum ſynchroniſmo vide infra in allegatione auctorum Severo contradicentium, verbo *Gregorius Turon.* ubi ex eodem Gregorio invincibiliter confutatur illa Launoii fabula.

Ad Adonis verba quod attinet, pejus inſtant primi ſæculi miſſionum oſores (Diſſertatorem excipe) qui Petrum illis deſignari nolunt. Sed cùm ſpectent alios præſules ipſi Saviniano coævos, & forſan in miſſione collegas; pro quibus alii vindices ſtrenuè decertarunt, ad eorum lucubrationes, ne ſim nimius, lectorem remitto, qui ſtatim advertet eos nodum hunc in ſcirpo quæſitum non tam ſolviſſe, quàm contemſiſſe. Cur non his verbis Adonis *à beatis apoſtolis* de Saviniano loquentis, quæ à vetuſtiſſimo Romanæ Eccleſiæ martyrologio mutuatus eſt (quod Roſveydus edidit, & olim agnovit Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 29.) Petrus potiſſimum intelligeretur, cùm in eodem martyrologio ad hæc verba, *xi. Kal. Aprilis, Narbone ſancti Pauli Epiſcopi diſcipuli apoſtolorum*, non diſcipulos, ſed ipſos Apoſtolos deſignari velit doctiſſ. Petrus de Marca Tholoſanus archiep. poſtea Pariſinus, in epiſt. ad eruditiſſ. Henricum Valeſium, cujus hæc
„ ſententia [En Paulum epiſcopum Narbonenſem, diſcipulum
„ apoſtolorum; *id eſt ab ipſis apoſtolis chriſtianam fidem edoctum.*
„ Cauſa cadam, niſi conſtans ſit in eodem martyrol. verbi illius,
„ quam propoſui, ſignificatio; quæ alia certe eſſe non poteſt jux-
„ ta proprium dictionis ſenſum. Referam loca ex quibus hæc
„ ſignificatio verbi adſtruitur. Pridie nonas Januarii apud Cre-
„ tam, Titi apoſtolorum diſcipuli. III. Calend. Maii apud Pa-
„ phum, Tychici apoſtolorum diſcipuli. VII. Cal. Junii apud
„ Athenas, Quadrati apoſtolorm diſcipuli. Pridie nonas Au-
„ guſti, Ariſtarchi diſcipuli apoſtol. IV. Cal. Decemb. Soſthenis
„ diſcipuli apoſtol. VI. Cal. Januar. Trophimi epiſcopi diſci-

puli apoſtol. Quare aſſerta eſt, ut dixi, martyrologii veteris « Romani teſtatio, ad figendum Pauli Narbonenſis epiſcopatum « in ipſis apoſtolorum temporibus, quamvis Trophimi epiſcopa- « tu poſteriorem.] Hæc Petrus de Marca contra eos quos nec « ipſe nec ego nominatos hîc velim, qui commentario ad riſum juxtâ & fraudem parato opinantur per *diſcipulos apoſtolorum* deſignari ſubſequentes Romanos pontifices, qui pluribus etiam poſt apoſtolicorum virorum ætatem annis vixere; quos egregie ſuggillatos videſis apud Gorſonium in apologia pro Dionyſio Areopagita & Pariſienſi.

Quod autem *per beatos apoſtolos* frequentius Petrus apoſtolici ſenatus princeps intelligatur, præter auctores ad quos remittimus, idem habet Ado in martyrol. pluribus in locis ſed præſertim XI. Cal. Julii *Natalis beatiſſimæ Lucinæ, quæ à beatis apoſtolis baptiʒata & inſtructa eſt &c.* quæ nuſquam Româ egreſſa id beneficii non potuit ab aliis apoſtolis accepiſſe. In veteri Romano Roſueydi. 2. *Cal Julii, Natalis Lucinæ diſcipulæ apoſtolorum.* Item Ado 14. *Cal. Junii, Beatiſſimi Pudentis.....qui ab apoſtolis chriſto in baptiſmo veſtitus &c.* Locus eſt inſignis apud eumdem de Evodio in ep. 12. S. Ignatii ad Antiochenſes. Sed jam ſatis; & in his etiam Diſſertatorem puduit aliorum argutiis adhærere.

§ VII.

Ex ipſo Launoio probatur conſtituta à nobis Saviniani Epocha.

NON ſemel ſuccurrit nobis Diſſertator, dum aliorum objectionibus ſe putat feciſſe ſatis; iis rationibus uſus, quas Saviniani, quam defendimus, chronologiæ commodas eſse nemo non dixerit. In earum enumeratione nullus à nobis ordo ſervatus, niſi quem obvia lectio dedit, & plerumque fortuita. Conditiones aliquas poſtulat quibus certò figatur miſſionum antiquitas, & ejus ætatis, qua poſſint citrà dubium ad Petri Clementiſue tempora revocari.

I. Prima quam damus hîc, eruitur ex §. 15. ſecundæ Diſſertationis, ubi de Zacharia Viennenſis eccleſiæ epiſcopo, cui quædam deeſse commemorat, quæ nuſquam Saviniano defuere. *Ubinam ſunt igitur Zachariæ acta, ſepulchrum, veteres ſcriptores quorum operâ Zacharias fuit ante Adonem Romanæ & Gallicanæ Eccleſiæ cognitus, ſicut qui conſummatum ſub Trajano Zachariæ marty-*

Digitized by Google

rium objiciunt, aſſeverare ſunt auſi. His omnibus munitus primus Senonenſis antiſtes tuto degit ſub epocha quam ei fiximus. Extant ejus acta germanæ fidei, quæ ſuprà pluribus aſseruimus. A ſexcentis plus minus ſupra mille annis viſitur ejus ſepulchrum ſitu mirabili & ſignorum olim magnificentia celeberrimum, ut jam à tempore Aureliani Imperatoris ad illud, religionis gratiâ, procurrerint Hiſpanorum nobiliſſimi, Columba, Sanctianus Beata, Auguſtinus aliique, quorum morticiniis ſacriſque titulis aut memoriis tumet hactenus ager Senonenſis. Præter poſseſſionem ſua canitie venerandam, & cui pluſquam tricies præſcriptio ſuffragatur, auctores dedimus iis præſtantes dotibus, quas ambire poſſit auctor Actorum S. Saturnini à Diſsertatore tam invidioſe laudatus. Non Beda primus Saviniani meminit. Cujus beneficio Columbæ Senonenſis, & inclytæ cœlitis apotheoſis innotuit, ejus Acta recenſere debuit priuſquam prodiret in lucem vetus illud martyrolog. à Roſveydo publico bono reſtitutum, quod longius ante Gregorium Magnum volunt uſui fuiſse Romanæ Eccleſiæ, & ab eodem memoratum lib. 7. epiſt. 29. in quo antiquiſſimo martyrologio dies natalis Columbæ legitur pridie calend. Januarias; quæ non potuit niſi ſuis Actis dignoſci, in quibus authenticæ fidei, ſicut in aliis paris vetuſtatis & authoritatis, ſanctorum ſcilicet Sanctiani & Beatæ ſupra relatis & expenſis legitur eos ad baſilicas SS. Saviniani & ſociorum, ad quas ex Hiſpania voti cauſâ devenerant, frequentius pernoctaſse.

Verùm ſuppoſito, ſed non conceſso, quod Beda, vel etiam ipſe Uſuardus primi de Saviniano ſcripſerint, non negabit ipſe Diſſertator eos conſuluiſse vetuſtiſſimos codices adhuc ſuo tempore extantes, in quibus eorumdem martyrum geſta continerentur. Id de ſe fatetur Uſuardus jam hîc citatus in ſuo ad Imperatorem Calvum (ut quidem opinor) proloquio: pares ſuæ fidei obſides habuiſse perhibet Ado, dum etiam præfatur: *Collati undecumque paſſionum codices animum in tantum ſuſcitaverant, ut non ſolùm præteritas dierum feſtivitates, verùm & aliorum qui per totum annum ibi* (in martyrologio Bedæ & Flori) *notatim poſiti erant latius & paullò apertius deſcriberem &c.* Ipſe inquam Diſsertator conſentiet, qui ut Gregorium exotica nonnumquam ſcribentem à falſi ſuſpicione vindicet, antiquiores codices ſeu auctores rei geſtæ æquales aut ſaltem ſubpares ſibi præſtò fuiſse ſponte fatetur. Exemplo ſit inter alia, quod habet pag 174. Obſervationum ſuarum *in utrumque Gregorii & Severi locum.* Objecerat doctiſſimus

ſimus Hugo Menardus periclitari fidem Gregorii referentis martyrium trium puerorum cum Babyla cæſorum, quibus affinxit nomina nemini cognita, nec ipſi Chryſoſtomo, nec Theodoreto, neque Philoſtorgio, quæque nec in ipſis Græcorum menæis occurrunt. Sed ſic Diſsertator: *Quaſi verò Gregorius nanciſci non potuerit aliquod paſſionis illorum exemplar, in quo trium puerorum nomina continerentur?* Quod effatum ſua ſinceritate digniſſimum alibi retulit, jam non memor aureæ ſuæ regulæ, quâ nihil traditioni, nihil auctoribus eſse concedendum edicit, niſi rei geſtæ ſint tempore æquales aut certè ſubpares, quorum nomina & lucubrationes apud nos hactenus extent. At cùm ſe aut Gregorium ſuum ad incitas agi conſpicit, nihil tunc ſibi tutius habet quàm veritatis ſuffragium, ſcilicet eos auctores rationabiliter cenſeri æquales vel ſubpares, quorum ope (licet jam fortuitò perierint) ſcripſerint Beda, Florus, Uſuardus, Ado, Notkerus ſeu Balbulus, Vandalbertus, Odorannus, Clarius, cæterique plures eximiæ notæ martyrologi, menologi, chronographi &c. qui vel ætate Carolum magnum præceſserunt, aut ei poſthumi fuêre.

Fudit idem oraculum eruditiſſimus Hadrianus Valeſius cap. 3. partis ſecundæ Defenſionis ſuæ ipſum alloquens Diſsertatorem: *Quaſi nullorum ſcriptorum jacturam fecerimus, aut quaſi non martyrologi Beda, Uſuardus, Ado aliique acta & paſſiones martyrum, plurimoſque auctores ſua ætate non haberent, è quibus ſua hauſerunt, quibus nunc caremus? Niſi fortè martyrologos iſtos divinos fuiſſe credis, Magiſter, vel impoſtores fabularumque fictores; quod de viris doctis & probis nefas eſt vel ſuſpicari.* Certè divinus ipſe fuerit neceſse eſt Magiſter noſter ſapientiſſimus, hîc opinari non caruiſse Gregorium neceſsariâ ſibi codicum ſupellectile, variiſque ſcriptoribus, qui ſibi fuerint idonei teſtes aſserendis traditionibus, quas frequentiſſimas habet, apprimè requiſiti (ſi ſtet hæc Diſſertatoris regula pag. 84. ſuæ Diſpunctionis contra epiſt. C. V. Petri de Marca: *Certa & vera non eſt traditio, niſi quæ per idoneos teſtes ad originem revocetur*) nec tamen conſentire Bedam, Uſuardum, Adonem cæteroſque, qui ſuſceptæ religionis apud Gallos initia tradiderunt, ejuſmodi auctores habuiſſe ſimileſque primæ vetuſtatis indices, quibus certa rerum & originum noſtrarum traditio ſincerior eis patuerit, illis præſertim de ſe teſtantibus plures melioris notæ codices in rem evolviſſe. Quis adverſarium docuit hanc librorum

Digitized by Google

ſtruem Severo & Gregorio adfuiſſe, cæteris periiſſe ?

Objectum ſibi fuerat pag. 177 Diſſert. 2. vernaculâ linguâ, quod ille reddidit latinâ : *Quis, amabò vos, Sulpitio Severo, qui quinto ſæculo ſcribebat, dixit nullos in Galliis fuiſſe ante Marcum Aurelium martyres ? Quem auctorem, quam hiſtoriam, quæ acta aut monimenta in medium adduxit, ut id nobis ille ipſe perſuadeat, qui ducentis annis & eo amplius poſt Marcum Aurelium ſcribebat ?* Digna certè expoſtulatio, & ſi critices Launoianæ principia ſpectes, non poteſt ad hominem urgeri validius, cùm nulli ſint ei, nec Severo teſtes idonei, quos in ſubſidium adſciſcat, ut probet nobis quintam Eccleſiæ perſecutionem, primam tantùm apud Gallos numerari. Excanduit tamen ad objectionem illam Diſſertator, ſe certum ſimulans non defuiſſe Severo ſuo ſcriptores Aurelianæ cædi coævos, quibus edoctus ſenſerit tùm primum apud nos ſævitum fuiſſe. Quo gratis, ſed citrà verum conceſſo, cur non pari jure concedat alios auctores, qui Severo præſtant & ſecus ſentiunt, antiquiſſimos cùm codices tùm ſcriptores ſuæ fidei ſponſores habuiſſe ; ſed velit eos omnibus veterum monimentis deſtitutos ſuis fictionibus indulſiſſe ? Nam his ſcatet lædoriis Launoii contextus.

Ne mihi tantiſper prolixo ſuccenſeat lector ; hîc totius certaminis eſt alea, & famoſiſſimæ litis decretorium momentum. Huc uſque rationem ſiluit Diſſertator, quî poſſit fieri ut antiquos auctores ſibi familiares habuerint Severus & Gregorius, ut ipſe ſupponit cum regulis ſuis aſſerendæ veritatis & deſtruendæ falſitatis : ſcriptoribus verò ſibi contrariis, idque negantibus illis, omnes exciderint ? Rectæ rationi non potuit fœdius imponi. Ratum ſit igitur & fixum, quamdiu bene opinari & exiſtimare licitum erit de præſtantiſſimis illis viris Beda, Uſuardo, Adone &c. quos ſanctitas morum & eruditio ſingularis ſincerè commendant, qui de ſacris Eccleſiarum cunabulis miro conſenſu ſcripſere, nihil ſine teſtibus idoneis, chartis, membranis aliiſque primævæ antiquitatis monimentis poſteritati conſignaſſe. Hoc ſemel cùm rationi tùm pietati conceſſo (quod etiam ſibi concedendum vellet Diſſertator) evaneſcit in auras quibus tumet novantium glomerata nubes, ruunt tota critices armamenta, & immenſum illud ſcribendi cacoethes. Qui in his cordatè ſapit, ſuam, qua digni ſunt, ſcriptoribus præſtantiam ſeruet neceſſarium eſt, nec minus apud illum audiet cùm ætate tum ſcribendi charactere qui Geſta S.

Digitized by Google

Saviniani (quæ integra puraque labis vindicavimus) litteris conſignavit ; quàm qui S. Saturnini paſſionem tacito nomine nec tacitis erroribus ſcriptam reliquit. Non ægre fatebitur, ſalvâ tamen cujuſque reverentiâ, longius præſtare Severi calamo tot nævis obſito, lucubrationes Oroſii, Bedæ, Uſuardi, Adonis, ut innumeros taceam primi ſæculi miſſionibus propitios, ut proinde gratis ſolaque nominis propagatione fucum aliis induxerit Diſſertator, cùm ait traditiones noſtras jejunas eſſe, & teſtium idoneorum vadimonio deſtitutas.

Ex ejus igitur conceſſione tuta nobis erit Saviniani epocha, cui à ſe requiſita ſuccurrunt. 1. Acta bonæ fidei. 2. Cujus ſepulchrum nuſquam non fuit conſpicuum ; & hactenus votivis honoribus publiciſque percelebre. 3. & cujus ætati, quam primi Chriſtiani ſæculi commendat ævum, tot auctores ſuffragantur, cùm unicum habeat eumque anonymum Gregorius totaque Launoii ſchola ſuo dogmati patrocinantem.

II. Alterum quo ſponte Saviniani miſſioni à Petro directæ conſentit Diſſertator, ſeu Launoius, ipſum eſt ejus argumentum, quo cæterorum antiſtitum miſſiones pari chronologia celebres vix poſſe admitti prædicat ubivis operum ſuorum. Vult illos primi ſæculi Chriſtiani præſules cruenta morte defungi debuiſſe, & ad Eccleſiæ vulnera perveniſſe : quam martyrii lauream Saviniano feliciter obtigiſſe, teſtis eſt inſignis illa ejus capitis percuſſura, ſeu inciſio 4. ad 5. pollices lata, de qua in Actis ejus, ad hanc uſque diem in monaſterio S. Petri Vivi conſpicua, toto orbe Gallico nominatiſſima, jugique populorum accurſu & oſculis maximam Senonis habens venerationem. Cæteros ſimilium miſſionum primipilos ſed pacifica morte ſolutos, non Petro nec Clementi coætaneos, vixdum Marco Aurelio aut Decio tempore pares arbitratur. [Credibile non eſt, *inquit* §. 16. *ſecundæ Diſſert.* tam multos in Galliis noſtris per Creſcentem fuiſſe ad Chriſti fidem converſos, quorum nullus martyrium feciſſet in Neronis vel in Domitiani perſecutione, vel etiam in aliis quæ Aurelium Antonini filium præceſſerunt . . . . . . Quid ? in celebrioribus locis & ubi magiſtratus imperii forent, multos eſse ad Chriſti fidem & ſub Nerone vel Domitiano converſos ſine martyribus ? Res eſt tunc temporis nec viſa nec audita, quan do vel ipſum Chriſtiani nomen pro capitali crimine duceretur.] Quibus maxime tuta traditio fideſque Senonenſis, quæ

Digitized by Google

ſtatim poſt mortem Petri, Saviniani ſanguine adolevit : & de martyrio conſentit expreſsè Diſsertator adverſus Samblacatum ſcribens.

§. 29. Ejuſdem Diſsertationis hanc iterum ſubjicit ratio- » nem, natalitio Senonum fidelium maximè commodam [Di- » cimus admodum paucos eſse confeſsores epiſcopos, quos ha- » beat primum Chriſtianæ religionis ſæculum. *Omnes aut certè » pene omnes ad Eccleſiæ vulnera perveniebant.* Quin etiam è nu- » mero decem perſecutionum una fuit, quâ in ſolos Eccleſia- » rum præſides ſævitum fuit, & cum aliis Chriſtianis actum » eſt humanius.] Illud potiſſimùm urget eo loci contra Frontonem Petragoricenſem epiſcopum, Georgium Vellonenſem, Memmium Catalaunenſem, Eucharium, Valerium & Maternum Trevirenſes, Clementem Metenſem, Manſuetum Tullenſem, & Julianum Cenomanenſem, quos omnes à B. Petro miſsos communis traditio eſt illarum Eccleſiarum in quibus primi » ſederunt; [Qui tamen, inquit, in ſumma vitæ tranquillitate ad » Dominum migrarunt, immò in eorum Actis quæ vulgò le- » guntur, & in quæ laudata refunditur miſſio, antiſtites noſtri » cum Neronibus cum Domitianis, cum illorum adminiſtris, » Chriſtianæ familiæ incubatoribus, familiariſſimè vivunt, » deambulant, & ſi dicere fas eſt, epulantur] & §. 7. ejuſdem Diſsertationis : *Securi de confeſſione remanebant inter utriuſque tyranni ſatellites, qui contra quàm mandatum fuerat ſanctiſſimis præſulibus indulgebant : quod erroris & hallucinationis genus illi ſcriptores non adverterunt.* Sic jucundè rhetoricatur Diſsertator, ſed Saviniano favet, exquiſitiſſimis ſuppliciis, & cruenta morte cum omnibus ſuis & innumerâ promiſcui ſexus & ætatis multitudine ſub Severo judice, mactato.

Hæc ratio ex primorum epiſcoporum cæde petita, quæ primam antiquitatem Senonicæ ſedi vendicat, ſic arridet adverſario, non ſponte facili, ut inſigniter nec perfunctorio conatu dimicans contra illuſtriſs. D. de Marca cap. 11. ſuæ Diſpunctionis, eam iterum exerat adverſus Paulum Narbonenſem, quòd ſcilicet ei martyrium defuerit; quamvis aliàs annoſæ traditionis & plurium ſcriptorum ſeu martyrologiorum ſatel- » litio bene tuto. [Credibile non eſt Narbonem tàm citò ha- » buiſse epiſcopum, à quo cives Chriſtiana religione inſtituti » fuerint, atque ex iis neminem intra duo prima Eccleſiæ ſæ- » cula & eo amplius ad illius vulnera perveniſse ; *quod eſt*

manifeſtum indicium ſuſcepta ibi tardius religionis] Quod ex « ſuppoſito, nullum majus pro Saviniano ſuffragium eſse videtur, cui nec ſua nec ſuorum ſtrages defuit, ut vidimus; & quam paucis ad veterum codicum fidem (qui mihi etiamnum præſto ſunt) ſic expendit Tavellus pag. 2. *A Severo quodam Gallo, qui Senonum rempublicam Romanorum imperatorum nomine regebat, Savinianus & Victorinus cum filio & multitudine Chriſtianorum ingenti trucidati ſunt*; & ante eum lapis ſepulchralis ipſi Saviniani martyrio coævus, & in arenaria crypta ſanctiſſimi martyris hactenus coram & publicus: *Per flores roſei ſanguinis ſumpſerunt coronas victoriæ martyres Chriſti Savinianus & Potentianus cum multitudine ingenti.* Quod genuinum ſchema veritatis, votis Diſsertatoris aptè conſentiens, apud Arelatenſes deſiderari exprobrat ipſe, Toloſano reſpondens antiſtiti cap. 16. paginâ 130. mei codicis. *Arelatenſis Eccleſia unum dumtaxat veneratur martyrem, Geneſium, quem Diocletiani perſecutio ſuſtulit. Sic agitatæ ſunt perſecutiones novem in quibus plena Chriſtianis civitas* (argumentatur ad hominem) *pacem ac tranquillitatem à tyrannis obtinuit: & hoc eſt quod gentium nuſquam contigit, & inſigne paradoxum appello; ubi enim tunc multa religio, ubi plures Chriſtiani; ibi plures martyres.* Gaude Senonum mater Eccleſia, quòd Saviniani ſanguinis collyrio jam cæcutire deſinit Launoius noſter Diſsertator. Martyrem porrò fuiſse Savinianum diſertè ſcribit in animadverſione 4. contra Samblacatum: *Non de Saviniani & Potentiani martyrio, ſed de tempore martyrii diſputamus.* Et iterum conqueritur alibi ſuam hanc de Saviniani cæde ſententiam ab adverſario diſſimulatam fuiſse; quidquid enim habet in Diſsertationis 2. §. 4. & contra Samblacatum, Milletum, Chiffletium &c. de eodem Senonum primo præſule, martyrem eum fuiſse, idque Launoium certo certius crediſiſse, luculenter oſtendit.

Nec ſuperfluam hîc putes de Saviniani martyrio obſervationem: profuturam arbitramur ſi quid candori Diſsertatoris ſit concedendum, eique credendum cùm aliquid, etiam Severi ſui diſpendio, penè juratus eloquitur. Certum eſt ex allatis & continuo penè contextu Diſſertatoris, illum ideò primorum inter noſtrates epiſcoporum ævo infenſum fuiſſe, eorumque geſta fictitia ſibi cenſeri, quod confeſſores tantùm obierint, nulla martyrii laureâ decorati. Eos præ cæteris loquor, de quibus ipſe Chiffletium convenit articulo nono peculiaris contra

Digitized by Google

» eum lucubrationis ; cujus verba hic repetenda : [Dolendum
» eſt virum doctum & ſincerum non reddidiſſe rationem cur
» cum temporibus beatorum apoſtolorum Petri & Pauli divina
» invaluerit religio ; apud Arelatenſes Trophimo, apud Nar-
» bonenſes Paulo, apud Lemovicenſes Martiali, apud Remen-
» ſes Sixto, apud Catalaunenſes Memmio, apud Tullenſes
» Manſueto, apud Trevirenſes Euchario, apud Silvanectenſes
» Regulo epiſcopatum gerente(*cordaté tacuit Savinianum*) nulli
» reperiantur martyres qui vel ad Neronis, vel ad Domitiani, vel
» ad Trajani, vel ad Hadriani(*qui obiit* 138) vexationem pertineant.
» Sic enim ductum ex auctoritate Severi argumentum evaneſce-
» ret.] Tum addit: [Qui affectarunt ſynchroniſmum apoſtolorum,
» incommodius obliti ſunt eos apoſtolis aliquo martyrii genere pa-
» res facere, quos ætate pares fecerant. Verbis exprimi non po-
» teſt quantùm oppugnatoribus Severi noceat hæc oblivio. Sed
» hoc mali genus deinceps curari non poteſt.]

Hînc certum fit quanti valeat apud Diſſertatorem pro ſtabilienda ſedibus Gallicanis primi ſæculi deſinentis, aut alterius incipientis epocha, primos earum epiſcopos cruenta aut non pacifica morte deſiiſſe : & ſi quid ſanguineum in eorum Actis rutilaret, ea ipſi germana fuiſſe, & indubiæ prorſus auctoritatis. Nolim tamen ego ex hoc primorum antiſtitum pacifico funere quidquam detrahi fidei miſſionum eorum, nec dubiam cenſere ſedium ætatem. Sed faventem (velit, nolit) Senonum traditioni Diſſertatorem, qui tandem ad vocem ſanguinis Saviniani jugiter de terra clamantem reſipiſcere videtur, mei erat inſtituti ſiſtere coram, eò vel maximè quod ipſe Gregorius Florentius, cui totus incumbit, citra ullam anni Chriſtiani conſignationem, nec niſi infidè ad Marci Aurelii tempora detorquendam, hac de prima Chriſtianorum in Galliis vexatione (quæ Saviniano fatalis) edicit lib. 1 Hiſt. cap. 26 : *In Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cæleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoria apud nos fideliter uſque hodie retinentur* nec niſi ſtudio partium præpeditus Diſsertator commentari poteſt hæc, quæ proximè ſubjicit verba Gregorius, Severi allucinationi favere : *Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Photinus epiſcopus fuit* : nihil enim innuunt, niſi in illa generali Gallicanorum martyrum complexione Photinum accenſeri, ideoque nominatim exprimi ob celebrem illam Lugdunenſium & Viennenſium ad Aſianos collegas ſuos epiſtolam,

ex ſpeciali fœdere Irenæi Polycarpi diſcipuli & gentilis ſui delineatam. Sed non indicant eum primum omnium in Gallia martyrem fuiſse.

3. Hinc iterum conſurgit nova Diſsertatoris noſtri protectio, quâ ſe pro Saviniani, quam propugnamus, ætate pronum oſtendit, & quæ neceſsariò à nobis reſumetur infra in Severo. Iſthæc ſummatim expendo, in primis certum eſt, modò martyria non præceſserint in Gallia M. Aurelii tempus, uti vellet, nullum ab eo definiri apoſtolicæ prædicationi; & illud vocat *indefinitam* Severi epocham, quam jure poſſis, quantùm ad noſtrates Gallos, extendere ad ipſa Apoſtolorum tempora. Vix mihi fidem adhibebis, niſi ſuam ipſe mentem prodat Diſsertator. 1. In §. ſexto primæ ſuæ Diſsertationis. Urgebatur allatis ex epiſt. ſeptem antiſtitum ad Radegundem, quam refert Greg. Turonenſis lib. 9, cap. 39 Hiſt. in qua ſic illi: [Itaque cum *in ipſo* " *Catholicæ religionis exortu cœpiſſent Gallicanis in finibus veneran-* " *dæ fidei primordia reſpirare*; & adhuc ad paucorum notitiam " tunc ineffabilia pervenisſent Trinitatis Dominicæ ſacramen- " ta, &c.] Quibus verbis patet ad ſenſum illorum ſeptem an- " tiſtitum, ſtatim ab ipſis Chriſtianæ religionis cunabulis fidem non ſolùm in finibus, ſed etiam intrà fines Galliarum prædicatam fuiſſe: quod Severo Sulpitio plurimùm adverſatur aſſerenti, *ſerius*, hoc eſt, Marco Aurelio imperante, *trans Alpes Dei religionem ſuſceptam*; & adhuc tardius, ſi ſub Decio noſtros natales conſignent. Ut teſtimonium illud, palmare nobis argumentum, & ſuæ ſententiæ deleterium eliminet, ad partes noſtras propius accedendum eſſe cenſuit, & plura concedere quàm ſibi par eſſet: tanti eſt premi à veritate. Quid opus fuit, *in-* " *quit*, tam varios unius teſtimonii ſenſus excogitare & infarci- " re, cùm unus planus ſeſe objiciat? In primo ſenſu quem re- " pudiat, & ſimul admittit, ut auctori hiſtoriæ ſancti Saturnini " martyris imponat, ait eum religionis in Galliam tranſitum ad " tempora Decii rejeciſſe, quod à veritate prorſus alienum eſt. " Auctor enim ille de ea tantùm miſſione loquitur, quâ ſub De " cio ſeptem epiſcopi in totidem Galliæ urbes ab Romana Ec " cleſia legati fuerunt; ſed quòd in Gallias nuſquam ante De " cium ſuſcepta ſit Chriſti religio, non dicit. Calumniam ergo " patitur homo de Gallicana Eccleſia benè meritus.] "

2°. §. 11 ſequenti, non tantùm ante Decii, & Marci Aurelii faſces: ſed etiam ſub Clemente prædicatam in Galliis Chriſti

fidem admittit, preſſus auctoritate Gregorii lib. 1 de Miraculis ſic ſcribentis: *Eutropius quoque martyr Sanctonicæ urbis à beato epiſcopo Clemente, ut fertur, directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratiâ conſecratus eſt*: quod effatum nec in lib. Hiſt. nec alibi retractavit. Sic enim adverſarius egregiè veri-
» tati & nobis occinit: [Neque etiam video cur hæc de Eu-
» tropio hiſtoria (apud Gregorium) adverſetur ſancti Saturnini
» hiſtoriæ, quam miris & falſis modis invadit (cenſor) In ſancti
» Saturnini hiſtoria dicuntur ſeptem epiſcopi ſub Decio Româ
» in Gallias veniſſe: in ſancti verò Eutropii hiſtoria dicitur
» Eutropius à Clemente miſſus Sanctonas acceſſiſſe. In his dua-
» bus hiſtoriis quæ pugna inter ſe? quod diſſidium? Omnino
» nullum: etiamſi Decio Clementem, aut Clementi Decium
» æqualem fuiſſe arbitraretur. Hanc pugnam adornat falſa illa
» hypotheſis, quâ cenſor jam innuit Gregorium in ea fuiſſe
» ſententia, ut crederet ante imperium Decii ſuſceptam non
» fuiſſe in Gallia Chriſti religionem. Sed §. 7 hæc calumnia
» repulſa eſt.] Si jam ſub Clemente, qui ſedere cœpit anno Chriſti 91, aut ſequenti, lumen Evangelii Gallis affulſit, ipſo conſentiente Launoio; num jam jure ſævire poſſit contra Saviniani miſſionem ab apoſtolorum principe decretam. Scio pluribus torſiſſe locum hunc Gregorii de Eutropio Diſſertatorem, ſed vano ſemper conatu: & ſi, lector, advertere velis, nuſquam eum magis pœnituit infauſti congreſsûs & pugnæ.

3°. In Diſſertat. ſec. § 16 ubi tutandam habet indefinitam Severi epocham, novis licet offuciis veritatem infuſcare tentet, fidei tamen apud Gallos ortum ipſi naſcenti Eccleſiæ coævum fuiſſe diſſimulare non audet, quod hîc dandum eſſe nobis contendi-
» mus, ut ad hominem ſtatim diſputemus, uti jam alias. [Se-
» verus enim cùm ait, *Religionem Dei trans Alpes ſerius eſſe*
» *ſuſceptam*: imprimis ait, *ſuſceptam*, non *prædicatam*; nempe
» prædicari citius potuit, ſed potuit non ſuſcipi. Aliud eſt Evan-
» gelium prædicare, aliud prædicatum ſtatim admitti, ſi, quo-
» modo prædicabant apoſtoli, in memoriam revocemus.] Putaſne, lector, iſtud Launoianæ critices oraculum ex Chriſtiani doctoris tripode, aut cathedra poſſe prodire? Nihil niſi verba primos fidei ſatores apoſtolos blateraſſe, & aerem verberaſſe? Quod eſt contra ſacri textus auctoritatem in apoſtolicis Actibus, ubi vel ſemel & iterum loquente Petro, octo millia hominum Chriſto conſentiunt. Num jejuna apoſtolorum prædicatio *Do-*

mino

mino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis? Quid juxta Paulum ſermo proficeret non admixtus fidei? Num vana non fuiſſet & illuſoria Chriſti juſſio prædicandi Evangelium omni creaturæ, ſi in ſola illius declaratione, & non ſuſceptione ſtetiſſet mandatum? Quo auctore, quo vade (ut ſuis ſtet regulis Diſſertator) potuit cùm à veritate, tùm à Scriptura, ne dicam à ſenſu humano tam leviter deflectere doctor Chriſtianus, ut, ne quid ſuo Severo diſpereat, totam peſſum habeat apoſtolicæ prædicationis œconomiam, ut inutilem Evangelii ſementem, & nullam fere meſſem ejus agnoſcat, niſi cùm imperitare cœpit Marcus Aurelius, ſi Severo placet & non Superis? quo tamen imperante, tanta ubique terrarum, Romanæ ſaltem ditionis coaluerat Chriſtianorum multitudo, ut eorum pene infinitus numerus, ſi illius ævi ſcriptores admittas, cauſam dederit perſecutioni quintæ.

Nec dicat Diſſertator ſolam ſe Galliam ſpectaſſe, & in ea ſola irritos fuiſse apoſtolicæ gratiæ conatus, dum ait *prædicatam* quidem ibi fuiſse Chriſti fidem, ſed non *ſuſceptam*. Illud eſt tam errori, quàm injuriæ proximum; nec ſibi favent ſequentia ſui textus. Verùm cùm Gallia tunc nobiliſſima foret imperii Romani portio, & apoſtolicæ ſedi vicinior, nec omiſsam fuiſse à Petro, nec inutiliter prædicatam (quod rei momentum eſt) diſſentire non poterit adverſarius, niſi commodum ſibi plerumque & familiarem Euſebium ejuret, qui ſcribens barbaras etiam nationes apoſtolis, & apoſtolicis viris evangelizantibus fidem amplexas eſſe, non potuit Gallos excepiſſe: ſed hoc generali effato Diſſertatorem confodit libro 3 Hiſt. cap. 37, ubi de Philippi filiabus, & de Quadrato apoſtolorum diſcipulo coætaneis prædicatoribus: Qui utpote diſcipuli tantorum virorum admirabiles planè ac divini, Eccleſiarum fundamenta, quæ variis in locis apoſtoli prius jecerant, additis ædificiis exſtruxerunt, prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & ſalutaria regni cæleſtis ſemina per univerſum terrarum orbem latè ſpargentes. Siquidem plerique ex illius temporis diſcipulis, quorum animos ardentioris philoſophiæ deſiderio verbum divinum incenderat, Servatoris noſtri præceptum jam antea expleverant, diviſis inter egentes facultatibus ſuis. Deinde, relictâ patriâ, peregrè proficiſcentes munus obibant Evangeliſtarum iis qui fidei ſermonem nondum audiviſſent, Chriſtum prædicare, & ſacrorum Evangeliorum

» libros tradere ambitioſè ſatagentes. Hi poſtquam remotis
» quibuſdam ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant,
» alioſque paſtores conſtituerant, & novellæ plantationis curam
» iiſdem commiſerant; eo contenti ad alias gentes ac regiones,
» *comitante Dei gratiâ & virtute*, properabant. Quippe divini
» Spiritus vis ac potentia multa per eoſdem miracula etiam
» tum operabatur: *Adeo ut primâ ſtatim auditâ prædicatione,*
» *univerſi ſimul populi veri Numinis cultum promptiſſimo animo*
» *ſuſciperent.*] Vix aliter ullus alius ſcriptor Eccleſiaſticus fidei noſtræ geneſim, ſacroſque illius uberrimos fœtus quâqua patet orbis, delineavit. Solus aberrare voluit Diſſertator, ne Severi vitium ſibi labes non eſſet. Sibi forſan vaticinabatur, cùm ſecundam Diſſertationem clauſit hoc epiphonemate: *Iſta non cogitant adverſarii, qui ſortiuntur quid reſpondeant & quid objiciant; qui diſputant, ut diſputent; qui non veritatis, ſed partium ſtudio inflammati ſcribunt; qui nullum non admittunt ἀναρμοςίας vitium, modò æmulis incommodare poſſe videantur.* Sed hæccine ſunt, Launoi, languentia fidei primordia, dum totis viribus inclamarent paganorum auribus apoſtoli? Num conatus verbo tenus emiſſi, nuſquam admiſſi; fides prædicata, non ſuſcepta?

Sed non ſinamus elabi quibus eodem §. 16 in rem noſtram egregiè pergit; ſibi tamen parùm conſtans, immò totus lubricus homo. Mox dicebat (Severo ſubſidium parans) non idem eſſe prædicari fidem, & illam ſuſcipi. Non advertit præceps illius calamus, incommodum ſibi fore quod jam retulimus de ſparſis ubique per orbem Romanum Chriſtianis; & ita confeſtim, quòd numero ſuo pene terrori eſſent ipſi Cæſari, qui ſtatim de internecione cogitavit. Unde prudenter ſibi, ſed ſeriùs occurrit Diſſertator, ore ſatyrico
» frigidum ſimul & calidum exſufflans: [Deinde religionem
» Dei ait *Severus*, non ab uno tantùm vel altero, ſed ut
» par eſt credere, à pluribus clam & paulatim (mirare, lector,
» divinantem) ſuſceptam; alioqui ſuſcepta religio multitudini
» Chriſtianorum, qui ſub Marco Aurelio paſſi ſunt, non qua-
» draret. Hìnc fit, ut, quo tempore Chriſtiana fides emergere
» & exiſtere cœperit, ſatis compertum ſit: ſed quo tempore,
» quibus annis nuntiata primùm & Gallorum animis inſtillata
» fuerit, incompertum . . . . . Quamobrem Severus rerum no-
» ſtrarum quamlibet peritus, ſuſceptæ tamen, ut diximus, re-

Digitized by Google

ligionis epocham reliquit indefinitam.]

Potuit ne ſibi magis illudere celeberrimus Doctor, aut mihi ſtuporem altius incutere, quàm inter tot contradictionum flexus & mæandros, quibus ejus animus à ſe longiſſimè profugus in varia ſcinditur, & huc & illuc oberrat? Sed ut ſemel à veri tramite deflectitur, innumeri patent erroris anfractus, & in præceps ruit animus ſolâ ſui opinione ſapiens & tutus. Vult fidem ab apoſtolis prædicatam fuiſſe, ſed non ſuſceptam, ſtupendo prorſus animi ſui deliquio: tùm advertens infinitos pene Chriſtianorum aggeres & confeſtim per omnes orbis provincias ante Marci Aurelii tempora conglobatos, à quibus neceſſariò fides ſuſcipi debuit; admittit eam à pluribus ſuſceptam, *ſed clam & paulatim*, miro certè commentario, & quo tota ejus theſis de ſerius ſuſcepta Dei religione deſtruitur: nam ſi innumeri illi fidelium greges (ad quorum multitudinem obſtupuit & ſæviit Imperator, veritus ſub tanta mole oppreſſum iri Romanum imperium) non niſi *clam & paulatim* converſi fuerint; nemo ſui compos non dixerit vix centum annos ſuffeciſſe progreſſibus illis Chriſtianis clanculum & pedetentim ſolùm tentatis: ſicque miſſionum apoſtolicarum antiquitatem cogitur admittere, quas tamen ad Decii tempora rejiciendas eſſe anxius opinatur. Præterea quis eum docuit furtivam fuiſſe fidei ſuſceptionem, aut in ſecretis receſſibus nuntiatam? Chriſto contrarium imperante Math. 10: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.*

Magis adhuc de tanto doctore ſtupendum, quàm à vero, tam à ſe diſſentiente, eoque contradictionis ſpecimine, quod vix concipi queat. [Hînc fit, *inquit*, ut quo tempore Chriſtiana « fides emergere & exiſtere cœperit, ſatis compertum ſit: ſed « quo tempore, quibus annis nuntiata primùm & Gallorum ani- « mis inſtillata fuerit, incompertum; quippe magnorum flu- « minum noti ſunt lapſus, nota oſtia; fontes ferme ignoti. « Quamobrem Severus rerum noſtrarum quamlibet peritus, « ſuſceptæ tamen, ut diximus, religionis epocham reliquit in- « definitam.] Hæc edicit ut confirmet allatum à ſe diſcrimen « *prædicatam* inter & *non ſuſceptam* fidem in Galliis. Quod ab antiquis retrò temporibus illis nunciata fuerit, jam amplius non moratur, ut vidimus; & ad hoc indefinitam Severi epocham mirè commendat. At quod, amabò, mi Launoi, diſcrimen legitimum inter hæc duo, *ſcitur quo tempore Chriſtiana fides emergere & exiſtere*

Digitized by Google

cæperit apud Gallos : &, *neſcitur quo tempore*, *& quibus annis nunciata primùm & Gallorum animis inſtillata fuerit* ? Num potuit fides exiſtere in Gallia, & non nunciari ? Nam de Galliis ſolùm eo §. agi certum ſit ex toto contextu illius : nec enim niſi vanè putaret Diſſertator hîc quæri, num prius Jeroſolymis, tum Romæ, quàm in Galliis Evangelii jubar affulſerit. Potuit igitur emergere fides apud Gallos & exiſtere ; nec tamen ſtatim eis nunciari, & eorum animis inſtillari ; hoc eſt, notam eſſe illis, & ſimul non notam. Hæc ea tanti doctoris ratiocinatio : ſed ne ſibi ſit impunè, ſtatim eo loci ſic ſibi medetur, aut potius cavet veritati: *Ab his commentis mirum quantum abhorret Chriſtiana religio, quæ unica in ſola profeſſione veritatis conſiſtit.* Aliud & inſignius contradictionis exemplum mox ſubjiciemus, dum interim quæ Saviniano proſunt in doctrina Diſſertatoris proſequemur.

4°. Quartum quod votis noſtris arridet ex benevola, ſed non prævisâ conceſſione Diſſertatoris, & quod reſumetur infra, nova eſt explicandi Severi, & à partium ſtudiis tutandi excogitata ratio, quæ Saviniani miſſioni, quantùm ad chronicas illius notas, plurimùm conducit. [Poſtremò, *inquit eodem* §. 16 dum *religionem Dei trans Alpes ſerius eſſe ſuſceptam*, ait (*Severus*) comparatè loquitur, quod verba ipſa ſatis declarant : ſcilicet cis Alpes (id eſt in Italia) prius viſa ſunt martyria, quia cis Alpes citius ſuſcepta eſt Dei religio: ſerius verò trans Alpes viſa ſunt martyria, quia trans Alpes ſerius ſuſcepta eſt Dei religio. Hoc autem obſervaſſe, *quidquid ex antiquioribus Severo, æqualibus, vel tempore proximis auctoribus opponitur, diluiſſe eſt.*] Grande myſterium, & digna montium partu ſoboles: cui jure poſſit opponi inter propugnatores miſſionum primi ſæculi, dubitaſſe num Romæ prius, quam Senonis Chriſti fides innotuerit, aut viſa priùs martyria ad muros urbis Romæ quàm Chriſtolii, aut in Alodio Viviano? Ergone plus medio ſæculo tota critice laboravit, ut inter obſtetricias Launoii manus præclariſſimum fœtum hunc in lucem ederet ? Nec mirum ſi fælici illo natali totus tumens & lætabundus Diſſertator ſuo omnes anathemate feriat, qui impoſterum à Severo diſſenſerint, non alia flagitante celeberrimâ illâ ſuâ pericope, quâm velint omnes ſtudioſi miſſionum primi ſæculi, modò converſionis ad fidem primas Romæ deferant, & in Petrum, ut in primarium fontem, oculos intendant, à quo omnes rivuli fidei, in occi-

Digitized by Google

dentalibus ſaltem regionibus, perennarunt. Hoc igitur modo, *comparatè loquendi*, cui ſubſcribimus, Severo ſuo cautum eſſe voluit ab omnibus Diſſertator, *quidquid ab antiquioribus eo æqualibus, aut tempore proximis* ſecus opponeretur; quam regulam celebri licet ſacramento juratam, & nobilioribus orbis palæſtris, *ut unicam aſſerendi veri, falſique deſtruendi* methodum à ſe propoſitam, hîc paruipendit nauccique facit, ut aliàs ſæpe. Quod ideo notatum velim, ut ſcias, lector, quàm lubrico animi motu cuncta nutent apud hominem (ut jam monebamus) cui ſola ſuppetit pro ratione voluntas.

Ex his tamen flexibus & gyris, aut, ſi mavis, inter eclypſes Launoii veritas oritur Saviniano propitia. Quidquid ſit de utraque Severi epocha, quæ diſcutietur infrà, ſufficit traditioni Senonum ipſe Diſſertatoris conſenſus, & exquiſitus ad Severi verba commentarius hic. Nullum, ipſo fatente, Evangelicæ prædicationi tempus fixit Severus pro Gallia, quod indefinitum eſſe voluit: *Prædicari fidem* & *eam ſuſcipi*, *eam emergere*, ſive *exiſtere*; & *eam nunciari & hominum animis inſtillari*; (verba ſunt Diſſertatoris) non magis inter ſe differunt, quàm apud philoſophos actio & paſſio: ſi tamen quoſdam & maximè ſingulares caſus excipias, in quibus quidam populi rebelles fuerunt Evangelico lumini: quid igitur inde naturali conſecutione colligere poſſis, niſi cum bona Severi venia (ſi nobis metuendi nominis auctor eſſet) & illæsâ Diſſertatoris amicitiâ tam liberum nobis eſſe apoſtolicos Saviniani progreſſus ad ætatem Petri, quàm aliis & anonymo ſcriptori paſſionis ſancti Saturnini, Septemvirorum agones ad Decii tempora revocare? Sed non hîc unicè ſiſtit hujus argumentationis ſcopus.

Ex conceſſis nobis à Diſſertatore quæ vidimus, & aliis mox referendis quibus adverſarios urget, nova pro martyribus primi ſæculi deſinentis aut alterius incipientis, & pro Saviniani epocha, qui martyr occubuit, ratio ſuccurrit. Vidimus eum in cruenta Saviniani fata totis animis conſentire. Non diffitetur longè ante martyrum agones ſub Aurelio Antonini filio ſuſceptam fuiſſe Chriſti fidem in Galliis; & ex indefinita Severi epocha, quam adſtruit, quæque ſub nulla temporis nota martyria noſtra conſignat, ad ipſam Petri ætatem tuto revocari poſſe Chriſtiana Gallorum primordia: nam qui nullam chronologiam figit, nulli poteſt adverſari. Nec tibi curæ ſit, lector, definita martyrum noſtrorum epocha ſub Aurelio; quam

Digitized by Google

per indefinitam emendari voluit Diſſertator, ne tamdiu malè audiret apud eruditos, & innumeris premeretur adverſantium ſibi ratiociniis. Habemus adhuc ex illo ſuprà, celebrem hanc germanæ ſinceritatis teſſeram : *Dicimus admodum paucos fuiſſe confeſſores epiſcopos, quos habeat primum Chriſtianæ religionis ſæculum. Omnes aut certè penè omnes ad Eccleſiæ vulnera perveniebant*, §. 29. 2. Diſſert. & §. 17. ibidem. *Quid in celebrioribus locis & ubi magiſtratus imperii forent, multos eſſe ad Chriſti fidem & ſub Nerone & ſub Domitiano converſos ſine martyribus res eſt tunc temporis nec viſa nec audita, quando vel ipſum Chriſtiani nomen pro capitali crimine duceretur.* Plura videſis apud eum hujus veritatis elogia, & alia quæ jam ex ipſo recenſuimus. Ex quibus omnibus tamquam à conglobatis, ad hominem diſputo. Cùm hæc ſingula Saviniano conveniant ex ipſis Launoii principiis à me ſincerè relatis, & ex ipſo *nulla martyrum carnificina* (quæ Senonis acrius efferbuit ſub Severo judice) *manifeſtum eſt indicium ſuſceptæ tardius religionis* ; jam à contrario tutò poterit Savinianus & cum Sulpitii Severi pace, ſub extremos primi ſæculi Chriſtiani annos Senonis vixiſſe, qui martyr occubuit : ſicque iterum cum Hieronymo præfat. lib. 5. in Jerem. licebit dicere, *Veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt.* Jam diximus tutum eum eſſe ab anathemate Gregoriano, quod contra miſſiones apoſtolicas primi æræ Chriſtianæ ſæculi ſolùm objicitur in illa celebri periochè Actorum S. Saturnini, ſed quæ unicè ſpectat ſeptem epiſcopos Româ in Galliam ſub Decio miſſos (ſi tamen partus hic non ſit Gregorio ſuppoſititius) & in qua nulla de Saviniano memoria ; cui potius ſuffragatur ipſe Turonenſis generali hac de martyribus noſtris enuntiatione, lib. 1. hiſt. cap. 26. *In Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cæleſtibus coronati ; quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter uſque hodie retinentur.* Quos inter quis probè homo Savinianum recenſendum non eſſe blaterabit : & inter illas paſſionum hiſtorias quis citrà temerarios auſus Acta Saviniani proſcriptione multabit ? Non ipſe Diſſertator, qui penè juratus Savinianum extrema pro fide paſſum agnoſcit, ut vidimus. Nec ipſe Severus ſincerè ſibi redditus, qui nullos converſioni Gallorum annos præfigens, ex ipſis Diſſertatoriis commentariis (qui fidem in Galliis prædicatam non admittit ſine ſanguine præſulum ; fateturque prædicatores illos Decianam & Aurelianam æram longius præceſſiſſe, ut conſtabit lectori ſuperiora revolventi)

Saviniani tempori neutiquam incommodat.

Cæterùm in gratiam illorum primi ſæculi antiſtitum, quorum in Gallia prædicationi eadem figitur ætas ab iis qui veris traditionibus ſtudere ſe putant : illorum, inquam, qui cùm in Actis S. Saturnini, tùm in aliis paſſim obviis recenſentur, qui placida morte quieverunt, quædam annotaſſe juverit, nec Diſſertatori commoda, nec à ſcopo, quem intendimus, aliena.

Ut mira cordis ſuavitate Gregorianis effatis adhæret, non negabit verè miſſos ſub Decio Cæſare qui in Actis Saturnini apud Gregorium numerantur, Gratianum ſeu Gatianum Turonenſem, Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, Julianum Cænoman. Martialem Lemovicenſem epiſcopos. Nec ad remotiorem æram alios remittit, quorum mors etiam incruenta ſuæ criticæ non diſplicuit, Frontonem Petragoricenſem, Georgium Vellavenſem, Memmium Catalaunenſem, Eucharium, Valerium & Maternum Trevirenſes, Clementem Metenſem, Manſuetum Tullenſem &c. ex §. 29. Diſſertationis 2. Hos tredecim & quoſdam alios Gallicanos præſules tempore cædium præfuiſſe non inficias ierit adverſarius. Minus dubitabit acerrimè ſævitum fuiſſe ſub Decio Valeriano, Aureliano & Diocletiano ſi ad hunc quidam ex illis fortè pervenerint. His verè ſuppoſitis, Diſſertatoris eſt mihi reſpondere ſciſcitanti cur inter tot Fidelium ſtrages, de quibus affatim in certis Eccleſiarum monimentis, præſules illi omnes pretioſam quidem in Domino, ſed nullo inflicto vulnere, mortem obierint : aut ſi minus ſævierint poſtremi Cæſares quàm primi ; aut ſi minor in epiſcopos quàm in promiſcuam fidelium plebem perſecutio ? cùm quædam ſolis ferè ſacerdotibus & prælatis decreta fuerit, qualis ea quæ ſub Maximino viguit, & de qua Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 28. apud Valeſium ; male 21. apud Launoium §. 13.2. Diſſert. τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους ὡς αἰτίους τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας ἀναιρεῖσθαι προστάττει. *Solos Eccleſiarum antiſtites, ut potè evangelicæ prædicationis auctores interfici juſſit.* Quidquid diſcriminis intereſſe dixerint ejus ſequaces (quod nullum erit niſi fictitium) tranquillam non lædet præſulum illorum pacem, quos ſub primis imperatoribus vixiſſe ſupponunt qui eos defendunt ; illis tamen ſub æra Launoii degentibus opponere licebit cum illo & pari jure, quod de illis garriebat ſub Neronis & Domitiani epocha conſtitu-

tis, ut jam oſtendimus ex §. 29. 2. Diſſertationis: *Antiſtites noſtri cum Neronibus, cum Domitianis, cum illorum adminiſtris, Chriſtianæ familiæ incubatoribus, familiariſſimè vivunt, deambulant, & ſi dicere fas eſt, epulantur.* Sed quorſum iſta ſub Domitiano, Maximino &c. & non ſub Decio ſævitiæ ſingularis accuſato? Cur non ſub pacatiſſimis Conſtantini M. temporibus criticis noſtris placuit antiſtites illos collocare, vitæ mollioris placidique funeris amatores; cùm eorum arbitrio cedat chronologia, nolintque præſules confeſſores, dum ad martyria cæteri properabant? Nam ſi quid valeat Diſſertatoris opinio eos extra tempora Neronis & Domitiani longiùs amandantis, eo quod inter ingruentes Eccleſiæ procellas, inter hoſtiles gladios & horrenda ſupplicia evaſerint ſoli; nulla potior ſuccurrit ratio, ut ſub aliis principibus non minus atrociter ſævientibus reponantur; & ſi Gregorii, aut potius anonymi qui Saturninum (& quoſdam alios, ſi velis) nominat, authoritas adducatur; cùm à Diſſertatore, cui præſulum illorum mors tranquilla non arridet, totus diffideat; vapulabit ille & in Morboniam exulabit.

Præterea cùm nolit Diſſertator Actis illorum inhærere, quæ ſuppoſititia rêtur aut interpolata, id eſt, de quibus nihil certi ſtatuere poſſit, ex quibus tamen primariò pendet, quam de præſulibus illis habemus, notitia; non inconſequenter diffitebit ille nuſquam eos extitiſſe, quos tempore cædium & patientis Eccleſiæ præfuiſſe, ejus argumentatio non ſinit ut credamus, & quibus poſteriorem ætatem nec Acta concedunt, nec traditio, nec auctores æquales aut ſuppares, nec ipſe Diſſertator; quos tamen certum eſt extitiſſe. Hìc lethaliter ſauciatam eſſe criticen Launoii nemo non dicet, & cui Perſianum illud dici poſſit.

Noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Immò ſuum reddimus illi quod in Obſervat. 3. poſt ſuam 2. Diſſertationem adiecit: *Quærimus quem auctorem, quam hiſtoriam, quæ Acta aut monimenta prolaturus ſit, ut quæ narrat, vera nobis eſſe illemetipſe perſuadeat qui pluribus* quàm tredecim, poſt agones Eccleſiæ *ſæculis vixit*? Et in obſervat. ſeq. *Hæc ſunt uno verbo præcipitia in quæ, velint nolint, à ſeipſis propelluntur qui ſola contradicendi libidine ſcribunt, nec veritatem ſuis legibus quærunt.* Et in his duplici ſe noxa fœdavit adverſarius; quod dicere coram, ſupra promiſeram. Prima eſt, inſignis contradictio aut

aut

Digitized by Google

tantis garrire dicteriis, & circumfuſa verborum laſcivia luxuriare contra præſules noſtros quòd inter ſuorum ſtrages illæſi manſerint; ut eos à Domitiani & Neronis æra ſubmoveat: & tamen eos affigere Decianæ aut poſterioribus non minus cruentis, ubi paria incommoda irriſiones & improperia, ſed quæ in unum recidant Launoii caput, hanc ſibi chronologiam gratis fingentis. Altera, in re quæ maximum litis momentum cenſetur, ſuis regulis nuntium remiſiſſe; nullos laudantem auctores æquales aut ſaltem ſuppares, qui ſuſpectæ ſuæ fidei ſint obſides, & Gregorianam oppidò lubricam & nutantem fulciant (ſi Saviniano quidquam noceret, quem nuſquam nominatim, nec plures alios expreſſit) ſed qui præſertim Severo ſint idonei teſtes aſſerti dogmatis ab omnium opinione remotiſſimi, ut videbitur. Quod ad Diſſertatorem attinet, quem dum præfati ſumus, Saviniano tantùm perfunctoriè & debiliter contrarium diximus, ne ſi ſolus evaderet, aliis inſerviret; quidquid ab eo veritas elicuit contra periochen Severi, certam ejus facit miſſionem à Petro, ut advertere licuit toto hoc §. 7. nec eam minus ſuadebunt ſequentia ex ejuſdem penu deprompta. Nulla igitur

Victoria major

Quam quæ confeſſos animo quoque ſubjugat hoſtes.

V. Quintum ſubſidii genus à Diſſertatore nobis oblatum, quædam alia complectitur quæ in adverſarios Severi vibrata proſunt rationi temporum à nobis pro Saviniano conſtitutæ. Primum quod occurrit eſt Innocentii primi epiſtola ad Decentium Eugubin. epiſcopum ſcribentis, quæ cùm ſit unus ex communibus locis adverſarii, ſummæ cenſetur, ut par eſt, apud eum auctoritatis. Eam ad ſuos uſus derivat contra Philippum, Lucam, Creſcentem, &c. quos etiam converſioni Gallorum incubuiſſe quidam opinantur cum illuſtriſſimo viro Petro de Marca, Pariſienſi tandem antiſtite, in Epiſt. ſpeciali ad eruditiſſimum Henricum Valeſium. Sic autem Innocentius: [Quis « enim neſciat, aut non advertat id quod à principe apoſto- « lorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque « cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari; nec ſuperduci, aut in- « troduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliun- « de accipere videatur exemplum: præſertim cùm ſit mani- « feſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam at- « que Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe «

Digitized by Google

„ Eccleſias niſi eos quos venerabilis apoſtolus Petrus aut ejus „ ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.] Quibus verbis, ineunte quinto ſæculo ſcriptis, certiſſimè demonſtratur (aut ludicra forent) non tantùm à Petri ſucceſſoribus, ſed etiam ab ipſo legatos fuiſſe Chriſtianæ religionis in Galliam adminiſtros : quo primæ ſedis oraculo peſſum abit Severi ſententia, nec dabit Diſſertator ſuppetias ei laboranti, cui non ſapit fides ſine martyrio prædicata ſub Nerone & Domitiano, ut ſupra pluribus ipſe nos docuit ; paucoſque tunc dierum martyres ſibi numeret noſtrates inter epiſcopos ; cùm effuſi martyrio ſanguinis lauream diſertis verbis Saviniano gratuletur, uti vidimus, ideoque nullam ipſe rationem dabit cur non Saviniano potius quàm alteri Gallicano præſuli Innocentii verba ſuffragentur. Præterea certum eſt ex hoc pontificis textu, à Diſſertatore toties laudato in ſuis Diſſertationibus ; & contra D. de Marca (quo doctiſſimum præſulem contriviſſe ſibi videtur) fidem in Galliis Deique religionem ſuſceptam, Petro vivente : quo rationabiliter conceſſo, tota ruit Severi famoſiſſima pericope, quam unicam habet Launoii ſchola, ut in Senonicum antiſtitem perſtrepat, ſuique ſimiles primos Eccleſiæ Gallicanæ ἀρχοντας. Omnes enim, per me licet, lector eviſceret Diſſertatoris libellos quibus in primi ſæculi miſſiones precariò ſævit ; critices forulos & armamenta revolvat, nullis impetitum machinis Savinianum advertet, niſi hoc Severi jaculo, ſed ad nullam artis cotem ſubacto, & cujus auctoris calamus pontificio nuſquam prævalebit, in eo potiſſimum religionis negotio cujus originales chartas inſpicere potuit Innocentius. Oppones, Launoium admittere textum Innocentii qua parte dicit miſſos in Galliam apoſtolicos viros à ſucceſſoribus Petri, velut à Fabiano ſub Cæſare Decio. Sed cùm Innocentius Petrum etiam mittentem agnoſcat, non ſolùm nobis liberum eſt ad eum Saviniani miſſionem remittere, ſicut ad ſucceſſores ejus alii qui V. G. Dionyſium, Lucianum & cæteros à Clemente vel Fabiano miſſos dicunt : ſed illud fateri nos cogunt, quæ hactenus laudavimus veterum monimenta. Nec hîc arguat criticus petitionem eſſe principii, cùm nondum aliquis, etiam de ſchola Launoii, aliam quàm Petri Saviniano fixerit epocham. Textus hic iterum diſcutietur infra.

Secundum quo tuti ſumus, alterum eſt Diſſertatoris telum

quod ſibi magis ad manum & in adverſarios frequentius intorquet; *Nulla ſanctorum illorum*, de quibus controverſia, *in litaniis recenſio.* Hoc telo ſe confixiſſe putat Zachariam & Creſcentem, qui primi creduntur Viennenſes epiſcopi. De primo ſic §. 15. 2. Diſſert. *In litaniis ubi cujuſque Eccleſiæ martyres ponuntur, Viennæ Zacharias non comparet &c.* De altero ibidem §. 16. [Deinde Viennenſis Eccleſiæ Manuale, ſeu « ut vocant Baptiſmale, quod ante annos 150, plus minus edi- « tum eſt, litanias omnium quas vidi (vidi enim aliquas) ha- « bet prolixiſſimas; & tamen nullus in iis Creſcens invoca- « tur. Hoc autem manifeſtum adhuc ſignum eſt prioribus « & multis conſequentibus Eccleſiæ ſæculis Creſcentem fuiſ- « ſe Viennenſibus incognitum. Hoc autem argumentum tamdiu « mihi ratum erit, quamdiu non adferentur veteres alicujus « Eccleſiæ litaniæ, in quibus qui apoſtolus illius certò credi- « tus olim fuerit, & illuſtri confeſſione vel martyrio migrave- « rit, non inveniatur .... His & ſimilibus rationum mo- « mentis utor eò lubentius quod *inſtar religionis eſſe fidem de* « *temporibus aſſerere, vir exaggerata prudentia Tertullianus affir-* « *met.*] Bene; nec deeſt Saviniano hoc rationis momentum, « cui tot veteres litaniæ ſuffragantur, pari fide & numero ſupra relatæ; quamvis in hujuſmodi peccaverit Diſſertator, qui antiquiſſimas & paſſim obvias ſuo more ſiluit; ſed ei impune non fuit.

Non minor ei ſcrupulus *de non ædificatis Baſilicis*, inquit citato §. 15. *contra vetus inſtitutum Chriſtianorum, qui primis epiſcopis ſuis martyribus ſibi cognitis Eccleſias conſecrarunt.* Et in ſequenti §. *Neque in Eccleſia neque in pago Viennenſi ullum eſt vetus monumentum, ulla vetus Eccleſia quæ Creſcenti diſcipulo Pauli conſecretur. Quod certiſſimum eſt argumentum nullam veram apud Viennenſes extare traditionem, qua quidquid adverſarius Severi de Creſcente profert, ſuſtentetur. Fuit enim in more poſitum, ut jam notavimus, inſtitutoque veterum Chriſtianorum, ut apoſtolis ſuis, ſi modò confeſſione vel martyrio illuſtres fuerint, Baſilicas dedicarent.* In ſuperioribus copioſè patuit quàm celebres fuerint temporibus Decii in agro Senonenſi Saviniani ſociorumque ejus Baſilicæ, ad quas undique concurrerent Chriſtiani. Nec diceret Diſſertator tùm primum erigi cœpiſſe, cùm viginti poſt annos ſub Aureliano Imperatore Sanctianus & Columba pluresque Hiſpanorum nobiliſſimi, ut habent Acta illorum à

nobis expenſa, ad illa ſacratiſſima limina totâ Galliâ frequentata ſeſe receperint, quæ tamen ſæviente Decio & ſucceſſoribus ejus paris crudelitatis, erigi non potuerunt; ſed cùm antea Chriſtianis mitius erat, ut jam advertimus: præmiſſa lector revolvat, ne repetitione textuum ſim nimius aſſerendæ veritati, quam clamant adhuc hodie, præter membranas longiſſiſſimæ vetuſtatis, arenariæ cryptæ ſancti Petri Vivi & litterarum elogia parietibus inſculpta. Alia ſibi Diſſertator profuiſſe credidit, ut antiquam quarumdam Eccleſiarum traditionem minus eſſe probabilem oſtendat: ex quibus, à contrario, plurimum Senonenſi accedit. Mirè ſibi ſapit quod auctores vicini fuerint rerum de quibus ſcripſere; & ſi ætate diſtent, ſat ei, cæteris paribus, ſi loco propinquent. Nihil magis obvium in ejus Diſſertationibus criticis; & quæ in præmiſſis delibavimus, ſufficient prolixitatem exoſo. Auctorem Actorum ſancti Saturnini, fidum ſibi jurgiorum comitem, ab hac vicinitate, forſan fictitiâ, commendat. Sed non ignota Uſuardi Pariſienſis monachi habitatio & litterarum ejus officina; nec Adonis Viennenſis, nec Odoranni, Clarii, Gaufridi à Collone Senonenſium myſtarum; non Emmonis archiepiſcopi itidem Senonenſis anno 665. & patrum plus minus 35. qui cum illo in concilio Senonis habito conſederunt; nec Roberti Autiſſidorenſis, ut Bedam taceam qui rerum noſtrarum callentiſſimus fuit; qui omnes traditionem Senonenſis Eccleſiæ ſibi viſu perſpicuam, & ejus ſedis encænia ſub apoſtolorum principe, poſtêros docuere. Hujuſmodi ſcribendis levioribus argumentis, cùm graviora præceſſerint, non ægrè ſuperſederem, niſi ſponte oblatis ab adverſario, apud quem maximi ſunt ponderis, fraudanda non eſſet cauſa Saviniani, quin potius diſputandum ad hominem, & ſuis contra eum armis pugnandum.

Diſcedere me non puto à mente Diſſertatoris, his auxiliis in Saviniani epocham propenſi, ſi paria referam de viro nuſquam ſatis laudando, ſibique, dum ambo viverent, amiciſſimo: Jacobum dico Sirmondum, quod nomen, ait Launoius, non tàm eſt hominis, quàm eruditionis. In Diſſertatione de duobus Dionyſiis plurima rejicit eruditis minus placentia, & quæ Areopagiticis non ita ſubſidio ſint. Alia ſuggerit media vir cordatus quorum ope ſibi certa fuiſſet Senonum fides, ſi tuendæ illorum traditioni operam navaſſet: *Quantò conſultius*,

inquit, *ſi Severo aſſertionis fides quærebatur, omiſſis ambiguis frivoliſque narrationibus veterum Eccleſiarum, in quibus martyriorum erecta ſunt trophæa, ſcrinia excutere, Annales & Calendaria evolvere, atque in his quo quemque anno, quo principe, paſſum notent, obſervare.* Hæc Sirmondo lydius ſunt lapis probandis Eccleſiarum originibus, non ille fabuloſus auctorum æqualium & ſupparium delectus, *& qui continuâ ſerie ad primam rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, reducantur.* Quam regulam, ut merè fictitiam, & (quod mireris) à Diſſertatore ſuos ad uſus nuſquam repertam, minus adhibitam, niſi cùm adverſariorum decretoria momenta effugere, & ingratæ ſibi veritati obſiſtere voluit, indignam quæ proponeretur, non ſemel oſtendimus. At quæ Sirmondo probantur, ut certa rei notitia lectorum animis inſit, eorum cenſuræ ſubjicimus, ſi non abundè votis noſtris propitientur; & ſi in tantæ vetuſtatis argumento majora ſuppetant aliis ſubſidia, quàm quæ poſt traditionem nobiliſſimæ metropoleos (quæ ſola ſufficeret, ex Tertulliano, contritis ad amuſſim lycæi adverſariorum ſophiſmatibus, ut ex præmiſſis & addendis certum eſt) eruimus ex Actis à ſuſpicione vindicatis, ex Chronicis & Annalibus mediæ quidem ætatis, ſed ad primarios hiſtoriæ fontes delineatis; ex antiquiſſimis Legendariis, Martyrologiis, & Diptycis, quibus ætate ſuppar ipſe Carolus magnus; ex celebri item diplomate Chlodovæi magni priſtinæ fidei reſtituto; & aliis benè multis pene ad ſaturam ſupra relatis, quibus multa ex ipſo rationis penu deprompta ſuccedunt. His omnibus ſibi feciſſet ſatis vir doctiſſimus, qui plura non avet, & quem Saviniani dotibus infenſum fuiſſe non memini, dum ejus olim colloquiis dignarer; nec poſt hanc teſtium nubem obluctaretur ipſe Launoius, qui domeſtica forſan omnia non legit apud monachos Vivi (quod hîc amanter notatum velim, ne diu vapulet pro ſua circa Savinianum, ut Primatem, allucinatione) qui amanuenſibus uſus eſt infidis, aut parum ſcientibus, & qui tandem niſi perfunctorio marte acras Senonum cunas invaſit.

§ VIII.

Auctores quidam qui traditioni Senonenſi ſuffragantur.

HUic recenſioni quædam præmittenda cenſeo, ne forſan in quibuſdam lectoris hæreat animus.

I. Hujus enumerationis ſpecimen & idæam dedit nobis Diſſertator, qui obſervationem 6 in utrumque Severi & Gregorii locum hoc inſcripſit lemmate : *A viris extra quàm eruditis, in auctoritatem admiſſa eſſe Severi & Gregorii loca, quæ duabus Diſſertationibus cauſam dederunt.* In qua duodecim modernos ſibi teſtes adſciſcit, quorum primus, Carolus Molinæus, ſcribebat anno 1564; poſtremus, Petrus Puteanus 1651 : ſi de regulis ſuis cordatè ſenſiſſet, omiſſis recentioribus, antiquiores & æquales Severo, aut certè ſuppares auctores laudaviſſet : nec enim inter diſputandum, alios indulget adverſariis ſuis, ratus ſibi religionem non eſſe legis obſervandæ, quam aliis edixit. Pari jure in enumerandis aut citandis graviſſimis viris, qui nobis auxilio ſunt, fictitias Launoii leges aſpernati, non tam ætati quàm doctrinæ merito & eruditioni dabimus. Prodibunt tamen in medium ſcriptores primæ ætatis, & eximii.

II. Supervacaneum eſſet, & nec mihi integrum in ea librorum penuria, quâ nunc laboro, eos omnes recenſere qui ſtabiliendis contra Severum primi ſæculi miſſionibus feliciter & impigrè deſudarunt. Ii plures inter alios ſufficient quos veri amor, acerrimi judicii, & variæ eruditionis fama, ac ſingularis probitas commendant. Paucos recenſuit Diſſertator, qui votivis & ſecundis curis huic operæ incubuerint. Dabimus qui ex profeſſo & pene jurati ſpartim hanc exornarunt.

III. Meminerit lector præcipuos auctores, noſtræ ſententiæ patronos, quibus ætatis & ſapientiæ cani non deſunt, nos jam protuliſſe, quâ ſeſe dedit occaſio, & quibus pares nullibi potuit emendicare Diſſertator; quorum hìc iterum ſcita recenſere poſtularet dignitas argumenti, & hujus §. lemma : præſertim cùm eorum textus ſparſim tantùm, & non agmine conferto producantur in medium : quorum tamen collectio, terribilis ut caſtrorum acies ordinata, hoſtibus non terrori magis quàm exitio eſſet : ſed lectorum tædio cautum volentes, non bibliopolæ commodis, quibus quàm reipublicæ litterariæ ſtuduit impenſius

Diſſertator refricatâ toties textuum allegatione, præmiſſa à nobis, hîc miſſa facimus.

IV. Certum eſt paucos, & forte neminem, ſi Launoium excipias, eumque tantùm eminus velitantem ſingulari conflictu Savinianum invaſiſſe, Severiani certaminis aleam cum aliis præſulibus noſtris expertus eſt. Hînc fit, ut qui contra Severum ſtrenuè decertarunt, Saviniano pugnaſſe, epinicia meruiſſe, & hîc inter lectiſſimos pugiles numerati jure cenſeantur. Scio enim inſtructam potiſſimùm aciem contra Dionyſium Areopagitam, ne Pariſiis ſederit: contendentibus aliis ſub Clemente miſſum; aliis Athenis ſub Hadriano crematum; quibuſdam alteri Dionyſio pro Lutetia ſtudentibus. Et inter has muſæi lites, ultrò citróque agitatæ Severi Sulpitii, & Gregorii epochæ. Utriuſque ſenſum auctoris, qui vulgò tribuitur illis, deffendit Diſſertator; arguunt contra Severum nobiliſſimi ſcriptores, qui ſolus Saviniano gravis eſſe poſſet (nam Gregorium qui de eo nullibi ſcripſit, non mòror) de quorum ſincera victoria,cùm Saviniano juxta & illis gratulemur, mirabirur nemo, ſi inter auctores primo præſuli Senonenſi devotos, nominemus eos quorum ope tota ruit machina Severi: & per quos probetur Dei religionem trans Alpes ſuſceptam, priuſquam rerum potiretur Marcus Aurelius. Hînc plura, ni fallor, pro Saviniano præſtabunt, per quos ſuis excidet votis Severus, cùm eo ſint antiquiores, & quidam æquales, quàm qui primipili noſtri Senonici nominatim & expreſſim meminère: iis tamen exceptis, qui illius Acta, cæteraque primæ ſenectutis de eo monimenta conſcripsère; quibus abundè recenſitis, iterum exſcribendis operam nego.

V. Primùm igitur hîc citandi,qui ſuſceptæ fidei primitias in Galliis per apoſtolicos viros à Petro legatos, ſcribunt aut evidenter ſupponunt: & ſi quid è critico Launoii penu, cui verba non deſunt, contrarium objiciatur, ſtatim diluetur.

Poſtremò, moneo in hac celebri quæſtione de miſſionum apoſtolicarum antiquitate, plures qui Severo, & Gregorio opponuntur, quædam media minus apta ſumpſiſſe, & quoſdam auctores ut ſibi ſubſidiarios allegaſſe, quibus vix poſſis inniti, & in quorum cenſura non infructuosè ſibi critica laboravit: cùm aliunde tanti ſuppetant exitiales Severo ex hoc tumultuario citationum delectu criticam ſuam ſaginavit Diſſertator, qui virus, ſi quod eſt auctorum, ſugere ſemper adamavit. Illos citrà

Digitized by Google

cujuſquam offenſionem pertranſimus, & ſolis hæremus; qui rem acu tetigiſſe videntur.

Auctores antiqui quibus Severi Sulpitii textus exploditur.

HÆc illa celebris & plurimorum agitata ſcriptionibus hoc ſæculo, Severi periodus lib. 2 ſacræ Hiſtoriæ: *Sub Aurelio Antonini filio, perſecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria viſa; ſerius trans Alpes Dei religione ſuſceptâ:* quam præter plura in ſuperioribus hujus lucubrationis à nobis expenſa, ex auctoribus ei præviis, æqualibus, ſupparibus, & tandem modernis magni nominis, vanam eſſe, nec incommodam fore ſancto Saviniano, principis apoſtolorum in Gallias miſſionario, demonſtrabimus.

Sanctus Juſtinus martyr.

Mihi primus occurrit Chriſtianus ille philoſophus & apoſtolicorum temporum vicinus, qui florebat anno Chriſti 140. Eum ſibi Diſſertator objecerat §. 22 Diſſert. 2, nec tutius quàm ex » eo citandus: [Ex Juſtino martyre ſic comparatur objectio. » Sanctus Juſtinus martyr, qui centum & ſexdecim annis poſt » paſſionem Domini ſcribebat, Triphoni Judæo planum facit, » nullam eſſe in orbe toto nationem, in qua jam non foret con» ſtabilita Chriſti religio. Verba ſunt: *Præcipuè cùm ne nunc qui» dem ab oriente ſole ad occaſum uſque gens veſtra ſit (* Judæorum » ſcilicet *) ſed ſunt gentes quædam ubi nondum veſtri corporis quiſquam » habitarit. Atqui ne unum quidem genus eſt mortalium, ſive Bar» barorum, ſive Græcorum, ſeu aliorum omnino quocumque appellentur » nomine . . . . . inter quos per nomen crucifixi Jeſu ſupplicationes » & gratiarum actiones patri & fabricatori omnium non fiant.*] Ex quibus quid inferri debeat contra Severi longè fugientem epocham non diſſimulat ipſe Diſſertator. Sed hæc jejunè reponit: *At iſtud non negat Severus, ſed neceſſariò concedit, nam tum Lugduni, & Viennæ, quæ illuſtriores in Galliâ civitates apud Euſebium habentur, Chriſtiana religio jam ſuſcepta erat. &c.*

Verùm tam à Juſtino quàm à veritate recedit Launoius, nec umquam mihi credibile fiet tanti nominis doctorem mente ſincerâ ſic reſpondiſſe, aut in ipſo veri meridie ſic caligaſſe. Sub finem ejuſdem §. vult auctorum verba ſic eſſe expendenda:

Illæ

Illa & ſimiles generales veterum propoſitiones in ea, ut cum dialecticis loquar, ſuppoſitione capiendæ ſunt, quæ ad tractatoris ſcopum, ſcriptionis locum, ſcriptoris notitiam & rerum veritatem accomodentur: quâ cautelâ ſibi ipſi medeatur Launoius, neceſſe eſt. Epheſi ſcribebat Juſtinus, in ipſo ſcilicet Romani corporis umbilico, ubi quidquid rerum erat intra fines imperii virum ſolertem, & argumento ſui operis ſeu dialogi parem, non latebat. Sibi ſcopus erat Triphoni certum facere, quàm à Chriſtianæ religionis amplitudine Judaica diſtaret: iſtâ vix extra Judæam, ſi paucos proſelytos exceperis, propagatâ: illâ toto jam orbe Romano celeberrimâ, nec ipſis barbaris imperviâ, & quidem annis retro ante quamplurimis, nec ipſo contradicente Launoio, qui cùm apoſtolorum prædicationem & varias eorum, quâ patet orbis univerſus, excurſiones negare non poſſit; & poſtea vix aliorum miſſiones admittat, niſi Marci Aurelii Deciique tempora contingant; hiatu tamen perperam à ſe confiĉto, fateri cogitur uberrimos illos fidei progreſſus, de quibus Juſtinus, ad apoſtolorum ætatem, etiam in Galliis, reducendos eſſe.

Quis porrò ſui compos credat mentem Juſtino fuiſſe (aut argumento ſuo non defuiſſe de ſuſcepta per totas Romanorum provincias Chriſti religione, fere ſtatim ab ipſis Eccleſiæ initiis; quas inter tunc cæteris eminebat Gallia, quæ etiamnum hodie celebrior habetur in orbe Chriſtiano) de multiplici illa ſementis evangelici meſſe nihil huic ampliſſimo regno obtigiſſe, niſi Lugduni & Viennæ? Quid ad hæc diceret Tertullianus, qui eodem ſæculo florebat, & ſcribebat, qui, ſicut videbitur infra, *Galliarum diverſas nationes* Chriſto credidiſſe multus agnoſcit? Num diverſæ illæ nationes nihil aliud quàm Lugdunum & Vienna? Quo ſponſore, quibus auctoribus, æqualibus aut ſaltem ſubparibus (ut ſtet ſuis regulis Diſſertator) nobis ſuadere poterit quod nullus hominum admittere poſſit? Quo tamen ſuppoſito, qua fronte dici potuit convenire ſecum Juſtinum & Severum? Prioris erat Triphonem convincere de Chriſtiani ſtatus præſtantia, inter cujus dotes & decora ejus amplitudinem commendat, ſolis orbis finibus circumſcriptam, licet tunc temporis vix emerſiſſet è cunis inter atrocia Cæſarum edicta & ſtrages ſuorum: cùm ex adverſo paucos intra limites ſtringeretur ſacra Judæorum reſpublica, licet plurimam ætatem ferret & inter miracula, quæ ſacer textus

Digitized by Google

commemorat, adoleviſſet. Ad quæ non fruſtra Triphon; falſò ſcilicet rem Chriſtianam amplificari, ſi ex ejus in Galliis, ampliſſima gente, progreſſu metienda ſint ejus in cæteris mundi nationibus incrementa; ut alteri genti tam longè patenti, Chriſtianæ rei, præter duas urbes, nihil aliud acceſſerit: eamdem enim utrobique rationem eſſe; nec inter æqui verique amantes diſparitatem poſſe dari; niſi fiat, ut aiunt, petitio principii. Probet enim Diſſertator *per idoneos teſtes*, ſine quibus nihil umquam admitti debere ſeriò monet; cur Evangelio per univerſa mundi climata recepto, ut Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Hegeſippus, Oroſius, cæterique paris ſenectutis & eruditionis auctores, à nobis referendi, conteſtati ſunt; ſola Chriſto rebellis ſteterit Gallia, ſi Launoio fides, cui tamen ſtatim cum aliis dedititiam fuiſſe prædicant illi. Non poterat turpius errare Chriſtianus doctor, & in ſcopulum novitatis periculoſius incidere. Labem ſibi infra non minuet in Tertullianæi textus expoſitione.

Sanctus Irenæus.

Scribebat Irenæus Lugdunenſis epiſcopus & martyr circa annum Chriſti 180, in cujus lib. 1 contra hæreſes, cap. 3, hæc in rem noſtram, & eo planè tempore quo ſuam Severus epocham fixit. Validiſſimum urget argumentum ex propagatâ per omnes mundi partes fide Chriſtianâ, & unanimi credentium ſenſu, licet vivendi conſuetudine, ut locorum ſpatiis, plerumque diſſiderent: quibus luculenter probat non nuperamtunc fuiſſe Gallorum fidem, nec duabus tantùm urbibus definitam: *Et neque, quæ in Germania ſunt fundatæ, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ.* καὶ γὰρ ἂν κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι αἱ ὅμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις, τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή, καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς &c.

Ut incommodam ſibi menem Irenæi reprobet Diſſertator, Celtarum nomine ſolam eam intelligit Galliæ partem, quæ à Belgis & Aquitanis diſtinguitur; ſed vano conatu, & à pro-

bis & eruditis viris prorſus rejiciendo. Hîc iterum contrà fidem ſui ſenſus peccat adverſarius, nec cùm homo ſit, inficias ibit apud auctores antiquiores, æquales & ſubpares, *Celtarum* nomine Gallias omnes communiter deſignari.

Strabo lib. 4 Geographicorum : *Hæc diximus de Gallis qui Narbonenſem provinciam incolunt, qui quondam Celtæ appellabantur, & arbitror ab his eſſe à Græcis nomen Celtarum univerſis Galatis ſeu Gallis inditum ob gentis claritudinem.* Hæc probè conveniunt Irenæo, qui græci ſermonis erat, nec aliter ſcripſit quàm ferebat ætas & genius patriæ.

Polybius libb. 5, 8, 9, 10, 11, 12, 15 & 17, ubi de Brenno & militibus ejus, eos nunc Κελτοὺς, nunc Γαλάτας vocat. Livius lib. 5. Galliam quidem tripartitam fuiſſe non negat : ſed penes Bituriges, non Lugduni, ſummam imperii Celtarum fuiſſe ſcribit : *De tranſitu Gallorum in Italiam hæc accepimus. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit.* Num igitur ut non ita rectæ fidei, aut inſcitiæ damnandus non eſt Launoius Diſſert. 2, § 27, qui per Celtas ab Iræneo ſupra laudatos, ſolos Lugdunenſes & Viennenſes vult intelligendos? *Quin etiam neque tunc in Gallia Celtica aliæ omnes à Vienna & Lugduno urbes Chriſti fidem admiſerant.* Cur non Bituriges (inter plures alias) caput ipſa Celtarum : præſertim cùm ipſe referat Gregorius cap. 80 libri de Gloria Confeſſorum : *Bituriga verò primùm à ſancto Urſino, qui à diſcipulis apoſtolorum epiſcopus ordinatus, in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Biturigenſem primùm inſtituit, rexitque, &c.* Sed inſtitutam de communi vocis hujus *Celtarum* acceptione narrationem proſequamur, ne quid à nobis deſideret ſchola Launoii.

Notum omnibus, lippis etiam ac tonſoribus, Gallis omnibus cùm Aquitanis & Lugdunenſibus, tum Belgicis & Narbonenſibus indifferenter inditum fuiſſe Celtarum & Galatarum nomen. Unde Ptolomæus, qui ævo Irenæi florebat, ſed priùs ab humanis ereptus, ex utroque vocabulo aliud compegit lib. 2 de Geographia cap. 7, & cujus teſtimonio nihil opponere poſſit Diſſertator, quem habet eximium : *Celtogalatia in quatuor diviſa provincias, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam & Narbonenſem.*

Eadem nomina, rejectis aliis, uſurpat Pauſanias in Atticis, Achaicis, Acadicis, & Phocicis. Nec ſilendum quid lib.

Digitized by Google

Atticorum tradat, ὀψὲ δὲ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε. Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο. *Verùm ut Galatæ appellarentur, non niſi ſerò uſui obtinuit. Celtas enim cùm ipſi ſe antiquitus, tum alii eos nominarunt.*

Julianus Imperator longè ſubpar Irenæo in Epiſt. ad S. P. Q. Athenienſem: *Ubine paſcendi quidem poteſtas Gallis* τοῖς Κελτοῖς *fieret.* Infra, *Quamquam etſi triumphare mihi non licebat; hoſtem tamen jugulare fas erat, neque tota Gallia traducere*: διὰ πάσης τῆς Κελτίδος. Quis Juliano, præter Launoium, ſenſum hunc appingat, ut his verbis, *tota Gallia*, ſolum intenderit tractum Lugdunenſem & Viennenſem? Infra: *Quæ Gallis extremam cladem indicerent*: Κελτοῖς δὲ ἀνάστασιν ἀπειλοῦντα. Theodoretus in Sermone 8 de Martyribus, nihil diſtinguit inter illas quatuor Galliarum partes: *Nunc Romanos*, inquit, *nunc Hiſpanos, aut Celtas alloquebantur.* Nec Baſilius Hom. 3: *Quid refert & alios adnumerare quos Riphæi montes generant ultra intimam Scytiam ſiti; quorum eſt & Eridanus cum innumerabilibus aliis navigalibus, & ipſis omnibus qui per occidentales* Γαλάτας, *Celtaſque, atque propinquas eis barbaras gentes, nationeſque præterlabentes Occidentali omnes ſeſe infundunt mari.*

Zozimus loquens de partitione imperii facta à Theodoſio filiis ſuis Arcadio & Honorio, Gallias omnes ſolo Celtarum vocabulo comprehendit: ὁ δὲ βασιλεὺς Θεοδόσιος τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη καὶ Ἴβηρας καὶ Κελτοὺς, σὺν προσέτι τὴν Λιβύην ἅπασαν Ὁνορίῳ τῷ παιδὶ παραδοὺς.

Diſſertatorem imitatus hæc ad ſaturam exhibeo, & ſi menſuram aveat confertam & coagitatam, auctorem offero votis ſuis parem, ſed cui magis amica veritas: Bellarminus in expoſitione Pſalmi 109 Irenæum citatum ſic retulit: *Sanctus Irenæus vicinus apoſtolicis temporibus lib.* 1. *cap.* 2. *Eccleſia*, inquit, *per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata eſt: & cap.* 3. *meminit Eccleſiarum Germaniæ, Iberorum, Libyæ, Ægypti*, Galliarum, *orientis & earum, quæ in mundi medio erant, per quas intelligit Eccleſias Græciæ & Italiæ.* En ſcriptorem ſibi ſpontaneum, cui tamen *Celtæ* Galli ſunt omnes. Nec puto quemquam, ſi ſapere velit, Irenæi ſenſum eò inflectere poſse, quo vellet ſchola Launoii. Mirum profectò quod à patrum & veterum

Digitized by Google

placitis nulla veritatis religione ſic deflexerint quidam nuperi dogmatis aſsertores & fautores ; ut, ne pœniteat eos temere peccaſse, nihil non tentent ad erroris præſidium, quod viros cordatos & eruditos non pudeat, malintque à ratione quàm à ſenſu proprio receſſiſse. Objiciendum illis iterùm cum Seneca : *Coargui nolunt, & in male cœptis honeſtior illis videtur pervicacia, quàm pœnitentia.*

In id unum collimabant patres dum in Eccleſiam fervebant odia gentilium, iis perſuadere ſplendorem, ſanctitatem, & præſertim amplitudinem illius, & ubique terrarum receptam Chriſtiani nominis dignitatem. Undique noſtri cingebantur, hinc paganis, illinc hæreticis, apud quos omnes, & tramite veritatis vel minimùm deflectere, nec candoris erat evangelici, nec conducibile rebus fidei. Scribebant illi ad Imperatores & Senatum, aut coram diſſerebant de religione, quæ tunc totius orbis oculos in ſe intentos habebat ; nec eis impune fuiſſet apud æmulos in eorum perniciem conjuratos, ſi qua ſuggeſſiſſent quæ publica fama reique ſtatus falſa probaſſent. Quamvis Gallia tota Celtarum nomine non deſignata fuiſſet tunc ætatis (ſed perperam, ut vidimus) cùm tamen latiſſimè pateat præter Belgas & Aquitanos, facilè fuit Irenæum fraudis & mendacii convincere, qui populoſiſſimam gentem & primariis urbibus inſignem ſic deſignaſſet, ut totam fere Chriſtianam ; in qua tamen Chriſto nihil obtigiſſet præter Lugdunum & Viennam, ut in gratiam Severi ſui fabulatur Diſſertator. Vapulaſſet oppidò Tertullianus ſcribens etiam eodem ſæculo *diverſas Gallorum nationes* ad veri Dei cultum adductas ; ſi in ſolo tractu Lugdunenſi (quod jam monuimus) totum ſtetiſſet religionis apud Gallos incrementum. Alios expendat lector inter antiquos apologiarum Chriſtiani nominis ſcriptores, pares leget fidei proventus, meſſes ampliſſimas & propagatam tunc dierum, ubique gentium, ſed inſigniter in nobilioribus imperii Romani provinciis (qualis ſemper Gallia) crucis gloriam ; quibus Gentilium aut hæreticorum nemo mendacii labem inuſſit. Solus poſt quindecim & amplius orbis Chriſtiani ſæcula, caput extulit Diſſertator, qui ne Severus ſingularis audiret, totam peſſum dedit veterum patrum, & inter orthodoxos inſignium auctorum ſinceritatem, & effata palam omnibus à ſe propoſita, quæ viſu ſuo ipſi probaſſent.

Digitized by Google

Præterea quis æquo ferat animo, quod ut ſuo litaret ſenſui Diſsertator, in illo Irenæi teſtimonio ſibi prorſus incommodo, noſtræque litis planè decretorio, Galliam ſit partitus, quam non diſcrevit author, ut ex pluribus allatis à me textibus ejuſdem ætatis auctorum perſpicuum fuit: & Iberos omnes V. G. complexus ſit, quos tamen à Romanis trifariam etiam diviſos in Tarraconenſes, Bæticos & Luſitanos nullus ignorat. Si in tribus illis regionibus & ab Italia longius diſſitis ſuſcepta fuit fides ante Marci Aurelii tempora, ut planum fit ex Irenæi textu, contra quem nihil criminatur Launoius; quid tunc de Severi peticope fiet, cùm jam non ſerius trans Alpes, ſed ab ipſis fermè Eccleſiæ cunis ſuſcepta fuerit Dei religio? Nonne trans Alpes Hiſpania? In ipſum regeramus quæ malè egeſſerat ad calcem §. 21 Diſſertationis ſecundæ: *Hoc argumentum niſi concoquat, devoret neceſſe eſt.*

Fixum ſit igitur & ratum, ut ejuſdem verbis utar, ex Irenæo apoſtolicorum temporum viciniſſimo, ab ipſo Eccleſiæ exortu plures in univerſa Gallia Eccleſias conſtitiſſe, ut etiam apud Iberos cæteroſque trans Alpes procul ſitos; & ſic in Morboniam agendos eſſe omnes Severianos.

Verùm quàm hîc iterum à vero deflectat Diſſertator, referre non pigeat. Ingenioſæ mentis indolem exhibuit, ne totus periret ſub Irenæo: pari ludo nobis certum eſſe vellet ex Euſebio lib. 5 Hiſt. cap. 24 juxta verſionem C. V. Valeſii, nullum tunc temporis in Gallia epiſcopum fuiſſe, præter Irenæum. Illud ſibi fingit ex his verbis: *ἐν οἷς καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπων ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας*: quæ ſic reddit Valeſius: *Ex quorum numero Irenæus in Epiſtola quam ſcripſit nomine Fratrum quibus præerat in Gallia.* Ad quæ verba ſic commentatur idem doctiſſimus ſcriptor: [Fuit igitur hæc Irenæi » Epiſtola ſynodica, utpote ſcripta nomine Eccleſiarum Galliæ, » cujus caput erat Lugdunum. Proinde hæc Epiſtola referri » debuerat inter concilia Galliæ, ut olim monui Jacobum Sirmon- » dum virum doctiſſimum, nec umquam niſi honorificè nomi- » nandum. Etenim ille editionem ſuam conciliorum Galliæ à » Conſtantini temporibus exorſus eſt; hoc ſolum in præfatione » ſua monuiſſe contentus, duas ſynodos Lugdunenſes, quibus » præfuit Irenæus, memorari, quarum in altera Valentinus & » Marcion damnati ſunt: in altera verò Paſcha nonniſi die

Digitized by Google

Dominico celebrandum *cum tredecim epiſcopis Irenæus decrevit* «
. . . . . . Deinde quod ait Euſebius hanc Epiſtolam ex per- «
ſona *Fratrum*, id eſt, *epiſcoporum Galliæ*, ab Irenæo eſſe con- «
ſcriptam.] Hæc laudatiſſimus ſcriptor Valeſius. Hîc contra «
ſe non uno modo aſſeruit Diſſertator, pro Severo ſuo plus æquo blandus, contra ſe ſeveriſſimus.

Primo his verbis citati §. *Inde factum eſt quod Euſebius lib.* 3, *Hiſt. cap* 24, *Irenæum Chriſtianorum Galliæ præſidem appellet.* Fraudulenta verſio, & Euſebiano textui non reſpondens, ut inſinuet Irenæum ſolum tunc ætatis in tota Gallia ſediſſe. Hîc enim nomine *Fratrum*, non Chriſtianos univerſim, ſed epiſcopos deſignari notat Valeſius, quibus Irenæus cum ſui celebritate nominis, tum dignitate metropoleos Lugdunenſis præeſſe dicitur: quâ prærogativâ munitum duo Concilia Lugduni celebraviſſe, unum 12, alterum 13 epiſcoporum, clarum eſt ex tom. 1. Concil. & ex Libello ſynodico, ut mox videbimus; & ipſe ſatis innuit Euſebius cap. 23, lib. 5 Hiſt. ubi de ſynodis epiſcoporum agit, quæ ob controverſiam ſuper Paſcha variis in locis congregatæ ſunt. Et de ſynodicis cujuſque Concilii litteris tractans Euſebius, Lugdunenſem ſynodum, cui præfuit Irenæus, non poſtremo loco commemorat, καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει.

Secundò citra fidem omnem aſſerit eo loci Diſſertator, nullas alias urbes in Gallia Chriſtianas fuiſſe tempore Irenæi, ſi Viennam & Lugdunum exceperis: *Quin etiam neque tunc in Gallia Celtica aliæ omnes à Vienna & Lugduno urbes Chriſti fidem admiſerant.* Nec dicas eum de ſola Gallia Celtica loquutum. Ipſe enim in prioribus ejuſdem §. totam Galliam partitus in Celticam, Belgicam & Aquitanicam; Belgas & Aquitanos à fidei gratia excludit, & obſidem ſibi putat Irenæum: *Enimvero dum fidem noſtram intra Celtas Irenæus circumſcribit, vir ſi quiſquam alius hujus rei peritiſſimus, non obſcurè ſignificat eo tempore quo ſcribebat, ad annum ſcilicet* 180 *Belgas & Aquitanos Chriſti fidem nondum amplexos eſſe.* Ad hunc igitur annum nullibi Gallorum fides innotuit, aut ſuſcepta eſt: ergo dum ſcribis (ſed perperam) *Irenæum Chriſtianorum Galliæ præſidem appellari*, ſolos Viennenſes & diœceſanos ejus intelligis? Ergo duodecim, & tredecim illi epiſcopi de quibus in tom. 1 Concil. & in Libello

ſynodico ibidem relato, & ex quibus coaluerunt duæ illæ ſynodi Lugdunenſes ſub eodem Irenæo, è Morbonia tua ſunt evocati? Hæc criticæ ſcholæ deliria.

Hæ porrò ſynodi ſic ſe habent tom. 1 Conc. general. editionis Pariſienſ. anni 1671, col. 599 ex Libello ſynodico.

Lugdunenſis Irenæi.

Synodus divina & ſancta provincialis duodecim epiſcoporum, collecta Lugduni metropoli Galliæ, ad Rhodanum flumen, ab Irenæo ſancto martyre, ejuſdemque urbis epiſcopo, contra præſcriptos Marcionem & alios hæreticos.

Altera de die celebrandi Paſchatis Lugdunenſis Irenæi.

Synodus divina & ſacra provincialis, collecta Lugduni Galliæ, ab Irenæo ſanctiſſimo ibidem epiſcopo aliiſque tredecim epiſcopis, quæ ſimiliter de divino myſtico Paſcha conſtituit. Eadem habet editio Græca, ibidem relata. Huic potiſſimum ſynodo luculentum adhibet teſtimonium Euſebius, & ex eo Valeſius & Sirmondus ſupra laudati; cujus etiam epiſtola ſynodica ab Irenæo, nomine Eccleſiarum Galliæ conſcripta à priori commemoratur. Hæ igitur duæ ſynodi provinciales (non nationales) Galliæ, hinc ex 12, illinc ex 13 ad minus epiſcopis conflatæ, eos non intra ſolos Lugdunenſium & Viennenſium fines Chriſtianos in Gallia degiſſe meridiana luce clarius demonſtrant: ſed non hîc ſolùm peccavit Launoius, & ex præmiſſis ſtatim corrigendus.

Tertia igitur in eo labes, & quæ virum ſui fere neſcium prodit, ea eſt, quòd putet, & ex allato Euſebii loco, ut mox dicebam, unicum in tota Gallia Celtica, Belgica & Aquitanica epiſcopum fuiſſe ſub finem ſecundi ſæculi, ſcilicet Irenæum. Non potuit imponi fœdius Euſebio, ut ex præmiſſis perſpicuum eſt. Et ne quid diſſimulem in gratiam Diſſertatoris, Euſebium non legerat, nec libellum ſynodicum; apud quos de ſynodicis Epiſtolis, & de Lugdunenſibus Conciliis provincialibus, quibus cum 25 fratribus epiſcopis præfuit Irenæus, diſerta fit mentio. Sic tamen Launoius: *Id enim ex Euſebii loco non difficilè colligitur, in quo unus tantùm Irenæus Chriſtianorum Galliæ epiſcopus deſignatur.* Ex allatis ſupra, ut labes hujus aſſerti detergatur, præſtò adhuc ſunt epiſtolæ duæ Victoris Papæ, qui Eleuthero ſucceſſit anno 192, & obiit ante Irenæum, quas Baronius nullo à ſe notatas obelo (ſecus ab quibuſdam aliis eruditis) refert ad annum Chriſti 198, & quæ etiam leguntur tom. 1.

Digitized by Google

tom. 1. Conc. quarum prima eſt ad Deſider. epiſcopum Viennenſem, cui ſucceſſit Dionyſius & poſt eum Paracodas ad quem alteram epiſtolam ſcripſit idem Victor. Cujus Paracodæ & Dionyſii meminit Ado in Chronico, qui cùm ſimul floruerint eo tempore quo Irenæus, malè hîc dicitur unicus fuiſſe tunc dierum epiſcopus in Gallia: vult autem Victor ſuis epiſtolis ut omnes Eccleſiæ Galliarum ſeriò moneantur, ne ſchiſmati ſeu obſtinationi Aſianorum pro die quo celebrari debebat paſcha, prorſus adhæreant. Sic enim in epiſtola prima pontifex edicit: *Per tuam ergò fraternitatem presbyteris Galliarum litteræ mittantur, ut obſervent paſcha non cum Judæis negatoribus Chriſti, ſed cum ſequacibus apoſtolorum prædicantibus veritatem Chriſti.*

Et ne quis cauſetur epiſtolas iſtas debilis forſan eſſe fidei, aut hac voce *presbyteris* non epiſcopos, ſed ſimplices ſacerdotes intelligi; auctorem, præter Euſebium ſuprà, dabimus, qui in Eccleſia integram ſemper habuit authoritatem, Bedam ſcilicet, in Commentario quem ſcripſit de æquinoctio verno, ubi de concilio Palæſtinæ habito in eadem de paſchate controverſia, hæc dicit [Papa Victor Romanæ urbis epiſcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæſarienſis Palæſtinæque antiſtitem, ut quo modo paſcha recto jure à cunctis catholicis celebraretur Eccleſiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi fuerat in carne verſatus. Percepta itaque authoritate prædictus epiſcopus non ſolùm de ſua provincia, ſed etiam de diverſis regionibus omnes Epiſcopos evocavit. *Ubi cùm illa multitudo ſacerdotum convenit*, tunc *Theophilus epiſcopus, &c.*] Reliqua contextûs Bedæ dubitare non ſinunt quin hîc & apud Euſebium voces illæ *epiſcopi, ſacerdotes, presbyteri, fratres*, ſynonymæ ſint. Sed quid Diſſertator ſuique opponere poſſint his Irenæi verbis apud eumdem Euſebium lib. 5. c. 24. ad Victorem papam ſcribentis pro pace ſervanda [*Presbyteri* ante Soterem, qui Eccleſiæ, cui tu jam præes, præficiebantur; Anicetum dico, Pium, Hyginum, Theleſphorum, Sixtum; licet neque ipſi hoc feſtum eo die quo epiſcopi Aſiæ obſervarent.... Verùm illi qui te præceſſerunt, *presbyteri*, quamvis id minime obſervarent, Eccleſiarum *presbyteris* qui id obſervabant, Euchariſtiam tranſmiſerunt] Et infra: [Cùm Anicetus eorum qui ante ſe fuerant, *presbyterorum* morem ſibi retinendum eſſe diceret] Hæc ſuperflua videbuntur in veterum lectione vel mediocriter verſatis: at

Aa

Digitized by Google

Diſſertatori tam exotica ſcribenti & ab omnium ſenſu remota, cùm Euſebius ipſi ſit Theſeus, cujus nutibus, ut etiam Gregorianis pronum ſe ſemper exhibet, ex eo revincendus fuit, & demonſtrandum plures in Gallia præſules cum Irenæo vixiſſe, & in ſynodis conveniſſe. Fidem proinde & Dei religionem, epocham Severi præceſſiſſe; indeque martyres, ſine quibus, ut ſcribit Diſſertator, adoleſcere non potuit, longè prius viſos quàm imperaret Marcus Aurelius: tandem Irenæum non unicum fuiſſe, quamdiu vixit, Gallorum epiſcopum; nec intra ſolos Viennenſium & Lugdunenſium fines degiſſe tunc temporis Chriſtianos: quæ omnia mera ſunt Launoii inſomnia.

Ex hoc igitur Irenæi teſtimonio, ſi præmiſſa velit lector reſumere, non poteſt efficacius erroris argui Severus, & cum eo Diſſertator, cùm jam à primo rerum Chriſtianarum ſæculo plures Eccleſias habuerint Gallia, Hiſpania cæteræque gentes conterminæ. Non minus veritati ſuffragabitur

Tertullianus.

Hîc eodem ſæculo quo Irenæus, & etiam paulò tardius floruit, ſcribebat enim adhuc contra Judæos circa annum 209: » ſic autem ejuſdem libri cap. 7: In univerſa terra exiit ſonus » eorum, & uſque ad terminos terræ verba eorum. In quem » enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum » qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt Parthi, » Medi, Elamitæ & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, » Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Aſiam, & » Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ » eſt trans Cyrenem inhabitantes, Romani & incolæ. Tunc & » in Hieruſalem Judæi & cæteræ gentes, ut jam Getulorum » varietates, & Maurorum multi fines, *Hiſpaniarum omnes ter-* » *mini, & Galliarum diverſæ nationes: Britannorum inacceſſa Ro-* » *manis loca, Chriſto vero ſubdita*, & Sarmatarum, & Dacorum, » & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gen- » tium & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignota- » rum, & quæ enuntiare non poſſumus.] Qui hunc Tertulliani librum attentè legerit, eamdem ejus ac Irenæi & Juſtini mentem advertet, Judæos ſcilicet edocere Chriſtianæ fidei præſtantiam ex illius per univerſas mundi plagas dilatatione, cujus ope regnum Chriſti & nomen populis omnibus innotuerit:

Digitized by Google

Chriſti regnum & nomen, inquit ibidem, *ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter, &c.* Et poſt multa: *Aſpice univerſas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus ..... qui totum jam orbem Evangelii ſui fide cepit.* His & ſimilibus à Septimio diſputatis fit evidens non eas ipſum Chriſtianæ religioni metas fixiſſe, quibus eam circumſcriptam vellet Diſſertator. De Galliis hîc ad mentem Tertulliani loquendum arbitror, ſicut de aliis nationibus ab eo recenſitis, in quibus ſi parva fuiſſet aut debilis fidei progreſſio, quid contra Judæos victoriæ Septimio?

Debuit ille Evangelicæ ſementis proventus in ſingulis regionibus copioſior fuiſſe, ut ex eo validum fieret veræ religionis argumentum: at ſi jejuna fuiſſet, qualem in Gallia fingit Diſſertator, meſſis illa, ceſſiſſet illud in dedecus fidei; ſubſannaſſent æmuli, odia tepuiſſent, nuſquam in orbe contra Chriſtianos ſævitum, quorum infirma conditio commiſerationem nón invidiam excitaſſet. Quod ſi Diſſertator velit Tertullianum & alios minora ſenſiſſe de Gallis quàm de cæteris nationibus, proferat auctores ei æquales aut ſubpares, qui diſcrimen illud certò demonſtrent: *Hiſpaniarum omnes termini*, id eſt, ut volunt, omnes Hiſpanorum provinciæ Chriſti fidem ſunt amplexæ; ad *Britannorum inacceſſa Romanis loca*, per Gallias tranſitus fuit Evangelii præconibus, quorum ope *Chriſto vero ſubdita ſunt*, inquit Africanus noſter. Tranſalpinæ ſunt hæ regiones, nullas earum partes excludit Septimius à beneficio fidei, nec pro Severo quidquam adverſus eas opponit Launoius, qui vicis etiam & pagis illarum lumen Chriſtianum non negat: quî igitur fieri potuit ut impertranſito fere medio remotiſſimas illas nationes & Oceano diſſitas pervaſerit, & hiatu ſtupendo præter pauciſſimas Celticæ civitates (ſolam Lugdunum & Viennam ſupra recenſebat adverſarius) gentem omnium nobiliſſimam, & amœniſſimo & Romanis gratiſſimo ſolo urbium & opum affluentiâ celeberrimam prætermiſerit? Iterum hîc S. M. N. regulas tuas adhibe quas inveſtigandi veri falſique deſtruendi certiſſimas habere te jactas. Auctores cedo ejus ætatis & conditionis quos Afro illi, toto orbe Chriſtiano laudatiſſimo, & omnium opinione doctiſſimo, pares habeas qui ſecùs ab eo ſentiant, & præcipuas tunc Galliarum urbes (pagos & vicos non

Digitized by Google

non moror) à communis gratiæ conſortio ſecludant. Aut ſi quædam incognita nobis traditio tibi ſuffragatur, cæteroquin inviſa; profer, ſi tibi tua placent, teſtes idoneos qui à te aut ſaltem à Severo ad Tertullianum traditum illud dogma confirment de relictis in infidelitate Gallis, dum barbaris nationibus juxta poſitis, ad quas tamen vix hoſtibus ſuis pateret acceſſus, quæ Chriſti ſunt, affulgerent. Ignoſcat lector ſi ſæpe ſuas ad regulas remittatur Diſſertator, quas aliis paginatim obtrudit, & quas nullibi, ſi mihi fides, obſervat. Quid magis in infulato doctore mirandum, quàm antiquam rei Chriſtianæ veritatem & ſcita patrum mutare ſe ſolo, accito nemine, & ſine teſtibus iis dotibus quas ipſe requirit, inſtructis, contradicente veteri traditione & illis auctoribus ſuſtentata, quos inter ſi vel unum nanciſci potuiſſet Diſſertator, neminem ſibi parem putaſſet.

Nec mirum ſi duce nemine jugiter offendat: num turpius quàm cùm dicit §. 28 ſecundæ Diſſert. Lugdunenſes, Viennenſes, Valentinos vix quinque leucis diſſitos; Albienſes, Heduos, Divionenſes, *nationes eſſe diverſas*? Hoc fingere maluit poſt Appianum & Joſephum, ne Severus ſingularis audiret, quàm docere, non neſcius quid *nationis* vocabulo dictum velint eruditi, quod in appendice Concilii Conſtantienſis pag. ſeu col. 1748 editionis Labbeanæ bifariam poteſt ſumi, ubi de natione Anglicana: *Sive ſumatur natio ut gens ſecundùm cognationem & collationem ab aliis diſtincta: ſive ſecundùm diverſitatem linguarum, quæ maximam & veriſſimam probant nationem, & ipſius eſſentiam jure divino pariter & humano, ut infra dicetur: ſive etiam ſumatur natio pro provincia æquali, etiam nationi Gallicanæ ſicut ſumi deberet.* Et poſt pauca: *Ex quibus textu & gloſſa & aliis, liquet quod Italia ponitur pro una provincia, id eſt, natione: Francia pro alia; & cætera pro alia, & regnum Hiſpaniæ pro alia*: [Nationis autem vocabulum, inquit Calepinus, *latius extenditur quàm gentis, nam in eadem natione plures poſſunt eſſe gentes: neque enim omnes qui ejuſdem ſunt nationis, ex eadem ſunt gente.*]

Jocari voluit Diſſertator & ſimplicioribus illudere, dum hujus novi ſenſus teſtem adhibet Ciceronem, qui ne verbum quidem ſibi commodum habet, ſed planè contrarium. Audiatur ex integro: [Lugdunenſes, Viennenſes, Valentini, Albenſes, Hedui, Divionenſes, nationes Celtarum ſunt diverſæ,

in quibus Chriſti nomen tunc temporis colebatur. Tertullianus ut ita Galliarum nomen acciperet (hoc eſt pro ſex tantùm urbibus & earum limitibus) Ciceronem habuit quem imitaretur. Sic enim Cicero in lib. 16 ad Fam. epiſt. 12 loquitur: Feruntur omnino conditiones ab illo (*Cæſare*) ut Pompeius eat in Hiſpaniam: delectus qui ſunt habiti, & præſidia noſtra dimittantur, ſe ulteriorem Galliam Domitio; citeriorem Conſidio Noviano traditurum. Et quibuſdam interpoſitis: Putabamus illum metuere ſi ad urbem ire cœpiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas.] Dic amabo, ſodes, num his verbis probet Cicero ſex illas urbes, aut eis ſimiles cùm territoriis ſeu confiniis ſuis, diverſas eſſe nationes, quod probandum aſsumis? Aliam oppidò probæ mentis ſpeciem præ ſe fert Tullius, ne tibi in luce meridiana palpanti offendiculum ponat. Eum aliter ſcribentem ſequi debueras, ut lib. de Provinc. Conſul. *Cæſar cum acerrimis nationibus Germanorum & Helvetiorum prœliis multis feliciſſimè decertavit.* Et 2 de Orat. *Erudita illa Græcorum natio.* Idem pro Font. *Verum etiam exteris nationibus ac gentibus oſtendere, &c.* Livium item adire debueras, vel ipſos, ſi placuiſset, Coſmographiæ candidatos.

Alterum, ut ſpartam hanc ornes & novis faveas, locum affers ex præfatione ſynodi habitæ ſub Hilario Papa: *Maximus Taurini civitatis provinciæ Galliarum.* Totum hoc & nihil ultra. At quis inde legitimâ conſecutione poſſit inferre Taurinum ſolitariè ſumptam cum tractu ſuo ſibi adjacente integram eſſe nationem, inter *diverſas Galliarum nationes*? Illud ſolum, ſi Superis placet, conſequitur, Taurinum civitatem eſse, ſitam in una Galliarum provincia. Vides, lector, quàm ſinceris, genuinis & decretoriis momentis Severi collabentem epocham fulciat celeberrimus ille partium criticarum primipilus.

Vis aliud cordati viri ſpecimen. Suppeditat illud §. item 28: [Denique cùm Tertullianus ait Chriſto diverſas Galliarum nationes credidiſse, Galliarum nomine non minùs Ciſalpinam quàm Transalpinam Galliam intelligit (*divinus impoſterùm audiat Diſſertator*) nempe in tam longa tamque curioſa diverſarum orbis partium, quæ Chriſto ſubditæ ſint, enumeratione, non meminit earum quibus Ciſalpina Gallia continetur. Hæc autem quæ et Italica, & Circumpadana & Togata dicitur, quàm latè patet inter Alpes & Apenninum?] Num etiam meminit vel unius earum provinciarum, quibus totus

Digitized by Google

Tranſalpinus orbis Gallicus continetur? Quid hæc opinamenta, mi Launoi, ut veritati fucum inducas, cum Septimius ſcribit, *Galliarum diverſæ nationes*, quid à reliquo contextu famoſiſſimæ illius pericopes, & Severo lethalis, habet diverſum? Non aliter exaravit ſeu diſtinxit *Hiſpaniarum omnes terminos* tot provinciis ſeu regnis, ut vocant, inſignium. Dum *omnes* ſcripſit, nullum apud eam gentem *terminum* à Chriſti religione extorrem habuit. *Diverſæ Galliarum nationes* eamdem apud eum, ad minus, amplitudinem habent; nec Tranſalpinis noſtris officit, ſi præcipuas Italiæ & Inſubriæ civitates intenderit, ut Gallicanas noſtrates. Eò collimabat perſpicaciſſimus Afer, & rerum noſtrarum callentiſſimus, ut nullis in Gallia finibus circumſcriberet regnum Chriſti; & ſi Severum & Launoium exceperis, nullus de ejus amplitudine ſacrâ livore contabuit inter Chriſtianos comatos, togatos & braccatos. Apage hinc igitur ſtudia partium, quæ coryphæos ſuos ſic aliò vertunt.

Verùm non hîc ſtabit noſtra contra Diſſertatorem cenſura, res notatu digna, quòd Irenæi textum ſuperius agitatum, perniciem ſibi certò minitantem, emollire conatus, ſcribit in tota Gallia (nam in Celticæ ſolius duabus urbibus Chriſtum tunc ætatis cognitum fuiſſe retur) unicum fuiſſe præſulem, nec alibi Chriſtianos quàm Lugduni & Viennæ: *Quin etiam neque tunc in Gallia Celtica aliæ omnes à Vienna & Lugduno urbes Chriſti fidem admiſerant. Id enim ex Euſebii loco non difficilè colligitur, in quo unus tantùm Irenæus Chriſtianorum Galliæ epiſcopus deſignatur.* Ut verò Tertulliani locum majori ſibi pondere gravem, veritati tantiſper ſibìque conciliet, novus ipſe ſit apoſtolus (ſed à quo miſſus, neſcias) apud Valentinos, Albenſes, Heduos, Divionenſes Chriſtum prædicat eodem ſæculo, & Irenæo nondum extrema paſſo; eaſque urbes ubertim Chriſtianas accenſet Lugdunenſibus, & Viennenſibus: *Lugdunenſes, Viennenſes, Valentini, Albenſes, Hedui, Divionenſes, nationes ſunt Celtarum diverſæ, in quibus Chriſti nomen tunc temporis colebatur.* Monuit ille quod iſta Tertullianus ſcribebat circa annum 209, ſeptem annis poſt martyrium Irenæi. Quâ facilitate ſacris quatuor *nationum illarum* (verba ſunt ejus) cunis obſtetricari potuit Launoius; pari potuit etiam obſtetricias manus præbere cæteris Celticæ civitatibus ſeu nationibus; cùm Irenæus Celtas ſine diſcrimine nominaverit; ſub quo nomine tunc etiam continebantur plures & nobiliſſimæ civitates, quas in ſex hodie Lugdu-

Digitized by Google

nenſes partimur provincias ; quas inter quarta Lugdunenſis ipſa eſt Senonia Saviniano ſacra, & ejus ſanguine in plures alias *nationes* fertilis. Et ſi ſex illis Lugdunenſibus, tres Viennenſes addideris, & quas ex Irenæi calculo ſubducere non poterit Diſſertator qui Viennæ par cum Lugduno fidei χιέθλιον concedit : & ſi Livio fides, ut ſupra, qui Bituriges (quam Aquitaniæ primatem dicimus) Celtarum caput fuiſſe ſcribit ; quàm ingens ſub Celtarum nomine, ex indulgentia Diſſertatoris, campus tunc ætatis patuit nomini Chriſtiano ? Nec enim ſi viveret adhuc eruditiſſimus adverſarius (& utinam) diſcrimen afferre poſſet, cur quatuor illis urbibus ad calculum ſuum de novo adjectis, fidei lumen ſit impartitus, quas paulò ante rejecerat, & non tot aliis (quod nos contendimus) ſub Celtarum nomine comprehenſis ! Sic ſenſim erumpit veritas ex ipſis critices labyrinthis. *Claudi* enim *poteſt & ligari*, *ſed non vinci*, ut jam monuit Hieronymus. Sed ad cenſuram redeamus.

Hos Irenæi & Tertulliani locos in Obſervatione quarta ſuæ Appendicis ad 2. Diſſertationem ſecundis curis aggreſſus eſt, & magis infauſto conatu, & cum evidentiſſima petitione principii, ut loquuntur. Nota eſt omnibus Diſſertatoris methodus cùm ab adverſariis fortiter premitur. Ubi nec ratio nec auctores ei ſuffragantur, tunc majori tumet pompâ, nec criſtas unquam erigit altius : quæ probanda veniunt, ut veriſſima ſupponit, quæ negata, diſſimulat, & iterum velut oracula fundit. Hæc ſigillatim & breviter expendenda.

Irenæus, inquit, *ad annum Chriſti CLXXX, dicit fundatas eſſe in Celtis Eccleſias, eam intelligens Galliæ partem, quam incolebat, & cujus fideles apud Euſebium regebat.* Petitio principii ; arguit erroris Euſebius, ut vidimus ; & falſiſſimum eſt quod ex his verbis Irenæi, *neque hæ quæ in Celtis* Eccleſiæ, deduci poſſit ſolos ab eo Lugdunenſes & Viennenſes comprehendi : probet contrarium Diſſertator ; & cur poſtea ad libitum animi immodicè fluctuantis, alias urbes ſuprà memoratas adjecerit. Cur novas iterum paginas cudere, ſolis oneratas verbis ingenioſè quæſitis, & omni prorſus rationis & auctorum ſuffragio deſtitutas ?

Tertullianus, inquit, *circa annum Chriſti CCIX confirmat diverſas Galliarum nationes religionem ſuſcepiſſe, ita tamen ut Galliarum nomine Galliam utramque Ciſalpinam & Tranſalpinam in-*

ceſſariò comprehendat, quemadmodum §. 28. *probavimus. Quare demptis nationibus quæ ad Ciſalpinam ſeu Italicam ſpectant, & quæ ſine dubio plures eſſe debuerint: è diverſis reliqua ſunt pauca quæ pertinent ad Tranſalpinam. En veriſſimus* (magiſter Launoius edicit) *ſuſcepta apud Celtas ſeu in Gallia religionis ſtatus ad annum Chriſti* 209. *quo Tertullianus ſcribebat.* Piis tanti viri manibus concedendum, ut hîc Paulò mitius agat cenſura, & quid ad juris epices edicendum lectoris judicio relinquatur.

Primò ſi ſincera placeant, & cordatus arbiter ſedeat, vix pronuntiabit *Ciſalpinam Galliam neceſſariò comprehenſam* in allato Tertulliani teſtimonio, qui *Romanos & incolas* jam eo loci recenſuerat. Sed quæ bona fide ſupra conceſſimus, non revocamus, grati animi vices Launoio daturi qui Galliam etiam Tranſalpinam, Chriſtianam tunc fuiſſe nobis ex Tertulliano neceſſariò concedit; quæ cùm ultrà Celtas longiùs protendatur, votis noſtris non potuit liberalius indulgere: immemor tamen quæ prius ex tripode dixerat, ſolis tunc dierum Lugdunenſibus & Viennenſibus Chriſtum innotuiſſe.

Alterum ad quod ſtupuêre non pauci, in eo ſiſtit quod parem nobis de Tranſalpinis regionibus ſentiendi licentiam dat, aut negare nequit; ut de Ciſalpinis: nulla ſiquidem aliter judicandi proferri poteſt ratio. Utramque Galliam Ciſalpinam & Tranſalpinam *neceſſariò* comprehenſas fuiſſe à Septimio pro beneficio fidei diſertè fatetur. At in gratiam Severi, penè prophetans autumat plures in Italica Gallia, pauciſſimas in noſtra civitates Chriſto nomen dediſſe. Auctorem tanti diſcriminis ſi flagites ab eo, celebritatem ſui nominis aut Doctorales infulas pro vade tibi rependet. Nihil tamen detrahet Tertulliani fidei, aut verbis ejus imponet. Dato quod utrique Galliæ faverit, & quæ cis & quæ trans Alpes longè diſtenditur, ea ſibi potiſſimum occurrit quæ ſibi vicinior & quæ *Gallia* ſimplici titulo deſignatur. Cui favet Plinius Hiſt. l. 4. cap. 17. *Gallia omnis Comata uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, amnibus maximè diſtincta. A Scalde ad Sequanam Belgica; ab eo ad Garumnam Celtica eademque Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi montis excurſum, Aquitanica, Armorica ante dicta.* Narbonenſem ab hac enumeratione diſcernit.

Verùm etſi Tertulliani locus de ſola Celtica prout tertiam aut quartam Galliarum partem conficit, intelligeretur, quod non

non concedimus, eo præſertim quod *omnes* univerſim *Hiſpaniarum terminos* fidei veritatem edoctos aſſerat, nec ulla poſſit excogitari ratio, ut jam monuimus, cur minus de Gallis cenſuerit quàm de Hiſpanis: quid inde fauſti Severo contingeт, cùm tot illuſtres populos, & civitates ſuo ſinu complecteretur Celtica, quam dum ſubdolè non minus quàm injurioſè reſtringit Diſſertator ad eas urbes proximè recenſitas, geographicis antiquorum tabulis, notitiis, itinerariis, imperii laterculis ceteriſque hujuſmodi veteribus elenchis oppidò bellè imponit; poſt quos ſic Plinius eod. lib. 4. cap. 18. [Lugdunenſis « Gallia habet Lexovios, Vellocaſſes, Galletos, Venetos, A- « brincalvos, Oſiſmios, flumen clarum Ligerim, ſed peninſu- « lam ſpectatiorem excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmiorum « circuitu D. C. XXV. M. paſſ. cervice in latitudinem CXXV. « M. ultra eam Vannetes. Intus autem Hedui fœderati, Car- « nutani fœderati, Boii, *Senones*, Aulerci qui cognominantur « Eburones &c, qui Cenomanni, Meldi liberi, Parrhiſii, Tre- « caſſes, Andegavi, Vidugaſſes, Vadicaſſes, Venelli, Cario- « ſuelites, Diablindi, Rhedones, Turones, Iteſui, Secuſiani « liberi, in quorum agro Colonia., Lugdunum] Hinc vides « uberem apoſtolicæ prædicationis in Gallia Celtica ſeu Lugdunenſi proventum, nec proinde *Serius trans-Alpes Dei religionem ſuſceptam.* Plura largiuntur rei Chriſtianæ intrà Gallias incrementa Juſtinus, Irenæus & Tertullianus: his tamen per aſtutiam circumſcriptâ terminis fidei progreſſione, adhuc ſalvari non poterit finita nec indefinita Severi epocha, quam rei ſuæ deploratæ tegumentum induxit adverſarius: ſic enim

Tertia nobis præter ejus mentem exurgit probatio, cui diſſentire non poſſit ad ejus incudem elaboratæ. Siſtamus fidei victorias intrà Celticæ fines, quos quà longius exundant & parent, nobis concedit. Frequens aſſeruit ſuperius (& cujus verba dedimus) non potuiſſe fidem prædicari nec ſuſcipi niſi ſtatim ſanguine martyrum imbueretur; quos inter vult Eccleſiarum antiſtites potiſſimùm cæſos fuiſſe, ut qui ſpecialibus edictis Cæſarum diris devoverentur. Cùm igitur Celtarum converſionem Juſtini, Irenæi & Tertulliani tempora multò præceſſiſſe conſtet, nec minus quàm ad extrema primi ſæculi Chriſtiani poſſe figi, ſtatimque cruore martyrum præſulum emerſerit, & adoleverit, ex ipſius Diſſertatoris doctrina, quam ſincerè retu-

Digitized by Google

limus ; quo jure (ut alios fidei noſtræ lectiſſimos pugiles taceam) excludere poterit Savinianum ab ipſo naſcentis Eccleſiæ primario certamine, qui Senonis præfuit, quartæ Lugdunenſis intrà Celticam metropoli ? maxime cùm Launoio familiare ſit argumentum iſtud aptum,inquit,adſtruendæ veritati cujuſdam apoſtolicæ miſſionis; ut ſcilicet ſtatim à primariis urbibus incœperit præconium fidei ; uti contra Criſtolienſes martyres, Arvernos & plures alios urget. *Quis prudens & attentus crederet*, inquit §. 5. ſecundæ Diſſert. *prædicatam in vico Pariſiorum & ab innumeris utriuſque ſexus hominibus tot annis ante ſuſceptam eſſe Chriſti fidem, quàm Lugduni ampliſſima Galliarum civitate prædicaretur & ſuſciperetur ? Quis prudens & attentus crederet in vico Pariſiorum prius quàm in urbe prædicatam, & ab innumeris utriuſque ſexus hominibus ſuſceptam Chriſti fidem eſſe ?* Et in Obſervat. 4. de qua hìc ſermo, rem clarius definit, & pro Senonis aptius. *Quis enim compos mentis crederet Petrum, Paulum, Clementem id iniiſſe conſilii, ut prætermiſſa illuſtri provincia, & inſuper habita Lugdunenſium, civitate primaria Galliarum, ad cæteras civitates, oppida caſtella, vicos, Evangelii præcones ablegarent ? Quis inquam crederet id feciſſe apoſtolos*,qui majores urbes *divina religione occupandas eſſe cenſuerint ; ut ea inde ad minores & pagos facilius dimanaret* ?Hinc ad hominem & ex conceſſis luculenter, ni fallor, diſputari poteſt pro Saviniano. Mittitur ad unam ex principibus Galliarum urbibus, ſuæque provinciæ caput. Hoc poſtulat Diſſertator. Inter Celticæ nationes ſupereminet illa, & quartæ Lugdunenſis metropolis ; & ſi peregrinos & indigenas ſcriptores conſulas, tùm erat Galliarum præcipua ; & in illa gente quæ ut plures aliæ Celtarum inſignes Chriſti Sacramento munita fuit ante tempora Irenæi, qui *plures in Celtis Eccleſias Chriſti fundatas* diſertè ſcribit. In eadem urbe extrema pro fide patitur. Illud etiam requirit Diſſertator. His dotibus inſignis Savinianus Launoio ingratus eſſe non poteſt, nec à prima miſſionum epocha excludi.

Quartum quod nos Diſſertatoris famæ, & nunc, proh dolor, manibus ſponte devotos remoratur, ex ejus argutandi methodo colligitur quæ manifeſtam prodit petitionem principii. Ut Severo ſibique canat, palmare putat argumentum frequentem illum ſacrarum miſſionum in Gallia concurſum primo ſæculo deſinente & altero inchoante ; & per plures Galliarum diœceſes excurrit quæ tùm, ut hactenus, ſedis privilegio gau-

debant ; ratus nos plures Eccleſias aggregare quàm concedant Irenæus & Septimius, quod vanum eſſe ſibi perſuadet. Eò unicè tendit ingenioſè quæſita illarum illuſtrium Eccleſiarum collectio, quas eo loci recenſet, ſeu in Obſervatione 4. Quid tum ô bone ? Licet noſtra non ſit aliarum hîc Eccleſiarum iura tueri, multus contendo congeriem illam gravem non eſſe ſcriptoribus illis rerum noſtrarum peritiſſimis ; & priorem, ſcilicet Irenæum, cùm loquitur de *Eccleſiis Chriſto fundatis in Celtis*, totam ambiiſſe Galliam, & ejus præcipuas civitates (non vicos & pagos ut minus bene prodis) Chriſti dominio ſubjeciſſe, ut rite probatum eſt. Alterum verò *per diverſas Galliarum nationes* parem actu congeriem feciſſe, & ad plures forſan Eccleſias animum intendiſſe. Cùm has, Magiſter, Eccleſiæ naſcentis juxtà & patientis victorias in ſacris noſtris Dipthycis numeras, non deſtruis : & tuus ille labor faſtos noſtros colligendi, veritati famulatur, niſi tibi ſuppetant argumenta quæ tamdiu flagitamus, quibus auctoribus illis exquiſitæ ſenectutis, & aliis infra referendis erroris dicam appingas ; quod nonniſi fruſtra tentaveris.

Num adhuc juverit adnotaſſe quidquid in hac Obſervat. 4. Diſſertator convaſavit anxio labore, tumultuario verborum aggere, conquiſitis quaquaverſum ſophiſmatum argutiis, meram eſſe petitionem principii : & ut olim monui, cauſâ cadam, ſi poſt tot libellos miſſionum controverſiæ ſacros, quibus ſui fama nominis inclaruit, tantæ celebritatis argumentum (ſubſtantiam ſeu rei caput loquor) vel extremis digitis attigit, aut ea aſſerendi veri falſique deſtruendi methodo, cujus ſe jactat artificem, quidquam quod rei ſit, delineavit ? Si ſcriptores iis quas requirit dotibus inſtructos exhibuit : aut noſtris quos laudamus antiquiſſimos, cùm cordatè, tùm peritè reſpondit ? Multa quidem eruditè congeſſit aliorum errore, ſed prælo profutura, non hujus diſputationis argumento nociva. Quidam ei textus objecêre ſibi propitios arbitrati, quibus periclitari cœpit digniſſima cauſa ; & quibus Diſſertatori crevit ampla jurgandi ſeges. At in illis eum Savinianus velitem ſenſit, non cataphractum militem, nec in eum ſincerè ſæviit. Hæc toties repetita argues, lector, nec reluctor ; ignoſce tamen inſignium Eccleſiarum decora ſic miſerè, ſic fœdè proſciſſa mœrenti, & quidem nullis juſtis aggreſſionibus & ad ſcholæ leges probatis, ſed mera ſcribendi libidine. Si

Digitized by Google

vis unico telo & ex ejus manibus excuſſo confodiatur Diſſertator, hæc ex eo accipe, qui Gregorio laboranti opem laturus, adſtruendæ veritatis hanc unicam regulam adminiſtrat §. 13. primæ Diſſert. *Dico Gregorium, ſi quid hac in re peccaverit, rectè corrigi poſſe per auctores ipſo antiquiores, qui rem certius noverant; quem unicum aſſerendæ veritatis & deſtruendæ falſitatis modum agnoſco.* Et §. 5. ejuſdem Diſſert. *A quibus quæſo, ſi corrigendus eſt, corrigetur, niſi ab iis qui rem certius noverint, antiquioribus videlicet auctoribus, æqualibus vel certè ſupparibus?* Quibus auctoribus antiquioribus, æqualibus & ſupparibus pro ſe recenſendis cùm hactenus ſuperſederit, & nec unum à ſe demonſtrandum ſit certò certius, vix mihi perſuaſum habeo tanti nominis & eruditionis ſcriptorem in hanc, quam aſserimus, veritatem ſincerè ſævisse, cùm dicit modò mutatas Eccleſiarum noſtrarum origines; affectatum ab eis ſub tempora Caroli Magni ſynchroniſmum apoſtolorum; mendaciis ingenioſe inventis ſacram rempublicam Gallicanam profeciſſe, & cæteras à ſe fugientis forſan animi dicas immeritis illatas, quibus in gratiam Severi faciem Eccleſiæ fœdatam ſcribit. Iſthæc quæ nullus leviora dicet, ejus ſunt momenti, quibus probandis delectus auctorum merito & antiquitate vincentium & qui Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Oroſio &c. poſſint opponi, neceſſarius foret: ſed nullos exhibet.

Sibi ceciniſſe putat in eadem Obſervat. 4. dum objicit » [innumeras penè miſſiones, omnes à Petro, Paulo vel Cle» mente factas ab adverſariis dici, nullas verò à Lino & Cleto, » qui Petrum inter & Clementem annis tribus & viginti Ro» manam Eccleſiam adminiſtrarunt. Hoc autem manifeſtum » eſt indicium ea monimenta, quibus hæ miſſiones continentur, » edita fuiſſe circa mediam ætatem, qua ab omnibus ferme cre» ditum eſt Petro Clementem proximè ſucceſſiſſe prætermiſſis » Lino & Cleto, qui ex albo pontificum expungebantur. Tunc » temporis orta eſt inter Eccleſias ſuper antiquitate originum » ſuarum contentio.] Hìc ut alibi candor animi deſiderari videtur. Neſcire non potuit vir eruditus & totus Gregorianus plures epiſcopos miſſionum noſtrarum anteceſſores à Gregorio recenſeri locis ſuperius citatis & ex profeſſo, quos Româ miſſos fuiſſe ſcribit, ſed pontificem à quo miſſi ſunt, non nominat; *à Romanis*, inquit, *pontificibus*; aut *à pontifice Romano*. Hac loquendi formulâ Beda etiam, Uſuardus & Ado

Digitized by Google

non ſemel utuntur ; ut proinde talis miſſio non magis Petro aut Clementi, quàm Lino & Cleto ſit adſcribenda. 2. Conſentit ipſe Celtas ante Juſtinum & Irenæum converſos fuiſſe ad fidem primo æræ Chriſtianæ ſæculo, ut vidimus; neſcit pontificem qui prædicatores ad nos delegavit illo tempore. Cur non Linus & Cletus illo caritatis & paſtoralis ſolicitudinis officio functi fuerint ? 3. Si de antiquitate miſſionum & originum ſuarum contendit olim Eccleſia Gallicana, ut putat Diſſertator, quæ ratio repudiandi Linum & Cletum qui Clementem præceſſere ? 4. Proferat Diſsertator ad quas aliarum regionum civitates evangelii præcones deſtinarint Linus & Cletus : cùm certum ſit eorum tempore non ceſsatum eſse à fidei promulgatione. 5. Qui Linum & Cletum inter Romanos pontifices non recenſuerunt, nec inſcitiæ aut oſcitantiæ damnandi ſunt ; niſi ſtatim pari fato multandus ſit ipſe Hieronymus qui in cap. 52. Iſaiæ circa finem hæc diſertè ſcribit : *Clemens vir apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam.* Diffinire nolim ſi huic opinioni ſincerè conſenſerit, contrarium ſcribens in lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 15. ſed ibi fatetur plures Latinorum Linum & Cletum ex albo Romanorum pontificum expunxiſse : *Quartus (Clemens) poſt Petrum Romanus pontifex ; ſiquidem ſecundus fuit Linus, & tertius Cletus ; tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum apoſtolum putent fuiſſe Clementem.* Hanc de immediata Clementis poſt Petrum inauguratione ſeu potius aſsumptione ſententiam habet famoſiſſimus liber de Romanis pontificibus, ſub Damaſi nomine vulgatus : & Metaphraſtes Linum ait (29. Junii) ante Petri extrema, martyrio ſublatum. Non diſſimilia leguntur in epiſtola Joannis Papæ III nomine inſcripta ; & in alia Leonis Papæ II, Linum ſcilicet & Cletum Petri tantùm coadjutores, non ſucceſsores fuiſse. Favet eidem opinioni, & aliis forſan Latinis lubricum fecit quod ait Tertullianus cap. 32. lib. de Præſcriptionibus : *Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum.* Et ipſe Clemens epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini (qui fœtus forſan ſuppoſititius, ſed antiquus) in qua ſcribit ſe à Petro Romæ ordinatum fuiſse per hæc verba : *Clementem hunc vobis epiſcopum ordino.* Sic Epiphan. hæreſi 27. & Ruffinus in præfat. libri Recognitionum, & alii.

Verùm quidquid ſit de illa ſententia quam non ſequimur, certum eſt contra Diſſertatorem Launoium, non primum in-

Digitized by Google

notuiſſe circa tempora Caroli magni, cùm tunc ſynchroniſmum apoſtolorum ab inſignioribus orbis Eccleſiis affectatum fuiſſe oppidò fabulatur. Hîc audiendus Obſervat 4 poſt 2 Diſ-
„ ſertationem. [Poſtremò curiosè notandum eſt innumeras pene
„ miſſiones quas recenſui, omnes à Petro, vel Paulo, vel Cle-
„ mente factas eſſe ab adverſariis dici; nullas verò à Lino &
„ Cleto, qui Petrum inter & Clementem annis 23 Romanam
„ Eccleſiam adminiſtrarunt. . . . . . Hoc autem manifeſtum eſt
„ indicium ea monimenta, quibus hæ miſſiones continentur, edita
„ fuiſſe circa mediam ætatem, qua ab omnibus fermè creditum
„ eſt Petro Clementem proximè ſucceſſiſſe, prætermiſſis Lino
„ & Cleto, qui ex albo pontificum expungebantur. Tunc tem-
„ poris orta eſt inter Eccleſias ſuper antiquitate originum ſua-
„ rum contentio & certa quædam æmulatio.] Potuit-ne falli turpius, aut fallere diſertius doctor eruditus planeque Chriſtianus? Fatetur Hieronymus pleroſque Latinorum ante tempora ſua Lino & Cleto Romanæ ſedis verum pontificatum denegaſſe; & in conſtituenda ejus ſucceſſione nec ipſe non aberravit Auguſtinus, qui poſt Optatum ſuppoſuit Anacletum pro Cleto, & hunc diſpunxit: ipſe verò Launoius contendit illam de Clementis immediata poſt Petrum inſtallatione ſententiam ævo tantùm Caroli magni prodiiſſe, & tunc cœpiſſe dogma ſynchroniſmi apoſtolorum; quo perperam aſſerto, vides quibus præſtigiis veritati, & Eccleſiis noſtris illudatur. Num ſubolere debuit ſcriptor perſpicaciſſimus, egregium nobis pro confirmatione noſtræ theſis argumentum ſuppeditari ex illa Latinorum opinatione de excluſis à pontificatu Romano Lino & Cleto, & Clemente poſt Petrum immediatè aſſumpto: quâ ratione nobis illam objicit, ut quid neceſſariò concludens? Nam ſi ſecundùm allata Diſſertatoris verba cœptum eſt credi nobiliores orbis Eccleſias, præſertim Gallicanas, ſuas ab apoſtolis origines habuiſſe, cùm omnium fermè ſenſus erat Clementem Petro proximè ſucceſſiſſe; infitiari non poterit jam ante Hieronymi ætatem, quâ communis erat Latinorum opinio de proxima Clementis ſucceſſione poſt Petrum, viguiſſe dogma de ſedibus noſtris ab apoſtolis erectis. Argumentum eſt ad hominem, & epochæ Severi prorſus lethale, ſi Diſſertatoris ratiocinatio quidquam concluderet. Interim meminerit hîc à nobis auctores laudari, qui Severo præſtent auctoritate & antiquitate: ab eo verò (quod jam toties conque-

Digitized by Google

ſti ſumus) ne unum quidem proferri, quo vade ſeu ſponſore recantare potuerit dicam hanc ab omnibus bene probis & ſcientibus exploſam : *Tunc temporis* (incipiente ſæculo nono) *orta eſt inter Eccleſias ſuper antiquitate originum ſuarum contentio, & certa quadam æmulatio.* Quod tam injurioſum lemma ſoli ſuæ fidei credidit, eoque ſibi famoſiſſimum nomen conciliavit.

Hoc porrò Tertulliani textu inſigniter uſi ſunt clariſ. viri Jacobus Pamelius ſuis ad eum ſcholiis, & Petrus de Marca ad eruditiſſimum Henricum Valeſium ſcribens, cujus epiſtolam diſpungere conatus Diſſertator, contrariæ parti non poterat fortius patrocinari, ut in recenſendis ſequentibus auctoribus, quâ ſe dabit occaſio prudens lector advertet, cum reliquis Launoii ſcrupulis & objectionibus fiet ſatis, quibus ut à ſe promiſcuè diſtributis pluribus in libellis quos temerè congeſſit, certus à nobis ordo ſtatui vix poteſt.

Qui ab ejus partibus hactenus ſteterunt, non diffitentur ſibi prorſus exitialem eſſe hanc Tertulliani pericopen ; nec ipſe non ſenſit Diſſertator, qui ſibi cautum volens, aliò deflexit, ſed minus tutè. Siquidem §. 28. ſecundæ Diſſert hæc in rem noſtram ſibi parum cavens edicit. *Fuerunt & alia ſine dubio loca prioribus addita, ex quo primorum Galliæ Tranſalpinæ martyrum ſanguis Chriſtianam fidem dedicarat :* quod ſubjecto ipſius Septimii teſtimonio confirmat. De quibus locis cùm indefinitè ſcribere cogatur, nullos in tota Gallia progreſſibus Chriſtianis circa tempus enaſcentis Eccleſiæ limites circumſcribit. Dixi *in tota Gallia*, & ipſo conſentiente Launoio, qui jam preſſus auctoritate ſuperiorum textuum Irenæi & Tertulliani eodem §. conſentit ea Septimii verba, *diverſæ Galliarum nationes*, utramque complecti Galliam, Tranſalpinam ſcilicet & Ciſalpinam ; quæ prior cùm eo effertur nomine, eam ſubindicat Galliam, quæ Rheno, Oceano, Pyrenæis jugis & Mediterraneo mari clauditur. Vapulet igitur præceps Diſſertatoris animus, qui paulò ante Belgas, Aquitanos & Narbonenſes, dum ſcriberet Irenæus, à fidei corſortio removebat ; immò Celtas omnes præter Lugdunum & Viennam : nunc Severianam & Decianam epochas Morboniæ ſuæ mulctandas exilio proximè ſuadet. Quæ ſequitur inſcriptio Hiſpanica, huic auctorum elencho præmittenda fuit.

Digitized by Google

Inſcriptio Hiſpanica.

Hanc inſcriptionem Severi ſententiæ noxiam refert, & objicit ſibi Diſſertator, repertam in Hiſpania eo loco qui olim Cluvia Colonia dicebatur ; quam etiam exhibet Baronius ad annum Chriſti 69, num 46, quem integrum ut præſentiſſimum „ Launoiani ſenſus alexipharmacum hîc exhibemus : [Cæte- „ rùm ſæviſſimam fuiſſe non Romæ tantùm, ſed toto orbe Ro- „ mano Neronis perſecutionem vetus illa inſcriptio facilè per- „ ſuadet, quam 2 Annalium tomo poſitam, hîc ſuo loco in re- „ centiori hac editione reſtituendam putamus. Ejuſmodi enim „ tunc fuit titulo, quod Chriſtianos omnes occidendos mandaſ- „ ſet, atque latrones, ſculpto lapidi commendatus.]

Neroni C. Cæſ. Auguſ.
Pont. Max. ob pro-
vin. Latronib. & his
qui novam generi hum.
ſuperſtitionem inculcar.
purgatam.

„ Potes quoque ex his, lector, probè conjicere fuiſſe Hiſpa- „ niarum Eccleſiam (nam in Hiſpania hæc inſcriptio reperta „ eſt) his temporibus florentiſſimam, dum tamquam ingens „ quoddam ab impiis æſtimatum eſt collatum à Nerone bene- „ ficium, quòd Chriſtianis eam provinciam expurgaſſet, ob id- „ que memorabile facinus eo velut eximio gloriæ titulo ho- „ noraſſent. At licet hac inſcriptione nulla expreſſa ſit mentio „ nominis Chriſtiani, quòd ipſi ethnici nomen ipſum exhor- „ rerent ; tamen nonniſi de Chriſtianis ea poſſe intelligi ne- „ ceſſarium eſt illud argumentum, quòd nulla Neronis tempo- „ re, nec ante diu, nec poſtea alia nova in orbem invecta eſt „ religio quàm Chriſtiana ; nec certè Nero omnium ſuperſti- „ tioſiſſimus aliam quamlibet ſuperſtitionem gentilitiam potuit „ perſequutus eſſe, qui etiam magicis ritibus addictiſſimus erat. „ Sed & illud verborum illorum obſerva *ſuperſtitionem inculcar.* „ quòd Chriſtianorum proprium fuit religionem omni ſtudio, „ totis viribus, verbis factiſque, cunctis denique nervis ſuſci- „ piendam omnibus gentibus ingerere. Conſidera & ex his, „ vehementiſſimam Neronis perſecutionem fuiſſe, ut creditum „ fuerit Chriſtianam religionem ab eo penitus extirpatam.] Et ipſe

ipſe conſentit Diſſertator §. 2 ſecundæ Diſſert. inſcriptionem illam de Chriſtianis intelligendam eſſe; imniò *auctoritatem* quæ poſſit adſumi.

At quid opponat contra ſolares radios, aut quî cœcutiat in ipſa luce meridiana, paucis adverte, ſi priùs indulſeris quod tanti viri verenda denudem, & pertinacem in critices amoribus animum, & induſtriam, quaqua licuit, adornatam. Inſigne illud eſt quod ait: *Neroni memoratum elogium poſuerunt, quo purgatam à Chriſtianis, non qui aderant, ſed qui tandem aliquando adfuturi erant, provinciam ſuam Imperatori gratulentur.* Pari ratione cùm elogium illud ſpectet etiam latrones, ab illa provincia procul excedere juſſos, & longius amandatos, aut nece plexos, dicendum erit *purgatam à latronibus provinciam non qui aderant, ſed qui tandem aliquando adfuturi erant.* Aureum illud Hiſpaniarum ſæculum ævo Neronis, quo nullis infeſta latrociniis regio, & plena auro marſupia prominebant in compitis & ſilvarum confiniis. Iſta retuliſſe, monet Hieronymus de ſimilibus, confutaſſe eſt. At cùm latrones non minus graſſarentur in Hiſpania quàm alibi gentium, facilè ratio perſuadet Hiſpanos hujus elogii ſculptores præſentia tantùm ſpectaſſe, & latronibus ſibi hactenus infeſtis Chriſtianos junxiſſe, quos ſibi pariter exitio fore, ſuis, inquam, ſacris & avitæ religioni jugiter cernebant. Deinde vox illa marmoris, *purgatam*, mali præſentis aut proximè præteriti remedium indicat, non futuri. Accedit quod Oroſius ſcriptor Hiſpanus, & teſtis omni exceptione major, ut infra videbimus, ſcribit Neronem per omnes orbis Romani provincias in Chriſtianos ſæviſſe: *Primus Nero Chriſtianos ſuppliciis affecit, ac per omnes provincias pari perſecutione excruciari imperavit.* Et de Domitiano qui poſt 13 annos ei ſucceſſit: *Domitianus confirmatiſſimam toto orbe Chriſtiano Eccleſiam, datis ubique crudeliſſimis perſecutionis edictis, convellere auſus eſt.* Quæ verba, à Launoiano anathemate tuta, dubitare non ſinunt Chriſtianam fidem tunc ætatis in Hiſpania viguiſſe, Neronianis edictis, & gratulatorio marmori poſtea cauſam dediſſe.

Non minus infeliciter inſurgit adhuc Diſſertator cùm ait, [Prudentius in lib. περὶ στεφάνων multos variorum Hiſpaniæ « locorum martyres ſex prioribus Hymnis celebrat, ſed nul- « lum in iis ſub Nerone factum martyrem agnoſcit. Uſuardus « & Ado in martyrologiis ſuis paſſim loquuntur de martyribus « Hiſpaniæ, ſed nullum ſub Nerone ponunt. Paulus Oroſius «

Digitized by Google

» preſbyter Hiſpanus lib. 7 Hiſtoriæ perſequitur initia Chri-
» ſtianæ religionis, ſed Hiſpaniam ſub Nerone Chriſtianam
» factam eſſe non teſtatur.]

Hîc mirificè ludit doctor noſter inficialis, qui auctoritate negantis argumenti, quo peſſum abiit apud omnes, veritati larvam adducit. Sed hoc macilento flaccidoque ſcriptori condonandum, qui ubique fermè Operum ſuorum nihil poſitivum habens in penu, paſci cogitur negativis. Plures promiſcuè cecinit Prudentius lib. περὶ στεφανῶν, & in ultima Poeſi, in quibus non uſquequaque vicit amor patriæ, cùm plures inſignes, magnique nominis martyres Hiſpanos ſiluerit, & (præter Laurentium & Vincentium cum Romano, quos ſpeciali ſuâ apotheoſi celebres habet hactenus Roma) qui majorem ſuo nomini celebritatem dederint, quàm quos ſuis laudibus extulit. Stephanum & Agnetem, Cyprianum Carthaginienſem, Hippolytum & Caſſianum Italos ejus muſa coluit, & quoſdam alios nec indigenas nec advenas Hiſpaniæ, cæteros tacet; quos primario cultu celebrat Eccleſia; quorum tamen exiſtentiæ aut debitis honoribus quidquam detrahi videretur ex ſilentio Prudentii, ſi negativum Diſſertatoris argumentum certa nobis eſſet ratio veri veſtigandi, falſique deſtruendi.

At cùm nobis Prudentium objiciat, meminerit lector quàm verè ſupra causâ ceciderit, & quàm ſeriò dici poſſit, aut nuſquam à ſe lectum Prudentium, aut cordati viri ſpeciem vix exhibuiſſe. In Obſervatione ſexta, & ultima poſt Diſſert. ſecundam à ſe pro Severiani textus defenſione editam, pag. 206 edit. 1670 ſuis ipſe argumenti negativi præſtigiis deluſus, ut probet Prudentium nullos ante Marcum Aurelium martyres Gallicanos agnoviſſe, finxit eum quoſdam Gallicanos martyres ceciniſſe: ſic effatus, *Prudentius presbyter Hiſpanus dum in opere περὶ στεφανῶν, Gallicanos martyres canit*..... nullos in Gallia ante *Marci Aurelii tempus agnoſcunt*, Oroſius ſcilicet & Fortunatus cum Prudentio. Et tamen, crede lector, nullos umquam apud Prudentium Galliæ martyres celebratos leges. Spurius hic adverſarii fœtus, & ne fraudi ſuum deſit ſupercilium, ſic pergit
» ſtupendo prorſus commento. [Primus (Prudentius) circa an-
» num Chriſti 400 vixit: quo tempore martyrum ſanguis non-
» dum refrixerat, & eorum memoria diligenter notabatur à
» ſcriptoribus Chriſtianis, ſive ut excellenti laureatorum no-

ſtrorum militum patientiâ Judæorum ſupercilium frangere- «
tur, ſive ut efferatæ gentes ad Chriſtianam manſuetudinem «
adducerentur; ſive ut melioris vitæ ſpes in Chriſtianis ſu- «
perſtitibus corroboraretur.] «

Hæc ad mentem Launoii fuere motiva Prudentio & Oroſio, ut quiſque vel ſtrictâ oratione, vel ſolutâ martyres in Gallia paſſos ſub Marco Aurelio & ſequentibus celebrarent: qui cùm tacuerint quos ſub Nerone & aliis ad dictum Cæſarem uſque cæſos apud nos credimus; ſibi fortiſſimum ducit argumentum noſtræque litis decretorium nullos in Gallia fuiſſe martyres Severianâ epochâ priores. Sic autem de Oroſio, quem nobis affingit martyrum cædes ſub Aurelio recenſuiſſe, de anterioribus non meminiſſe: horum ſuppreſſione peſſum iri noſtras apoſtolicas origines, illorum recenſionem mirum eſſe Severi ſententiæ ſubſidium. *Secundus*, inquit, *circa annum* 430 *floruit* (Auguſtino tamen, qui eodem anno obiit, hiſtoriam ſuam jam dedicarat, & ab eo ad Hieronymum & in Orientem miſsus fuerat) *quo tempore nulla habuit Gallicanorum martyrum Acta, in quibus Marco Aurelio vetuſtiores continerentur. Cur enim rei memoratu digniſſimæ mentionem ſciens ac volens omiſiſſet*? Ergo nullorum in orbe martyrum Acta novit Oroſius, cùm ſit certiſſimum nullorum, exceptis Petro & Paulo, per tria patientis Eccleſiæ ſæcula, & 10 perſecutiones quas ſolertiſſimè expendit, & ad 10 Ægypti plagas reducit, meminiſse: nec martyrum etiam Lugdunenſium de quibus nominatim & abundè Euſebius: qui tamen ſi ad limam Diſsertatoris, & ad argumenti negantis ſcrupulos expendantur, nuſquam extitiſse, nec alios in Gallia Chriſtianos pugiles, ſive qui Aurelio præiverint, aut Diocletiano convixerint, fateri neceſsum erit, quòd de eis conſtanter ſiluerit Oroſius. Hîc aures arrige plebs criticorum credula, aut humi potius oculos defige, ne pudor tibi ſit quod nobis pudori: ſed fermè tædet iſta refricaſse.

De Fortunato, quem ibidem laudat, nihil fauſti ſibi colligit, ſed contra mentem, inſigne pro traditionibus noſtris ſuffragium, Regino pariter laudatus, mihi librorum inopiâ laboranti nunc non occurrit.

Hegeſippus Junior.

Auctor eſt librorum de excidio Jeroſolymitano, & certum

Digitized by Google

eſt non vixiſse ante tempora Conſtantini magni, ſed paulò poſt. In lib. 2 teſtatur ſtatim ab ipſo Chriſtianæ religionis exortu eam per omnes orbis Romani provincias excurriſse: *Ex quo cæpit congregatio Chriſtianorum, in omne hominum penetravit genus; nec ulla natio Romani orbis remanſit, quæ cultus ejus expers relinqueretur.* Hæc Severo contraria non putat Diſsertator, & cum æra perſecutionis Aurelianæ quæ 179 annum non excedit, poſse cohærere. Sed dum fatetur *dudum* ante illam, fuiſſe ſuſceptam Chriſti religionem Lugduni & Viennæ; ſic indefinitè loquutus non renuit, ut credamus ſuſceptam apud nos Chriſtianitatem, ſaltem ſub finem primi ſæculi, quo vota noſtra collimant. [In hac, inquit, perſecutione quæ ad annum 179 contigit, ingens facta eſt Lugduni & Viennæ Chriſtianorum ſtrages, quæ ſuſceptam *dudum* in iis civitatibus Galliæ celebrioribus religionem deſignat, &c.] Et frivolum illud ejus effugium, quo ſolitarius ludit, vim infert Hegeſippi ſententiæ.

Flavius Dexter.

Ne quis me huic theſi defeciſse putet, ſi plures auctores ævo Caroli magni anteriores, quos impenſius avet Diſsertator, non congeram; quidam volunt ut hîc ſe ſiſtat inter alios Dexter, de quo inter alia plurima, dicere ſufficiat quæ de eo Hieronymus in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Dexter, Paciani, de quo ſupra dixi, filius, clarus apud ſæculum, & Chriſti fidei deditus, fertur ad me omnimodam hiſtoriam texiſſe, quam necdum legi.* Fuit præfectus Prætorio, & eidem Hieronymus librum ſuum de Viris illuſtribus nuncupavit; cujus Dextri chronologicum opus ſuis Commentariis eidem aſseruit Franc. Bivarius Mantuanus, & Tamayo Hiſpanus. In ſuis igitur Chronicis bis Dexter meminit Mancii martyris Eborenſis in Luſitania, quem ſub Trajano martyrio functum aſserit. Mihi quædam eſt interpolationis ſuſpicio, quam Tamayo non advertit; ubi dicitur eum prius Catalauni in Gallia prædicaſse, quàm Eboræ extrema pro fide pateretur. Nec minus me remorantur quæ innuunt Mancium *Memmium* Chriſti diſcipulum fuiſse, & civem Romanum; & tamen ad annum Chriſti 106 ſuperſtitem fuiſſe. Verùm præſtat apud me Severo auctoritas Dextri, Hieronymi teſtimonio celebris. Ejus porrò ſunt hæc verba ad annum Chriſti 430: Eodem anno repertæ ſunt reliquiæ ſancti Memmii Mancii

Digitized by Google

Eborenſis in Luſitania pontificis, & primi illius apoſtoli, „
qui converſo prius populo Catalaunenſi in Gallia, poſtea in „
Hiſpanias trajiciens Eboræ prædicavit, ubi & martyrium paſ- „
ſus eſt. Fuit civis Romanus, & Chriſti diſcipulus, & ab anno „
36. Chriſti ad annum 106. in Gallia & Hiſpania prædicationi „
inſtitit, ac tandem ſub Trajano, ut dixi, pro Chriſti nomine „
paſſus eſt.] Eoſdem ei natales ſeu apotheoſin ſub Trajano aſſerunt „
Vaſæus in Chron. Hiſp. Baron. in martyr. Molanus, Tamayo & alii. Mancium de quo hîc 15 Maii, Memmium 5. Auguſti memorant Tabulæ Eccleſiaſticæ. Cæterùm differant inter ſe Mancius & Memmius, aut unus diverſa vocabula ſit ſortitus, perinde eſt chronologico noſtro dogmati, cùm uterque ſæculo primo ſit miſſus: & pro Mancio ægrè non ſtaret Diſſertator, qui primos illos apoſtolicos viros fere non admittit, niſi cæſos. *Dicimus*, inquit pag. 108, *admodum paucos eſſe confeſſores epiſcopos, quos habeat primum Chriſtianæ religionis ſæculum. Omnes aut certè penè omnes ad Eccleſiæ vulnera perveniebant &c.* Quæ jam inter momenta Saviniani cauſæ profutura conſcribimus. Eadem ferme ſcribit ibidem Dexter de Dionyſio Athenienſi, quem Lutetiæ paſſum aſſerit.

Innocentius Papa I.

Hujus pontificis auctoritatem ſibi objicit Diſſertator §. 30. & ultimo ſecundæ Diſſert. & cap. 2. ſuæ Diſpunctionis contra D. de Marca eam ſibi aptat ut leſbiam regulam. Verba ſunt Innocentii: *Quis enim neſciat aut non advertat id quod à principe apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum: præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.* Hæc ad Decentium Eugubinum. Ut excluderet Diſſertator ab apoſtolatu Gallorum Philippum & Lucam, neceſſarium ſibi duxit textum hunc Innocentii, tunc forſan ignarus, aut imprudens quantùm ex eo votis noſtris accederet, qui in Petrum ipſum Gallorum converſionis primas refundimus, ut vires minuat quibus atteritur, pauca reſpondet & perfunctoriè.

Digitized by Google

Primò quod *pontifex non ſcribat abſolute Petrum quoſdam in ulteriori Gallia conſtituiſſe ſacerdotes*, quod evinci putat ex illa particula, *aut*, quàm hîc disjunctivam opinatur, non copulativam. Genuinus tamen hujus litteræ ſenſus, qui machinas Diſſertatoris evertat, nec critices tormina patiatur, is eſt, ut Petrus quoſdam per ſe, ſuique ſucceſſores, alios verbi divini præcones per orbis provincias emiſerint; & eos particula, *aut*, hîc copulat, non disjungit. Non potuit officio ſuo deeſſe Petrus quem totius orbis ſalus inſigniter ſpectabat, aut deſidem agere in nobiliſſima totius imperii Romani ditione, qui ſciebat collegas ſuos ad remotiſſimas orbis partes vix uſibus humanis aut moribus aptas pervolaſſe. Eadem præſtitit per ſe & per ſuos in vicinioribus Italiæ plagis princeps ille apoſtoli ſenatus & mundi rector, nec alium patitur ſenſum phraſis Innocentii, niſi cavillis cuncta ſubjicias. Aliò proinde ſe flectit Diſſertator, & [illegible]

Secundò dicit in rebus hiſtoricis præſtare fidem Severi ut vicinioris: *Cùm Severus æqualis ſit Innocentio, & in Gallia degens, rebus hiſtoricis Galliæ Severo magis quàm Innocentio, qui etiam & aliud agit, credendum eſt.* Quò te præcipitem agis infœlix aſtutia? Apoſtolica illa Petri miſſio nonne tam Romæ vicina cùm decreta fuit, quàm Galliis & Senonis V. G. cùm admiſſa fuit? Quis in rebus propagandæ fidei & quarum Roma ſemper clavum tenuit & originales ſchedas, inſtrumenta, aut documenta ſervare potuit, eruditior fuit, ipſe ſummus pontifex Romæ degens, & rebus ſibi propriis ſedulus incumbens, an Severus qui pauca dixit, cœcutiit ad plurima, & fœde prolapſus eſt? Iſtud à vicinitate locorum deductum argumentum (quod unus eſt de locis communibus Diſſertatoris) cùm res de quibus ſcribitur ducentis aut circiter annis diuque ante ſcriptorum ætatem evenerunt, merum eſt critices delirium, nec magis evincit quàm ſi dicerem ipſa primæ ſedis negotia & aulæ mæandros non magis patere regibus & eorum adminiſtris longius ab ea diſſitis, quàm Romanorum pluribus, quibus ipſis etiam apoſtolici palatii valvis adjacentibus, *nullus ad ſacramentum regis patet* aditus. Hæc mera ſunt Diſſertatoris effugia, pro quibus iterum multandus venit epiphonemate ſuo §. 9. primæ ſuæ Diſſert. *occupatus partium ſtudiis mentis ludibria ſuſtentat, ut poteſt.*

Ex hoc allato Innocentii teſtimonio arguet aliquis vanam

Digitized by Google

igitur eſſe fidem credentium Philippum & Lucam non ſolum Gallis ſed etiam Britannis prædicaviſſe ? Certè conſtat Romæ Paulum Chriſto peroraſſe cùm privatis tùm publicis concionibus ; & pauci ſunt inter Chriſtianos doctores, qui negent eum in Hiſpanias profectum eſſe, ſicut ipſe promiſerat : nec illud potuit Innocentius ignoraſſe, qui proinde ſicut Paulum non excludit à miniſterio verbi in occiduis & Tranſalpinis partibus; nec alios ejuſdem primarii cœtus apoſtolici, ſi qui certò numerentur inter nos, pari ſorte privabit : ſed ſupponit pontifex citatus neminem eorum, niſi Petro probante, illud attentaſſe. Quo unico axiomate tota ruit moles Launoianæ Diſſertationis.

Sanctus Epiphanius, Euſebius Cæſarien. &c. Theodoretus.

Primas Epiphanio damus, ſanctitatis inſigne, non leges Chronologiæ hîc ſequuti. Ejus auctoritatem objicit ſibi Diſſertator ex epiſtola D. de Marca illuſt. Pariſiorum antiſtitis, cap. 4. ſuo Diſpunctionis contra dictam epiſt. [Ejus rei te-
ſtis ipſe Paulus 2. Timoth. cap. 4. qui miſſum docet Creſ- «
centem in Galliam. Certum quidem eſt variam fuiſſe hu- «
jus loci Paulini lectionem, etiam apud veteres. Etenim «
Chryſoſt. & Theodoretus apud Græcos, vulgatus interpres «
& Ambroſiaſter apud Latinos legerunt *Galatiam*, non au- «
tem Galliam. Sed vetuſtioris & verioris lectionis vindicem «
habemus Epiphanium, qui conſtanter ſcribit in Hæreſi 51, «
eos errare, qui hoc loco Pauli Galatiam legunt, cùm «
ſcribendum doceat *Galliam* : οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαλλίᾳ] Sibi conſentit Epiphanius loquens de regionibus ad Chriſtum à Luca converſis, Dalmatia ſcilicet, Italia, Macedonia, quibus Galliam accenſet, & eam præ cæteris Lucæ ſpecialem fuiſſe nos docet, ἐν Δαλματίᾳ, καὶ ἐν Γαλλίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Μακεδονίᾳ, ἀρχὴ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. Quid porrò cauſæ fuit Epiphanio, qui vir Græcus erat, probus juxta ac eruditus, erroris alios arguere, qui pro *Gallia*, *Galatiam* induxerant in textum Paulinum, niſi certa ſibi fuiſſet Lucæ profectio in Galliam, & ejus ibidem prædicatio? Nùm Galatis Aſianis offenſus erat vir ſincerè Chriſtianus, ut eis invideret eam inter cæteras religionis dotem à celeberrimo evan-

geliſta, quæ fidei & ſalutis erant, edoctos fuiſſe ? Aut ſi putavit Epiphanius (quod eſt Diſſertatoris commentum) Galatiam & Galliam eſſe ſynonyma, ut mox videbimus, cur priorem vocem delendam voluit, ſi ſibi certò conſtitit de Galatis Orientalibus eſſe ſenſum Pauli ? Inepta prorſus tanto doctore cenſura.

Scio de Philippo, Luca, Creſcente, ut in Galliam fidei causâ profectis, tractum hactenus fuiſſe contentioſum funem ; nec alibi magis quàm hîc luxuriatur partium eruditio. Si non alia ſuppeterent noſtræ theſi momenta contra Severi pericopen, quæ ſola Saviniano creditur exitialis, ſtarem ſine diſpendio veritatis à partibus dicentium tres illos lectiſſimos fidei præcones ſacris noſtris Gallicanis natalitiis obſtetricias manus dediſſe, qui certe cùm auctoritate tùm numero præſtant : ſed ne ſim prolixior ; nec ſit inutili contentioni locus, his ſuperſedeo ; ſolos eos auctores proferens, quos niſi male ſibi conſcius criticus aliquis aggreditur.

Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. 4. τὸ γαλλίας in Pauli epiſtola agnoſcit : Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας &c. Nec dubitandum doctiſſimum virum tanta librorum ſuppellectile clarum in codicem ſuſpectæ fidei incidiſſe, aut ſuorum diſpendio Gallis faviſſe. Si conjectare liceat, Paulo peregrinum non fuit in Gallias diſcipulos emiſiſſe, cui cordi erat Hiſpanias etiam inviſere ; quibus ſi præſens affuit (quod negare non potuit Severus aut inficiari citrà temerarios auſus) quid remoræ fuit ne Gallis ſibi obviis Chriſtianum lumen affunderet. Iſthæc curſim in gratiam Euſebii qui paulo præter litteram, miſſum ab apoſtolo Creſcentem in Gallias ſcribit eo loci, cui impune non fuit apud Diſſertatorem : eo quod Paulus tantùm dicit ab iiſſe Creſcentem in Galatiam ; non autem ſe eum miſiſſe : ſed hîc macescit jejuna critica Launoii.

Nobis item favet (& integrâ textui Paulino reverentiâ) Theodoretus in eumdem Apoſtoli locum de Creſcente, qui Γαλατίαν retinendum putat, ſed ea nomenclatione Galliam deſignari : *Creſcens in Galatiam ; Gallias ſic appellavit. Ita enim appellabantur antiquitus. Ita etiam nunc eas nominant qui ſunt externæ doctrinæ participes.* Ad quæ verba hujus planè litis deciſiva, & quæ Tridentino decreto de præferenda editione vulgata, ſuam

ſuam auctoritatem ; & Gallis ſuum Creſcentem aſſerunt, hæc habet Diſſertator ſui minus quàm veri ſtudioſus cap. 5. ſuæ Diſpunctionis : *In his verbis Theodoretus dicit tria. Primùm Paulus Gallias appellat Galatiam : deinde Galliæ antiquitus nominabantur Galatia : poſtremò & Gentiles & Chriſtiani ſcriptores Gallias nominant Galatiam, quo tempore Theodoretus vivit.* In conſequentibus ejuſdem cap. 5. ne fieret de nomine æquivocatio ; qui ſint illi veri Galatæ (noſtri ſcilicet Galli, qui nunc Franci) refert ex Polybio. [Polybius ſcriptor antiquiſſimus qui Brenni & ejus « militum expeditiones, pugnas, clades, victorias, ſucceſſus « varios deſcribit, illos nunc Κελτὺς, nunc Galatas vocat in lib. « 5, 8, 9, 10, 11, 12, 15 & 17. Hiſtoriæ, & in hoc lib. 17. « Γαλατίαν ſemel atque iterum dicit, ſic nationis nomen eſt « *Galatia* ; populorum verò *Galatæ*, *Celtæ* ; id ex Polybio & « Diodoro conſtat] Qui Galatæ ſeu Celtæ de Orientalibus « ſeu Aſiaticis neutiquam ſunt intelligendi ; licet *Galatarum* vocabulum utrubique Gallis Occidentalibus & Orientalibus fuerit commune, ipſo monente Theodoreto cap. 9. Hiſt. religioſæ: Γαλάτας *audimus eos qui in Europa ſunt Occidentales ; & eos qui ſunt in Aſia ab illis oriundos, qui ad pontum Euxinum ſedes fixerunt.* Quibus occinit egregiè Diſſertator eodem cap 5. [Sciendum eſt fuiſſe qui *Galatas* verterunt *Gallos*. Sic au- « ctore Theodoreto, *& magiſtrâ veritate* Occidentales ſunt alii « Galatæ vel Galli, Orientales alii Galatæ vel Galli, quorum « hi ab illis ortum habuerunt.] «

Mox monui vero magis quàm ſibi Diſſertatorem ſtuduiſſe, cùm plura id genus convaſavit auctorum teſtimonia, quâ ſe ſe prorupit eruditio viri : ſed ſeriùs advertit ſe ſenſum Pauli ex Theodoreto Gallis propitium mirè ſtatuiſſe, ut jam Gallicanæ Traditioni prorſùs ἀδιάφορον ſeu indifferens ſit, num germana Pauli lectio *Creſcens abiit in Galliam*, an alia *Creſcens abiit in Galatiam ?* Cùm conſtet ex Theodoreto Galliam ſeu Galatiam Occidentalem à Paulo notari : quo unico commentario, qui mihi prorſus arridet, abeunt in auras & fumos quæ Diſſertator anxiè revolvit, & fugit in Morboniam immenſus ille ſcribendi cachoëtes ut ſuprà monebam Nec refragari poteſt, niſi ſe ſibi abjudicet, & à ſe deflectat; nam cordatè ſcripſit §. 17. ſecundæ Diſſertationis, ubi citatum de Creſcente Theodoreti locum expendit : *Hic fatemur Theodoretum fuiſſe perſuaſum Gala-*

Digitized by Google

tia nomine Gallias intelligi. Sed quid perſuaſus fuerit Creſcentem abiiſſe potius in Tranſalpinam, quàm in Ciſalpinam Galliam, non colligitur. Ergo ſtabit ex Theodoreto, quem *doctiſſimum* nominat Bellarminus, Paulum ſpectaſſe Galatas Occidentales ſeu Gallos noſtros.

Sed quaſi puduiſſet Diſſertatorem ſic ſincerè veritati litaviſſe, capite quintò ſuæ Diſpunctionis pugnam refricat glorioſius perimendus: poſtquam interim adverteris lubricam viri mentem, nec niſi ægrè veri tenacem. Sic enim: *Cùm Theodoretus Gallias dicit ſimpliciter* (ut in ſuperiori expoſitione textûs Paulini) *nec Occidentales adjicit, ſuas eaſque Orientales Gallias ſignificat.* Quod firmatum putat ſubjectis à ſe Sozomeni & Baſilii teſtimoniis, in quibus de *Galatis Occidentalibus* eſt mentio; nihil tamen nos lædentibus, qui ex ſuperioribus ultrò fatemur diſcrimen illud Orientales inter & Occidentales Galatas neotericam non fuiſſe tunc ætatis nuncupationem. Et par fuit utriuſque gentis appellatio, uti nos ipſe docet Diſſertator iterum citandus ex cap. 5. Diſpunct. *Sic auctore Theodoreto & magiſtra veritate, Occidentales ſunt alii Galatæ vel Galli; Orientales alii Galatæ vel Galli, quorum hi ab illis ortum habuerunt.* Sed ad Theodoreti verba veniamus.

Creſcens in Galatiam. Gallias ſic appellavit, ita enim appellabantur antiquitus. Ita etiam nunc eas nominant qui ſunt externæ doctrinæ participes. Quid cauſæ, mi Launoi, habuit Theodoretus, ut in hujus Paulini contextûs expoſitione ly *Gallias* aſſumeret, oſtenſurus Paulum verè Galatiam ſpectaſſe; cùm diſertè fateatur in textu Pauli Γαλατίαν ſcriptum eſſe? Obſcurum, ut aiunt, per obſcurius expoſuiſſet; & præ me fero neminem reperiri qui ſapere velit ad ſobrietatem, qui commentario Theodoreti alium poſſit aptare ſenſum, niſi quod Theodoretus ad eam intenderit Galliam, quæ à vera Galatia ſeu Aſiatica diſtinguitur. Præterea ſatis innuit Theodoretus eam ſe ſpectare Galatiam ſeu Galliam noſtram, quam ait ab ethnicis auctoribus Galatiæ nomine donatam fuiſſe: quos inter agnoſcit Diſſertator pag. 52. ſuæ Diſpunctionis, Livium, Florum, Juſtinum; quibus alios accenſuit, & de quibus abundè ſupra, qui de noſtris Galatis Occidentalibus diſertè loquuntur. *A Græcis*, inquit Strabo lib. 4. geograph. *nomen Celtarum univerſis Galatis ſeu Gallis inditum ob gentis claritudinem.* At Galatas Aſianos, Celtas nuncupatos fuiſſe, nuſquam legeris. Ammianus lib. 4. *Celtas nomine regis*

Digitized by Google

amabilis, & matris ejus vocabulo Galatos dictos ; ita & Gallos ſermo Græcus appellat. Philoſtratus lib. 2. in Phavorino : ἦν μὲν τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν οὗτος Ἀρελάτου πόλεως ἣ ἐπὶ Ῥοδανῷ ᾤκισται : *erat ex Galatia Occidentis, urbis Arelatenſis quæ ad Rhodanum jacet.* Philoſtorgius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. δυσέμβολα δὲ χώρια πάντα, καὶ δυσπρόσοδα, τῆς δὲ Γαλατίας οἱ νῦν Γαλλίας ἐπονομάζουσι. *Acceſſu difficilia loca, quas olim Galatias, nunc verò Gallias nominant.* De illis Galatiis loquitur *in quibus ſunt quæ vocantur Alpes*, in quibus Conſtantius Conſtantini Magni pater imperator renuntiatus eſt. Idem Strabo & eodem lib. 4, & alibi, inquit Diſsertator [Polybium, quem laudat, ſecutus antiqua Galatarum & Celtarum nomina retinet : *De quibus*, inquit, *Aquitani à cæterorum planè differentes non linguâ modò, ſed & corporibus ; Hiſpanis quam* Γαλάταις *ſimiliores*] Juliano Cæſari in epiſt. jam citata ad S. P. Q. Athenienſem idem ſunt *Galliæ* & *Galatiæ* & *Celtæ. Ubi ne paſcendi quidem poteſtas Gallis* τοῖς Κελτοῖς *fieret.* Et infra. *His ergo calamitatibus vexatam & afflictam nactus Galliam* τὴν Γαλατίαν. Et infra. *Alter poſt hæc annus ſucceſſit & tertius, cùm è Galliis pulſi omnes Barbari* πάντες μὲν ἀπελήλαντο τῆς Γαλατίας οἱ βάρβαροι, Et infra. *Quidquid roboris erat, è Galliis* τῆς Γαγατίας, *ſine ullo diſcrimine deportari juſſit.* Iſta quæ non procul ab ætate Theodoreti, ut quæ ſuperius, à primo æræ Chriſtianæ ſæculo, liquidò demonſtrant tunc dierum nondum à Galliis noſtris Galatiæ nomen diſcretum fuiſſe apud auctores, inquit Theodoretus, *qui ſunt externa doctrinæ participes ;* quos cum alleget, ut ſui ſenſus obſides, pro explicatione illius Paulinæ pericopes: *Creſcens abiit in Galatiam*, nullus ambigendi locus quin noſtrates Gallias intenderit. Et leve illud eſt à Diſſert. objectum, non aliter Paulum ſumpſiſſe Galatiam, ac Galatas ad quos ſcripſit : potuit enim ad Galatas Aſianos ſcribere, & Creſcens apud Occidentales prædicare. Certum eſt ex ipſa Pauli peregrinatione viros illos apoſtolicos ad plures orbis plagas excurriſſe, nec uni Genti ſtetiſſe.

Hæc omnia quæ diximus, ſolâ rei veritate inſpectâ, quæ certò adverſarium non latuit ; videntur ab ejus animo pertinaciæ labem abſterſiſſe. Siquidem dum ſibi ſolitis ambagibus luſit, ad ea ſemper revertitur, quæ nec nobis niſi perfunctoriè contradicant, nec infenſum uſquequaque Sulpitium Severum ha-

beant, cùm dicit ab omnia ferme ſibi objecta quibus prædicatio Gallicana per primos Chriſti diſcipulos ſtabilitur, incertum eſſe num de Ciſalpina aut de Tranſalpina Gallia ſit ſermo. De Theodoreto jam vidimus, cum quo ſic tandem convenit §. 17. Diſſert. 2. *Fatemur Theodoretum fuiſſe perſuaſum Galatiæ nomine Gallias intelligi; ſed quod perſuaſus fuerit Creſcentem abiiſſe potius in Traſalpinam quàm in Ciſalpinam Galliam, non colligitur.* De Epiphanio ibidem: *Præterea bona ſit Epiphanii correctio; qua ratione probabit ab illo Tranſalpinam potius quàm Ciſalpinam intelligi Galliam?* De epiſt. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua reperiuntur hæc verba, Severo ſatis incommoda: *Aliquot verò ad Gallias Hiſpaniaſque mittemus*; & contra quæ debili marte Diſſertator inſurgit: *Præterea tametſi daremus Galliarum nomen πληθυντικῶς tunc in uſu fuiſſe, quis eidem perſuaſit memoratas ibi Gallias eſſe tùm demum eas quæ trans Alpes, non quæ cis conſtitutæ ſunt?* Diſſert. 2. §. 19. De Tertulliano ſibi pariter infenſo, ſic §. 28. *Denique cùm Tertullianus ait Chriſto diverſas Galliarum nationes credidiſſe, Galliarum nomine non minus Ciſalpinam quàm Tranſalpinam Galliam intelligit.* Reliquam hujus lemmatis recenſionem non proſequor, ne ſim nimius; & allata ſufficiunt, ut cuivis palam fiat quàm leviter animo Diſſertatoris inſederint exotica illa ſuæ chronologiæ vota, nihil certi colligere valentis ex citatis tot auctorum teſtimoniis noſtram *Galliam* ubique conclamantibus: quam ſi utramque admiſeris ab illis intentam fuiſſe ſcriptoribus, nihil fauſti Severo accedet, aut nobis nocebit, quibus ingratum non eſt Ciſalpinam Galliam cum Tranſalpina eodem tempore Chriſto credidiſſe. Hìnc ſuperflua videretur noſtra reſponſio ſeu ſolutio ad ea quæ Diſſertator reponit contra textus allatos Epiphanii & Euſebii, quos certè nec cæſim nec punctim impetit, ſed levi velitatione, & per locos communes tantùm perfunctus, in eam ſtatim recidit diſtinctionem de Gallia Ciſalpina & Tranſalpina, cui non ægrè ſubſcribimus. Quod enim ait corruptos fuiſſe codices Epiphanii & Euſebii, frivolum eſt nec Launoii minervâ dignum. Ut gratis aſſeritur, ſic ſeriò rejicitur. De Epiphanio dici nequit, qui cùm quoſdam ſecus ſentientes reprehenderit; noluiſset vir optimè probus dicam erroris impingere cuivis ad fidem unius codicis, niſi plures ſui ſenſus obſides habuiſset ad manus. Præterea ſciebat, ut apprimè doctus, non inſolens eſſe apud ſcriptores Galliam noſtram per Galatiam nonnumquam

deſignari, ut pluribus ſuprà; nec fraudatum iri ſenſum Apoſtoli, qui Gallos Occidentales reſpiciebat, quamvis Γαλατίαν ſcripſiſſet: ſed videns quoſdam è Græcis Paulinam periodum ad Galatas Orientales deflectere (quos nullibi leges Gallos fuiſſe dictos) ſtandum eſſe voluit Epiphanius melioris notæ codicibus, & à novitate tutam eſſe litteram ſenſumque Pauli.

Levius eſt (quin potius ad jocum accedit) quod ſic à Diſſertatore ſcribitur, non uno in loco, de vicinitate locorum; & hic contra Epiphanium 2 Diſſert. §. 17: *In ſumma quamvis Epiphanium opponi Severo concederemus, Severi tamen auctoritas præpolleret . . . . . quia Severus cùm Gallus eſſet, atque Epiphanio æqualis, eo qui Cyprius erat, longè melius callebat Gallicanas traditiones* Huic cavillationi modò fecimus ſatis, cùm Innocentii textum expendimus. Si Severus Sulpitius peregrinanti Lucæ aut Creſcenti ſe comitem individuum adjunxiſſet, præſtaret, ſi Cælites faxint, argumentum à vicinitate loci vel temporis petitum. Tam diſtat loco & ætate à duobus illis apoſtolicis viris Sulpitius, quàm Epiphanius; ambo ſynchroni; Cyprius unus, alter Gallus. Trecentis plus minus annis Luca & Creſcente poſteriores ſunt: quorum geſta recenſere, aut eorum ſaltem meminiſſe numquam forſan Severo venit in mentem. At de utroque diſertè ſcripſit Epiphanius, & quæ noſtra ſunt, fortiter aſſeruit. Num codices habere non potuit hujus veritatis indices, quibus forſan caruit Severus, qui de utriſque ſiluit; aut ſi præſto ſibi fuere, cur tacuit dogma controverſum, & ſcriptorum ſuorum calculo non firmavit? Num Epiphanio doctiſſimo viro ad manum etiam non fuiſsent, quorum ope, ſi in illis Lucas & Creſcens à Gallorum noſtrorum contubernio procul fuiſsent, nec illorum miniſterio converſa Gallia; illud certè non tacuiſset vir ſanctiſſimus & veritatis amicus. Si vel minima de ſenſu Pauli dubitatio ſibi ſuccurriſset, viciſset dubio procul amor patriæ, nec viros apoſtolis pares indulſiſset Gallis, nec præcipiti calami motu, ſed ſecundis animi curis, ut ſupra viſum eſt.

Euſebianam lectionem non minus perperam torſit Diſſertator, quæ talis hactenus fuit, etiam apud clariſsimum virum Henricum Valeſium: Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας &c. nec eam Chriſtophorſonus à textu rejiciendam voluit: quam-

Digitized by Google

beant, cùm dicit ab omnia ferme ſibi objecta quibus prædicatio Gallicana per primos Chriſti diſcipulos ſtabilitur, incertum eſſe num de Ciſalpina aut de Tranſalpina Gallia ſit ſermo. De Theodoreto jam vidimus, cum quo ſic tandem convenit §. 17. Diſſert. 2. *Fatemur Theodoretum fuiſſe perſuaſum Galatiæ nomine Gallias intelligi ; ſed quod perſuaſus fuerit Creſcentem abiiſſe potius in Traſalpinam quàm in Ciſalpinam Galliam, non colligitur.* De Epiphanio ibidem : *Præterea bona ſit Epiphanii correctio ; qua ratione probabit ab illo Tranſalpinam potius quàm Ciſalpinam intelligi Galliam ?* De epiſt. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua reperiuntur hæc verba, Severo ſatis incommoda: *Aliquot verò ad Gallias Hiſpaniaſque mittemus* ; & contra quæ debili marte Diſſertator inſurgit : *Præterea tametſi daremus Galliarum nomen πληθυντικῶς tunc in uſu fuiſſe, quis eidem perſuaſit memoratas ibi Gallias eſſe tùm demum eas quæ trans Alpes, non quæ cis conſtitutæ ſunt ?* Diſſert. 2. §. 19. De Tertulliano ſibi pariter infenſo, ſic §. 28. *Denique cùm Tertullianus ait Chriſto diverſas Galliarum nationes credidiſſe, Galliarum nomine non minus Ciſalpinam quàm Tranſalpinam Galliam intelligit.* Reliquam hujus lemmatis recenſionem non proſequor, ne ſim nimius ; & allata ſufficiunt, ut cuivis palam fiat quàm leviter animo Diſſertatoris inſederint exotica illa ſuæ chronologiæ vota, nihil certi colligere valentis ex citatis tot auctorum teſtimoniis noſtram *Galliam* ubique conclamantibus : quam ſi utramque admiſeris ab illis intentam fuiſſe ſcriptoribus, nihil fauſti Severo accedet, aut nobis nocebit, quibus ingratum non eſt Ciſalpinam Galliam cum Tranſalpina eodem tempore Chriſto credidiſſe. Hînc ſuperflua videretur noſtra reſponſio ſeu ſolutio ad ea quæ Diſſertator reponit contra textus allatos Epiphanii & Euſebii, quos certè nec cæſim nec punctim impetit, ſed levi velitatione, & per locos communes tantùm perfunctus, in eam ſtatim recidit diſtinctionem de Gallia Ciſalpina & Tranſalpina, cui non ægrè ſubſcribimus. Quod enim ait corruptos fuiſſe codices Epiphanii & Euſebii, frivolum eſt nec Launoii minervâ dignum. Ut gratis aſſeritur, ſic ſeriò rejicitur. De Epiphanio dici nequit, qui cùm quoſdam ſecus ſentientes reprehenderit ; noluiſset vir optimè probus dicam erroris impingere cuivis ad fidem unius codicis, niſi plures ſui ſenſus obſides habuiſset ad manus. Præterea ſciebat, ut apprimè doctus, non inſolens eſſe apud ſcriptores Galliam noſtram per Galatiam nonnumquam

Digitized by Google

deſignari, ut pluribus ſuprà; nec fraudatum iri ſenſum Apoſtoli, qui Gallos Occidentales reſpiciebat, quamvis Γαλατίαν ſcripſiſſet: ſed videns quoſdam è Græcis Paulinam periodum ad Galatas Orientales deflectere (quos nullibi leges Gallos fuiſſe dictos) ſtandum eſſe voluit Epiphanius melioris notæ codicibus, & à novitate tutam eſſe litteram ſenſumque Pauli.

Levius eſt (quin potius ad jocum accedit) quod ſic à Diſſertatore ſcribitur, non uno in loco, de vicinitate locorum; & hîc contra Epiphanium 2. Diſſert. §. 17: *In ſumma quamvis Epiphanium opponi Severo concederemus, Severi tamen auctoritas prepolleret . . . . . quia Severus cum Gallus eſſet, atque Epiphanio æqualis, eo qui Cyprius erat, longè melius callebat Gallicanas traditiones* Huic cavillationi modò fecimus ſatis, cùm Innocentii textum expendimus. Si Severus Sulpitius peregrinanti Lucæ aut Creſcenti ſe comitem individuum adjunxiſſet, præſtaret, ſi Cælites faxint, argumentum à vicinitate loci vel temporis petitum. Tam diſtat loco & ætate à duobus illis apoſtolicis viris Sulpitius, quàm Epiphanius; ambo ſynchroni; Cyprius unus, alter Gallus. Trecentis plus minus annis Luca & Creſcente poſteriores ſunt: quorum geſta recenſere, aut eorum ſaltem meminiſſe numquam forſan Severo venit in mentem. At de utroque disertè ſcripſit Epiphanius, & quæ noſtra ſunt, fortiter aſſeruit. Num codices habere non potuit hujus veritatis indices, quibus forſan caruit Severus, qui de utriſque ſiluit; aut ſi præſto ſibi fuere, cur tacuit dogma controverſum, & ſcriptorum ſuorum calculo non firmavit? Num Epiphanio doctiſſimo viro ad manum etiam non fuiſsent, quorum ope, ſi in illis Lucas & Creſcens à Gallorum noſtrorum contubernio procul fuiſsent, nec illorum miniſterio converſa Gallia; illud certè non tacuiſset vir ſanctiſſimus & veritatis amicus. Si vel minima de ſenſu Pauli dubitatio ſibi ſuccurriſset, viciſset dubio procul amor patriæ, nec viros apoſtolis pares indulſiſset Gallis, nec præcipiti calami motu, ſed ſecundis animi curis, ut ſupra viſum eſt.

Euſebianam lectionem non minus perperam torſit Diſſertator, quæ talis hactenus fuit, etiam apud clariſsimum virum Henricum Valeſium: Κρίσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας &c. nec eam Chriſtophorſonus à textu rejiciendam voluit: quam-

Digitized by Google

vis in margine ſecus ſenſerit, non ex fide codicum MS, (de quibus conſtanter ſilet in præfatione, & alibi,quod tamen monendum fuiſset) ſed ex libro typis regiis exarato. Ex quo erroris iterum accerſendus Diſsertator, qui ſcribit pag. 101 ſecundæ Diſsert. uſum fuiſse MSS Chriſtophorſonum, qui nullius meminit. Hæc & centum alia tam aſtutæ mentis aſserta, de quibus toties conqueſti ſumus, non ſinunt ut vix quidquam ſcriptori concedatur, etiam jurato, apud quem candor animi nonnumquam nobis eſt in votis. Non negarim quòd periclitanti cauſæ vix aliter ſubvenire potuit. Sed quæ tandem victoria, quæ tanti emitur & pudoris diſpendio: aut quî veritati ſuccurritur ope ſophiſmatis? Sibi melius erat cùm D. de Marca reſpondens, ingenuè fatetur: [*Sunt quidam MSS codices Euſebii & Ruffini quos ego vidi & alii viderunt, in quibus Creſcens ad Gallias profectus legitur.* Nec eorum auctoritatem elevat Diſſertator, qui ſcriptos ait poſt tempora Ludovici pii: quamvis enim illud, gratis dictum, concederemus, quis jurè dicere poſſit ad fidem autographorum exaratos non fuiſſe, aut optimæ notæ exemplaria Euſebio defuiſſe, cui varia & exquiſitiſſima librorum ſuppellex quâ pretio, quâ dono ſemper cordi fuit?

Hieronymus.

Ordine ſuo recenſendus venit illuſtriſſimus Eccleſiæ Doctor contra Diſſertatorem & ſequaces, qui putant, ut vidimus; nullibi Galliarum receptam fuiſſe Chriſti religionem ante Marci Aurelii, & etiam Decii tempora; niſi in ea ampliſſimæ nationis parte, quæ Lugduni & Viennæ ſibi contiguis finibus clauditur: non ſolùm dum ſcribit in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſt. Creſcentem Pauli diſcipulum in Galliis prædicaſſe: *Creſcens in Galliis prædicavit Evangelium, & illic ſepultus eſt*: ſi tamen verum ſit, quod non opinor, locum hunc eſſe Hieronymi, quin potiùs ſuppoſititium ex induſtria Græcorum, ut innuit in margine recens editio 1643: ſed quem auctorem agnoſcat, Paulino textui ſuffragatur de adventu Creſcentis in Gallias: non hînc, inquam, ſolùm opem Hieronymi demonſtramus pro vera miſſionum apoſtolicarum apud nos ætate contra Severi deliria: ſed quòd in epiſt. 29 ad Theodorum laudet Irenæum Lugdunenſem epiſcopum iſta diſertis verbis referentem: [Quod Marcus quidam de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe

deſcendens, primùm ad Gallias venerit, & eas partes per « quas Rhodanus & Garumna fluunt, ſuâ doctrinâ maculave- « rit, maximéque nobiles fœminas, quædam in occulto myſte- « ſteria repromittens, hoc errore ſeduxerit, magicis artibus, « & ſecreta corporum voluptate amorem ſui concilians; inde « Pyrenæum tranſiens Hiſpanias occupavit, &c.] Hæc ex Ire- « næo verus Hieronymus. Scribebat prior altero Chriſti ſæculo, Aquitanos cæteraſque Galliarum gentes, quas alluit Garumna, diu Chriſto nomen ante dediſſe, quàm Marcus ille Baſilidis diſcipulus eas inficeret, ratio non anxiè quæſita perſuadet. Senſim fides enaſcitur, radices altius figit in ſcrobibus & ſubterraneis cryptis, nondum idonea pugnæ, nec matura victoriæ, priuſquam iis adoleſcat incrementis, quibus hæreticorum moveat invidiam & furorem. Jam cædium tempora præceſſerant, & intepuerant odia gentilium, quibus ſævientibus vix hæreſis auſa eſt debacchari; quin etiam Chriſtiani nominis ambiebat inſignia, nec minus ſibi cavebat à furore paganornm. Quæ ſingula ſi ritè & ad amuſſim cordati viri expendantur, vix unius ſæculi ſpatium ſuffecerit; ſed eſto, mediam illius partem detrahe, vix aberis à primo æræ Chriſtianæ centenario; ut vera ſint quæ Irenæus & Hieronymus ſcribunt de ſuſcepta Dei religione apud Tranſalpinos, Aquitanos cæteroſque Garumnæ conterminos: aut adverſarius fateatur Irenæum& Hieronymum ſanctitatis & doctrinæ famâ celeberrimos pejeraſſe, ne Severus ſuus delirus audiat aut ignarus. Textum hunc & quæſitæ rei verum momentum diſſimulavit Diſſertator, ne ad hanc lucem ipſum puderet toties ſcripſiſſe nullas in tota Gallia civitates, dum viveret Irenæus, Chriſtum agnoviſſe præter Viennam & Lugdunum, ut tibi, lector, non ſine ſtupore ſuprà retulimus. Si potiùs Irenæo, quàm fabulis, quibus ſcatet, ſtuduiſſet Severus: ſi Hieronymo ſuperiora ſcribenti, quàm Guiberto & Cano peregrina dictantibus, impenſiùs intendiſſet Diſſertator; neuter aberraſset à veri tramite, & neotericum illud ſuæ chronologiæ dogma exularet in finibus Morboniæ.

Paulus Oroſius.

Nullibi magis mihi ſtuporem incuſſit Diſsertator, qui tamen pene in omnibus ſingularis audit, quàm dum nomen &

auctoritatem Severo ſuo ambire tentat Pauli Oroſii depreſſione; cui tamen ſanctus Auguſtinus ad Hieronymum ſcribens, Gelaſius Papa in Concilio Romano, & 70 epiſcopi cum eo ſedentes, his verbis gratulati ſunt: *Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valdè neceſſaria adversùs paganorum calumnias ordinavit, mirâque brevitate contexuit.* Si Severo, cui doctorum cenſura notam inuſſit, par laudum cumulus obtigiſſet, tota peſſum iret fides miſſionum, & quàm immodico geſtiret gaudio turba criticorum? Aut ſi ſcripſiſſet Severus quæ mox referimus Oroſii verba; pacificos natales haberet Gallia Chriſtiana, ejus encænia curaſſet Petrus, & ſe Diſſertator ſacri hujus natalitii vadem dediſſet. Suo igitur inſignis apice Paulus Oroſius, & ab eruditis omnibus ritè commendatus, tamdiu præſtabit Severo (quantùm ad calami dotes) quamdiu fuco veritas prævalebit.

Sic porrò doctor Hiſpanus, Severo ſynchronus, & Eccleſiaſticæ rei peritiſſimus; lib. 7 Hiſt: *Primus Nero Chriſtianos ſuppliciis affecit, ac per omnes provincias pari perſecutione excruciari imperavit.* Omnes orbis Romani provincias intelligit Oroſius; quas inter præcipuum tunc ætatis locum obtinebat Gallia, ſi Latium exceperis, & quæ forſan cis Alpes proximè ſuccedunt, gentes Italiæ: quas omnes cum noſtratibus Gallis Chriſti fidem conſequutas, quantùm obtinere valuit primus apoſtolicæ turmæ conatus, fas eſt opinari, & innuit ipſa phraſis Oroſii. Nam ſi de ſola Neronis Romæ ſævientis perſecutione poſt urbis conflagrationem, ſermo eſſet, ut Severi ſtudio præventus commentatur Diſſertator, fruſtra conlatis & contortis Taciti, Tertulliani & Euſebii teſtimoniis, nihil minus quàm Launoii ſenſa probantium; ridicula foret Oroſii ſermocinatio ad omnes Romanorum provincias extendere, quæ intra ſolius Romæ mœnia contingebant.

Erroris hîc Oroſium incuſare pene religio fuit Diſſertatori, nihil ingenui reponere valenti contra textum luce meridianâ clariorem. Sed ut in gratiam Severi Gallias excluderet à conſortio Chriſtianæ Religionis, & Neronianæ perſecutionis; ſibi pro more fingere licuit, cui ratio defuit; mutans in Oroſiana pericope *omnes* in *diverſas*: cui ne ſit impunè, ſat ilius adulteratæ lectionis monuiſſe lectorem, qui etiam advertere poteſt (ſalvâ viri doctiſſimi reverentiâ) quàm inutili conatu. Eo loci §. ſcilicet primo ſecundæ Diſſertationis pene ju-

ratus contendit locum hunc Oroſii aliò non poſſe deflecti, aut intelligendum niſi de ſolis Chriſtianis Romæ degentibus, & Neroniano gladio poſt incendium cruentatis. Quo gratis conceſſo, cur igitur ſuam ad limam reformans textum Oroſii, ly *diverſas* ſubſtituit, ſi nullibi quàm Romæ Nero deſæviit? præterea quid illo verbo *diverſas* pro innata novandi libidine acceſſito ſibi commodi venit, quòd non minus Gallias Tranſalpinas complecti valet, quàm Ciſpadanas? Virum, ô Critica! mirari deſine ſuis nec votis parem, nec tuis. Refutandis aliis, etiam obelo dignis & citra æquitatem. Prolatis ſuperſedeo, ne nos læſiſse putet.

Alterius ſub Domitiano perſecutionis dum meminit Oroſius, non minus favet veritati: *Domitianus confirmatiſſimam toto orbe Chriſti Eccleſiam, datis ubique crudeliſſimæ perſecutionis edictis convellere auſus eſt.* Quibus verbis *toto orbe* & *ubique*, nemo ſanæ mentis aſseruerit extra urbis Romæ pomœria ſævitum non fuiſse. Nec ipſe Severus intra urbis ſepta Domitiani ferocitatem concludit, ſic generaliter loquutus: *Domitianus Veſpaſiani filius perſequutus eſt Chriſtianos.* Et Tertul. cap. 5 Apologet. *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate.* Nec ſtrages ſoli Romæ patratas ſpectavit Euſebius in Chronico: *Secundus poſt Neronèm Domitianus Chriſtianos perſequitur; & ſub eo apoſtolus Joannes in Pathmon inſulam relegatus.* Cujus edicto in umbilico Aſiæ promulgato Romam fuerat deportatus, & in ferventis olei dolium miſsus, inquit idem Septimius. Vix tamen Cæſaris hujus crudelitatem nulli non notam, & quam ipſe Senatus nondum Chriſtianus exoſam habuit, vix agnoſcit Diſſertator ne Severo ſuo noceat Oroſius, peneque ſui non meminit cùm Euſebium ſibi teſtem adſciſcit, qui præter allata, mitiora non ſcribit cap. 17 lib. 3 Hiſt. De immani illo Chriſtianorum omnium perſecutore: [At Domitianus cùm jam multa in « multos crudelitatis ſuæ ſpecimina edidiſset; nec paucos no- « bilium atque illuſtrium virorum urbis Romæ injuſtè intere- « miſset; alios prætereà innumerabiles ſummæ dignitatis viros « licet inſontes exſilio & bonorum proſcriptione multaſset, ad ex- « tremum Neronianæ impietatis bellique & odii adverſus Deum « ſucceſsorem ſeipſum profeſsus eſt. Quippe hic ſecundus per « ſecutionem in nos concitavit.] Hæc in Oriente Euſebius, « qui cùm inter 10 generales perſecutiones hanc ſecundam recenſeat, quis ſui compos dixerit de ſolis Romæ cædibus Eu-

Digitized by Google

ſebium eſſe loquutum? Pudet me vana Launoii hîc toties palam eſſe. Vis novum ejus calami effugium? Paucis aperio.

Oroſius antiquis miſſionibus tertiò patrocinatus his verbis libri citati: *defuncto eo* (L. Vero) *Marcus Antoninus ſolus reipublicæ præfuit; ſed in diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum in Aſia & Gallia graves præcepto ejus extiterunt*: ad novas lites Diſſertatorem adegit. Nactus enim genuinum hujus loci ſenſum, ſed ſibi lethalem ſi verbum *Aſia* remaneret, quòd parem de Gallicana ac de Aſiana perſecutione conditionem exhibet quantùm ad tempus & gravitatem utriuſque; alioquin incongrua foret, nec ſibi conſtans Oroſii loquutio, ſi omnium prima (quod vellet Launoius) Gallorum Chriſtianorum afflictio jungeretur cum Aſiana de qua hîc Oroſius, quæ non potuit eſſe prima Aſiæ, cùm de alia quæ in ea contigit, eaque generali ſub Trajano, jam ſcripſiſſet: ſibi pro more utiliſſimum duxit reſcindere nomen illud *Aſia*, quo truncato facilius ſibi lector perſuaſum haberet primam Galliæ perſecutionem eo loci ab Oroſio delineatam. Sic enim ille; ſed Menardum doctiſſimum virum, quàm me præſtat audire pag. 14 ſuæ Diatribæ de unico Dionyſio contra eumdem Launoium, cui nomen Diſcuſſoris indit.

» [Citatum (Oroſii teſtimonium) in rem ſuam vertere co- » natur (Launoius) uno truncato vocabulo τῶ *Aſia*, falſum il- » lius ſenſum intento ſuo accomodans: *Verùm*, inquit, *de Oroſio* » *cur litem movet, qui non ante Aurelium & Antoninum verum, ſed* » *ſub ipſis dumtaxat Chriſtianos in Gallia afflictos fuiſſe teſtatur,* » *quo vel maximè confirmatur noſtri Severi teſtimonium.* Sed Oro- » ſii verba ſubjiciam, ut quàm remota ſit ab ejus ſenſu Diſcuſ- » ſoris appareat interpretatio.] Verba illa mox retulimus. Per- » git Hugo Menardus [ubi nemo eſt qui non videat agi ab Oro- » ſio de gravitate perſecutionis, quæ imperante Marco Aurelio » Antonino in Gallia & Aſia efferbuit, non de initio. Deinde » ſi locus de perſecutionis initio ſit intelligendus, erit æquè de » Aſianæ ac Gallicanæ, quod ſtare non poteſt: quia dudum ſub » Trajano exarſerat perſecutio, ut clarum eſt ex Plinii ſecundi » ad Trajanum ſupra memorata epiſtola, cujus & mentionem » paulò ante facit Oroſius, qui ſanè numquam intendit hoc » loco initium aſtruere Gallicanæ perſecutionis.] Hæc Menardus, cui probitas ſingularis, & muſæ nomen dederunt: qui ſic

Digitized by Google

contra Severum & Diſſertatorem lemma ſuum concludit [Ergò cùm nec Euſebius & Oroſius, nulluſque alius antiquorum epocham perſecutionis Gallicanæ in Marco Aurelio fixerit ; certum eſt hæc à Severo non ſatis explorate ſcripta fuiſſe & ſine auctore dicta].

Alia ſunt ad manum quæ Diſſertatori reſpondere queam, prædictos Oroſii textus tantùm eminus laceſſenti ; ſed vana ſuggerenti & penè nulla, quin argumento noſtro profutura, uti lector æquus advertet, nulla reſponſio.

Epiſtola ſeptem Epiſcoporum ad ſanctam Radegundem.

Illam inſeruit Greg. Turonenſ. in lib. 9. Hiſt. cap. 39. ſcriptam ab Euphronio Turon. Prætextato Rothomag. Germano Pariſ. Felice Nannetenſ. Domitiano Andeg. Victorio Redonenſi, & Domnolo Cenomanenſi epiſcopis: extat etiam in collectione Conciliorum poſt Conc. Turon. II. [Itaque cùm ipſo Catholicæ religionis exortu cœpiſſent Gallicanis in finibus venerandæ fidei reſpirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perveniſſent Trinitatis Dominicæ ſacramenta : ne quid minus hîc adquireret quàm in orbis circulo prædicantibus apoſtolis obtineret, D. Martinum peregrina de ſtirpe ad inluminationem patriæ dignatus eſt dirigere miſericordia conſulente.] His & ſequentibus oratorio more gratulantur epiſcopi Radegundi de S. Martino gentili ſuo. Ex quibus verbis tot illuſtrium virorum, vides ſtatim ab ipſo Catholicæ religionis exortu Gallicanis finibus lumen evangelicum affulſiſſe.

Iſta legit Diſſertator in præludio Gallico vitarum Cenomanenſium antiſtitum eruditiſſimi viri Joan. Bondonneti Cenomanenſis Monachi ; & ne ſibi periret textus hic omni exceptione major, & Severo plane contrarius: mirâ critices verſutiâ ſuos etiam ad uſus derivavit §. 6. primæ Diſſert. & alibi paſſim, ex illis verbis ***ad paucorum notitiam*** ; quorum ſenſus non eſt, nondum ante tempora Martini receptam fuiſſe fidem in primariis ſaltem Galliarum civitatibus & urbibus, in quibus jam fixas fuiſſe antiſtitum ſedes, præter Hiſtoriæ fidem, Acta Conciliorum Galliæ, cæteraque Eccleſiaſticæ antiquitatis monimenta, ipſa proteſtantur geſta Martini ab eodem Severo literis conſignata : ſed eam in pluribus pagis & campeſtribus

Digitized by Google

villis, cùm Martinus advenit nondum obtinuiſſe. Hæc ſapientium concors ſententia. Nec ex illo fidei Chriſtianæ defectu in vilioribus locis, legitima foret conſecutio de nobilioribus noſtris urbibus paria ſentire; ſicut non ſaperet ille qui Romam Chriſtianam non fuiſſe ævo ſancti Benedicti ex eo putaret, quod Gregorius primus lib. 2. dialogorum aſſerat virum illum apoſtolicum nec à Roma longius diſſitum, in convertendis ad » fidem plurimis Gentilibus ſtrenue laboraſse. [Nam vir Dei, » *inquit cap.* 8. ad Caſſinum montem perveniens contrivit Apol- » linis idolum, ſubvertit aram, ſuccendit lucos in quibus eo » tempore infidelium inſana multitudo ſacrificiis ſacrilegis » inſudabat, & commorantem circumquaque multitudinem præ- » dicatione continua ad fidem vocabat.] Cap. 19. [Non longe » autem à monaſterio vicus erat, in quo non minima multitudo » hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat » exhortatione converſa] Hæc centum quadraginta poſt Martinum annis; in Italia, & ipſo pene Catholicæ religionis armamentario; & tamen tunc ætatis quàm plures eminebant ubique gentium epiſcoporum Cathedræ, quàm frequentes eorum conſeſsus & provincialia comitia, quàm jugis & publicus ſacrorum noſtrorum ſplendor, & quàm aſſidua peneque ad miraculum fidei incrementa? Si Diſsertatorem audias nuſquam altius perſtrepentem quàm cum genium ſuum ſequitur, & qui ſub Irenæi tempora nullum in tota Gallia epiſcopatum admittit præter Lugdunenſem, ut ſupra vidimus, nullum evangelicæ promulgationis proventum fuiſse, ſi cum Lugduno Viennam exceperis, dicere cogeris, & fidei victoriæ tibi ſomnia videbuntur; & ne Severus vapulet, quidquid intra nos eſt religionis & fidei S. Martino debebitur. Nec eum puduit ſenſum hunc toties objicere, vel mentem epiſtolæ hujus ad Radegundem non aſsecutus, aut eâ perperam uſus.

At nùm cœcutienti ſimilem eum dixeris, qui in hujus epiſtolæ analyſi ſuffragari ſibi putat Petrum Pithoeum, virum magni nominis & literaturæ politioris, qui tamen ab eo prorſus diſsentit; licet eum *veteris hujus monetæ ſpectatorem oculatiſſimum nominet* Obſervat. 6. Nam dum in ſuis ad Salvianum commentariis præfatur, & ad hanc 7. epiſcop. epiſtolam intendit, longè ante ſacros Martini natales fidem in Galliis profecisſe ſcribit, eamque, ipſo referente Diſsertatore, *habuiſſe olim ac multò etiam ante, civitates ſuos epiſcopos, nec eos quidem vulgaris*

Digitized by Google

nota homines, ſed viros ſummos & probitate atque eruditione orbi admirabiles, notius eſt, inquit, *quam ut pluribus demonſtrari poſſit.*

Locus hic de primigenia Galliæ Chriſtianitate, tot illuſtrium antiſtitum calculo munitus, ut ſupinum arguit Severum, ſic deſperationi proximum Diſſertatorem ad incitas egit.

Cæterùm ne lector offendat ad novos obices, quos frequentes habet doctrina Launoii, monendus eſt eum occaſione hujus ad Radegundem epiſtolæ, fœde cum ſuo Severo prolapſum eſſe, & de primis Eccleſiarum noſtrarum præſulibus, viris apoſtolicis & martyribus, fidei noſtræ Coryphæis, etiam à ſe notis & admiſſis, jejune nimis aut prorſus nihil ſenſiſſe; ut in Martini Turonenſis laudes ſibi à Severo ἐπιδεικτικῶς oblatas totus abiret. Cap. 2. ſuæ diſpunctionis contra epiſt. illuſtr. D. de Marca, ut probet *è cætu apoſtolorum neminem veniſſe in Galliam prædicandi evangelii cauſa*, locum hunc Severi cap. 21. dialogi 3. *fœlicem quidem Græciam quæ meruit audire apoſtolum prædicantem : ſed nequaquam à Chriſto Gallias derelictas quibus donaverit habere Martinum* : confert cum verbis ex epiſt. ad Radegundem citatis, quaſi ſibi conceſſum velit, nullum ex apoſtolicis viris ad Martinum uſque, ad nos acceſſiſſe fidei noſtræ prodromum & prædicatorem. Tranſeat de Severo in encomia Martini propenſius effuſo & aliis rhetorices œdematibus maleſano : at in literis ſeptem epiſcoporum quibus etiam tumet Diſſertator, ut religioſos Galliæ progreſſus remoretur, nihil prorſus offendes, quo apoſtolorum noſtrorum miſſio impugnetur, aut pro fide morientium gloria minuatur. Sua certè Martino manet victoria de illa idololatriæ interneccione, quæ nondum à plurimis Galliæ pagis centum poſt Decium annis abſceſſerat, nec aliunde Severus & ſacer ille Septemviratus ei gratulantur : ſed ſalvâ ſemper primorum præſulum noſtrorum & martyrum agonibus reverentia, quorum concionibus, ſudoribus, lacrymis & cædibus, nobilibus ſemper incrementis adolevit Eccleſia Gallicana. Si ſolus inter tantos Martinus ea præſtitit in Gallia, quæ in cæteris orbis partibus apoſtoli ; quid igitur illi lectiſſimi fidei noſtræ pugiles, apoſtoli noſtri, celebris inquam alter ille Septemviratus de quo Gregorius Turonenſis (ſed tuta Chronologiæ fide) & cui tota Launoii ſchola pronior incumbit, Gratianus Turonenſis, Trophimus Arelatenſis, Paulus Narbonenſis, Saturninus Toloſanus, Dionyſius Pariſien-

Digitized by Google

ſis, Stremonius Aruernus, & Martialis Lemovicinus epiſcopi? Quibus Diſsertatorem non piget accenſere Eutropium Santonenſem, Urſinum Bituricenſem, Julianum Cenomanenſem, Savinianum & Potentianum noſtros, Senonenſes; Agoardum & Aglibertum Criſtolienſes; Nicaſium & ſocios Rotomagenſes; Caraunum Carnotenſem, & id genus alios qui Decio vel anteriores aut ſaltem coævi omnes fere Galliarum diœceſes erexere?

Nec dicas eo loci in id ſolùm intendiſse Diſsertatorem, ut excluderet à prædicatione Gallicana Philippum & Lucam, aut alium quempiam ex primo Chriſti collegio: nam attente legenti perſpicuum fiet eò collimare Launoium, ut probet longè poſt medium quarti ſæculi cùm Gallis Martinus innotuit, vix ullis adhuc auctam incrementis Chriſtianam Galliam, ſed debilem, maceſcentem peneque flaccidam; ſed cui Martinus vegetationem & ſpiritus vitales infuderit, eaque probæ conſtitutionis augmenta quibus hactenus gaudet. *Nonne*, inquit, *ſeptem epiſcopi Martinum prædicant, ut quem Deus apoſtolorum loco dederit? Quis in ſe reciperet tot epiſcopos Gallicanæ Hiſtoriæ leges neglexiſſe, aut contra traditionem Eccleſiaſticam dixiſſe?* Sed quæ ſit hæc traditio Eccleſiaſtica de contritis ad prædicationem ſanctiſſimi præſulis per univerſam Galliam Gentilium aris, præter quoſdam vicos, de quibus Severus, me latet. Totum agitet lector citati capitis contextum, & §. 6. primæ Diſsert. ſtatim deprehendet quò ſcriptoris verſuti vota conſpirent. Ne quid Severi ſui phraſi diſpereat, ſacros primi & alterius Chriſtiani ſæculi fidei progreſsus in Gallia nullus agnoſcit: ejus prima elementa ponit ſub Decio, nam poſt ſtragem Lugdunenſium martyrum nullum ubique Galliarum epiſcopum admittit præter Irenæum; quod in ejus doctrina conſtantiſſimum eſt. Et quaſi pœniteret eum noſtræ religionis decora fixiſse ſub Decio, ad ipſos Martini natales retrahenda cupit. Hanc artem inſtruit dicto §. ex dictatis ab anonymo ſcriptore vitę ſancti Saturnini (quem paris cum Gregorio Turonenſi authoritatis habet) quæ cum epiſtola 7. epiſcoporum confert, & utrubique eumdem eſſe Galliæ fidelis ſtatum diffinit. Auctor anonymus fidei noſtræ rudimenta tempore Decii conſignat, ſi Diſſertat. audias: eadem ſub Martino Turonenſi delineata fuiſſe à ſeptem illis epiſcopis ſcribit Diſſertator; nec fere certus ſe hominem, ſe doctum, ſe doctorem eſſe, & alibi ſa-

niora ſcripſiſſe, in id devolvitur probroſum, ne Severus (centies repetam) apud eruditos ſchiſmaticus audiat. Et quod mireris ipſe contextus anonymi ſcriptoris à ſe laudatus, aliud quàm quod ipſe cupit, eloquitur. Nam citato loco ſuæ Diſpunctionis, neminem apoſtolorum in Gallia prædicaſſe multus contendit: ſecus hic ſcriptor §. 6. primæ Diſſert. [Senſim « & gradatim in omnem terram ſonus evangeliorum exivit, pa- « rique progreſſu *in regionibus noſtris apoſtolorum prædicatio coruſ-* « *cavit.* Cum verò in aliquibus civitatibus, eccleſiæ, pauco- « rum Chriſtianorum devotione conſurgerent; & crebrò mi- « ſerabili errore, Gentilium nidoribus fœdis in omnibus locis « templa fumarent]. Hæc ſub æram Decii contigiſſe vellet « Diſſertator, quæ forſan alius, ad textum propius, ſub apoſtolorum tempore conſignaret. Verùm apoſtolicis aut Decianis temporibus aſſignentur; non poterit citrà veritatis injuriam dici eumdem fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ ſtatum & faciem ævo Martini; quod anxius avet Diſſertator in ea collatione quam inſtruit prioris pericopes cum hac ſeptem epiſcoporum.

[Cùm in ipſo catholicæ religionis exortu cœpiſſent Gal- « licanis in finibus venerandæ fidei primordia reſpirare, & « adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perveniſſent Tri- « nitatis Dominicæ Sacramenta; ne quid minus hîc adqui- « reret, quàm in orbis circulo prædicantibus apoſtolis, obtine- « ret; beatum Martinum peregrina de ſtirpe ad inluminatio- « nem patriæ dignatus eſt dirigere] Ad quæ læto celeuſmate « Diſſertator; *Nonne in iſtis epiſcoporum verbis videtur imago rei quam auctor anonymus expreſſit? Quod uni ante oculos, id ſeptem aliis obverſabatur. In ſumma quis ante beatum Martinum Gallicanæ Eccleſiæ ſtatus & conditio & quis vultus fuerit, omnes conjunctis velut penicillis depingunt.* Vides, lector, nec tam à mendacio receſſiſſe, cùm indecora Launoii pollicitus ſum; quàm illum à veritate, cùm ſic prave deflexit.

Iſta ſilentio premere voluiſſem, & abſit ut quicquam detractum velim laudibus Martini noſtri, viri copioſiſſime ſancti & Galliæ miraculi: ſed poſtulabat hujus dignitas argumenti, ut ei caverem; & præſertim debitum grati animi monimentum erga tot illuſtres Gallicanos martyres & præſules, quibus univerſe debemus quod inſigniter Chriſtiani ſumus, & Eccleſiæ Romanæ vere primigenii; ne ſerperet cancer novitatis quæ quod ratione conſequi nequit, fictis ad artem mediis ſibi dan-

Digitized by Google

dum contendit. Et ſic Diſſertatori reddenda videtur ſua prædicti §. 6. clauſula: *Cenſor valde prudenter hanc Objectionem prætermiſiſſet, cùm ex aliis tum ex hoc quoque quod incommodet ſibi, & adverſariis opituletur. Hæc eſt vis veritatis; ut licet obſcuretur aliquando, extingui tamen non poſſit.*

Sanctus Gregorius Turonenſis.

Ingratum Diſſertatori non eſſet, à nobis nondum ablato, ſcriptorem alterum, cui etiam ſe totum devovit fœdere nobis ingrato, & veritati penè lethali; ſi eum à partibus Saviniani ſtetiſſe, paucis demonſtrem. Ipſe eſt Gregorius Florentius. Olim præfati ſumus nuſquam illum primo præſuli Senonenſi nocuiſſe, cujus nec quidem meminit: ſed eum poſt Severum pugnæ ſufficiunt, qui volunt (ſi Pothinum & Irenæum exceperis) ſeptemviros illos à Gregorio recenſitos, fuiſſe primos Galliæ præſules; nec alios proinde ante Decii tempora apud nos ſediſſe. Hanc à Gregorio ſἀνοιαν extorquent, cui fortè nullibi venit in mentem ſic tardiùs invectum fuiſſe Gallis verbum ſalutis. Diſputent alii & rixentur de miſſione ſeptem epiſcoporum ſub Decio, Gregorio abjudicent opinionem illam, & inſontem eum dicant illius aſſutamenti, quod ex actis ſancti Saturnini ab anonymo poſt ætatem ſancti Hieronymi conſcriptis, in Gregorii textum irrepſit; integra nobis manet de Saviniano traditio, nec hîc à nobis culpandus Turonenſis, cùm votis noſtris arrideat qua parte nobis indulget antiſtites Domitiano vel etiam Neroni coævos, quod probandum.

I. Lib. de gloria confeſs. cap. 80. *Bituriga verò primum à S. Urſino qui à diſcipulis apoſtolorum epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Biturigenſem primum inſtituit rexitque &c.* Nec obſtant quæ lib. primo Hiſt. cap. 29. ſcripſerat, aut poſtea ſcripſit (nam de ordine chronologico lucubrationum Gregorii nondum inter eruditos ſopita controverſia) quæ de majori evangelicæ prædicationis incremento, amplioris Baſilicæ ſtructura, & clericorum ordinatione poſt martyrum agones ſub Decio & Valeriano probe intelliguntur.

II. Lib. 1. miracul. cap. 56. *Eutropius quoque martyr Santonica urbis, à B. Clemente epiſcopo, ut fertur, directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratiâ conſecratus eſt &c.* Nec in

Digitized by Google

in lib. Hiſt. aut alibi meminit illius ; quem cùm martyrem & à Clemente miſſum aſſerat, nonne Gregorius ſui non pœnitens, Severo opponitur, & martyres agnoſcit in Galliis ærâ Lugdunenſium anteriores ? Ipſiſſima Gregorii verba, conſentiente Launoio, Uſuardus & Ado referunt, in ſuis martyrologiis ; quorum primus cùm eam ab eodem teſſeram & laudem habeat, quod in traditionibus Eccleſiæ Gallicanæ ſit oculatiſſimus, ſuo ipſe pondere opprimitur, nec Gregorium, qui ſibi Theſeus eſt, negare poterit, nec geminos illos celeberrimos auctores, ejus potius exſcriptores quàm ſequaces, damnabit.

Revocandus item ad ſe Diſſertator, qui toties & ambitiosè dictitavit nullum in Gallicis rebus, ut antiquiorem, ſic peritiorem Gregorio ; nihil eum ſcripſiſſe niſi ope codicum probiſſimæ notæ ; aut iis deficientibus, ſacra traditionum alvearia ſuxiſſe. Hanc igitur de Eutropio ſententiam Gregorii quam nullibi retractavit (uti penè deſperationi proximus Diſſertator agnoſcit) eo magis ut decretorium hujus litis momentum habebit, quòd ejus obitus 220. annis poſtrema Caroli-magni fata præceſſerit, poſt quæ in ſacros Eccleſiarum noſtrarum faſtos fabulas irrepſiſſe fabulatur ipſe Launoius, hinc jam toties à nobis exploſus.

III. Tertium, præter alia, quod Gregorium Saviniano pronum oſtendit, ea ſunt quæ de Saturnino Tholoſano prodit in eodem lib. Miraculorum cap. 48, quamvis in Hiſt. lapis ſit offenſionis : hac tamen adhibitâ cautelâ, quod ubi nobiſcum ſentit, ipſe ſibi teſtis eſt ; dum diſſentit, ſibi vadem adſciſcit auctorem anonymum actorum ſancti Saturnini in hac de miſſionibus quæſtione mendacio ſuo famoſiſſimum : *Saturninus verò martyr, ut fertur, ab apoſtolorum diſcipulis ordinatus in urbem Tholoſatium eſt directus.*

Contra hos tres Gregorianos textus de totidem epiſcopis ab ipſis ferme nuntiatæ fidei primordiis ad nos legatis, duplici ſe parma protegit Diſſertator. Primò Gregorium uſum eſſe his verbis, *ut fertur*, quæ dubiam mentem, & ſolo vulgi rumore credulam pandunt. At nec vera hæc defenſio nec ſincera. 1° In allato ſuperiori textu de Urſino ab apoſtolorum diſcipulis Bituricas miſſo abſolutè loquitur Gregorius ; & hînc nullus Diſſertatori locus argutandi. 2° Nuſquam dubitavit Gregorius S. Gatianum fuiſſe primum epiſcopum Turonenſem : ejus

Digitized by Google

tamen miſſionis his tantùm verbis meminit, *famâ ferente cognovimus*, de gloria confeſs. cap. 4. nec erat ei locus ambigendi de cæde Lugdunenſium martyrum : ſic tamen rem ſibi notiſſimam exprimit lib. 1. Mirac. cap. 49. *Apud Lugdunum paſſi dicuntur.* 3° Ut præter iſta, jure notat doctiſſimus Bondonnetus, ad cujus ſonitum tubæ non tam ſiluit Launoius quàm expavit, à contrario ſequeretur ea vera cenſeri quæ refert Gregorius citrà ullam dubitationis teſſeram, & in quorum narratione his non utitur verbis, *dicunt*, aut *ferunt*, vel ſimilibus quæ perplexam indicent ſcriptoris mentem ; quo ſtante, certiſſima forent V. G. Acta Pilati de quibus abunde rhetoricatur lib. 1. Hiſt. Franc. cap. 21. ut aliàs meminimus. Et ſi fortè quædam inter illa fidem exigant ſub patrocinio Juſtini martyris ea citantis, certè quæ recolit Gregorius, fabulæ ſunt & inſomniorum pleniſſima. 4° Ipſa ſancti Saturnini Acta ſcriproris anonymi quibus avidiſſima manu inhiat Diſſertator, ſuſpectæ prorſus fidei cenſerentur, quantùm ſpectat ad illorum ſeptemvirûm miſſionem, (quæ aliunde dubia vel etiam falſa rêmur) in quibus tota miſſionis hujus certitudo verbis his nititur : *ſicut felici* (non fideli) *recordatione retinetur*, quæ non minus dubitationis ſpecimen præ ſe ferunt, quàm hæc *ut fertur*, *fama ferente*, *ut dicunt &c.* quæ præter famam communem, aut vulgi rumorem nihil certi prorſus exhibent. Secus de traditionibus Eccleſiaſticis omnium fide & longo uſu probatis : ſed eas reſpuit Diſſertator, niſi cùm ſuis votis obſequuntur. Dixi *felici* & non *fideli*, ad fidem codicum MSS.

Alterum quo ſe tutatur adverſarius, ne totus corruat ſub gravi pondere auctoritatis Gregorii ſui, celebris eſt illa doctos inter controverſia, ut monebam, uter prior prodierit, liber Miraculorum, an Hiſtoriarum. Iſtum poſteriores Gregorii curas, & per illum priores emendatas fuiſſe ſentit Launoius, negat Menardus. Aſſerendo juri partibus ipſe par non ſum. Verum tutâ hîc Turonici reverentiâ, de quo ſuprà liberius ſcripſimus, nulla nunc eum incuſandi ſubeſt neceſſitas; nec ei neganda fides in lib. Miraculorum, quam certioribus argumentis, nullaque critices armatura explodendis adſtruit ; quam in hiſtoriis, in quibus frequentes nævi & parachroniſmi, multa in rem omiſſa, nec pauca quæ memoriæ lapſus arguant. Quidquid moliatur Diſſertator, cui numquam acrior criſis illud à ſe obtinere non potuit, ut nobis non faverit Gregorius, nudis,

Digitized by Google

planis,nec foras emendicatis verbis primum & alterum Eccleſiæ ſæculum converſioni Gallorum concedit : quo dogmate tota ruit critices panoplia ; aut de Gregorio ſuo minus exultet. Nam vel prudens veritati litavit, nobiſque favit ; aut imprudens tres illos præſules ante M. Aurelii tempora nobis indulget : ſi primum, nullus jam diſputandi locus, & ſincere victores ſumus, & à Gregorio vapulabit Severus : ſi alterum, erubeſcat Diſſertator, ſuique pœniteat nobilioribus Galliarum Eccleſiis virum objeciſſe imprudentem, vix ſui compotem, nec minus fabulis quàm veritati pronum. Ex ſuppoſitione tantùm hæc dicta velim.

Nec fortè lectori ſuperfluum videbitur hîc obſervare vix ſapienti juxta & cordato viro perſuaſum haberi ſic lubricam in ſcribendo fuiſſe Gregorii mentem ; & in hiſtoriis pejeraſſe contra dictata in lib. Miraculorum, ſi ſtet chronologica librorum ejus ſeries à Diſſertatore intenta. Utrubique nihil nobis objicit quàm Eccleſiarum traditionem aut ſparſum vulgi rumorem. Quæ ſcribit in miraculis utilia nobis & quæ litem dirimunt, ſic efferuntur, *ut fertur*, aut, *fama ferente* : quæ in hiſtoriis hûc ſpectantia, ſic, *felici*, aut *fideli recordatione retinentur.* Agitur de miſſionibus primi & alterius ſæculi, aut de illa eorumdem fere præſulum quam ſub Decio contigiſſe volunt. Nullibi ſcriptores ſibi coævos aut priores laudat Gregorius, nec codices aut membranas aſſertionum ſuarum teſtes exhibet, aut ad earum fidem ſe prius aſſerta correxiſſe memorat. Tota igitur utrinque ſtat diſputatio de mera traditione & vulgi fama. Sed quî fieri potuit ut intra paucos annos quibus lucubrationes ſuas evulgavit Gregorius ; & in eadem urbe, & de rebus hujus momenti qualis eſt fidei Chriſtianæ ſuſceptio per viros Româ legatos duplex traditio de una eademque re mentes hominum invaſerit, quarum una alteri prorſus contraria extiterit, unis unam credentibus, aliis oppoſitam amplectentibus : uni præſul doctiſſimus & indigena adhæſerit, & idem paulò poſt alteri calculum dederit ; & (quod mireris) eadem ſibi contraria ſcripſerit non accito teſte, vade, ſponſore ? Si aberravit prima vice Gregorius ſive in libris Hiſtoriarum, ſive Miraculorum, per quem ad verum redierit, indicare debuit, quod nullibi fecit : nam utra traditionum alteri prævaleat apud eum, nobis hactenus incompertum : & quamdiu nullus nobis palàm erit, quàm Gregorius à ſe diviſus, frivolum

Digitized by Google

erit & ludicrum illum nobis objicere, quaſi poſtliminiò veritati reſtitutum, niſi nobis appareant rationes aut auctores, per quos ab una traditione deſciverit ad alteram.

Haud ſcio ſi umquam hoc candidæ mentis ratiocinium Diſſertatori venerit in mentem ; ſed eo, ſi Superis placet, præſcinditur argutiarum ejus textura ; nec prævalebit contra Gregorium ſcribentem pro nobis in lib. Miraculorum quem proprio marte compoſuit ſibi ſufficientiſſimus teſtis ; cùm eam de qua controvertitur pericopem lib. I. Hiſt. non ſibi debeat, ſed anonymo ſcriptori Actorum ſancti Saturnini, qui Decio plus ducentis poſterior annis (nam Exuperium Hieronymi æqualem & jam cœleſtem impenſius laudat) ad ſolum vulgi rumorem exotica illa ſcribere non debuit, niſi ſcriptores acciret Decio tempore pares aut ſaltem ſuppares, ſi regulæ Diſſertatoris inveniendi veri falſique deſtruendi quidquam obtineant. Taceo reliquos hujus auctoris nævos, quibus apud omnes contemnendus audit & meritò rejiciendus, quibus abſtergendis meum eſſet incumbere, ſi Saviniano vel minimum nocuiſſet, cujus non meminit. Ad quod neutiquam advertunt qui cum Severo Gregorium ex illis Actis nobis obtrudunt.

Cæterùm non inutili parergo conveniendus hîc Diſſertator de ſynchroniſmo apoſtolorum, quem circiter, imperante Carolo magno, delineatum fuiſſe & affectatum à cathedralibus Eccleſiis, ſummâ totius cleri injuriâ, nobis perſtrepit ubique ſchedarum ſuarum ; de quo ſuprà brevi ſpecialique §. conqueſti ſumus. Neminem umquam inter auctores hoc ſæculo decimo ſeptimo anteriores, tanti ſcommatis conſcium ſibi adſcivit. Nos ei teſtem injuriæ omni exceptione majorem apud eum damus ipſum Gregorium ; apud quem ex illa gemina traditione miſſionum apoſtolicarum in Gallia, fit certiſſimum multorum ſuo tempore exiſtimationem fuiſſe (ſive illi adhæreat ut autumamus, ſive non) fundatas eſſe primarias Eccleſias noſtras ab ipſa Chriſtiani nominis ἐπιφανίᾳ, ſtante illa publica fama, cujus meminit ſcilicet Saturninum, Urſinum, Eutropium, & iis admiſſis, quamplurimos alios apoſtolicæ turmæ lectiſſimos viros ad nos properaſſe. Conſequitur enim, Lannoi, eos qui cum Gregorio, nondum, ut dicis, in alteram problematis partem inclinante, priorem crediderunt, jam ad illum apoſtolorum ſynchroniſmum mentem intendiſſe ; nec proinde nuperam eſſe ſub Cæſare magno machinationem cleri Gallicani. Sed iterum Gregorio famulemur.

Vix negamus Gregorium ſuâ ſponte facilem, nec tunc fortè ſui memorem, verba illa toties refricata, ex Actis ſancti Saturnini ab Anonymo conſcriptis, ſuis hiſtoriis intexuiſſe; quæ tamen aliunde irrepſiſſe melius diceres. Quæ non unica apud eumdem interpolatio licentiam dedit fingendi variaſſe Gregorium, & veritati ſincerius indulſiſſe. Negavimus tale commentum; ſed eo ſuppoſito, quid habuit conqueri Diſſertator, & pene jurgari cum illuſt. Petro de Marca in ſua Diſpunctione epiſtolæ ejuſdem ad Henricum Valeſium, litterarum omnium columen & decus, quâ fortiter aſſeritur Saviniani & cæterorum primi ſæculi Chriſtiani præſulum miſſio Gallicana? Indignatus Diſſertator quòd vir ille ſcientiarum, ut ſacerdotii apice tam inſignis, animum aliò flexerit poſt illa quæ prius ſcripſerat in hiſtoria Bearnenſi cap. 6, n. 13, & in Diſſertatione de primatu Lugdunenſi, & aliis primatibus num. præſertim 110 & 111 nihil fortius ingerit, ut Severo ſuo canat, quàm celeberrimi illius ſcriptoris effata in illis duabus lucubrationibus ſibi commoda: nec item jactantius mœret quàm illius in eadem epiſtola reducem ad veritatem animum. Verùm num æqua ſit mœſtitiæ cauſa dic ſodes, amabo, mi Launoi? Si tibi ſapit Gregorius à prævaricatione, ut quidem rêris, reverſus; cur diſplíceat doctiſſimus à Marca ſibi tandem reſtitutus? Nec invidioſa aut peregrina ſubeſt inter utrumque præſulem diſcriminis cauſa. Nihil detractum velim dotibus Gregorii: ſed ea non aſſequutus eſt litterarum incrementa, quæ Petrus à Marca, nec eo ſæculo vixit in quo cum pietate par eruditio. Probant qui ſupereminent apud eum nævi præclarior de altero exiſtimatio & nominis claritudo, ſi de litterarum præſtantia inter ſe committantur. Huic poſt longum ſenium præmaturâ morte ſublato anno 1662, & vix poſt Tholoſanas Pariſienſibus infulis adornato muſæ omnes parentarunt, nec plura dicere mihi jam integrum, niſi Senonum votis totique clero Gallicano gratuler, quòd venerandæ ſedium ſuarum antiquitati fauſtis conatibus contra Launoianos ſubſcripſerit.

Dices ſuam eum etiam mutaſſe ſententiam. Et hînc veritati creſcit præſidium; non celebri viro quidquam inglorium. Cùm evulgandis Bearnenſium rebus ſtylum acuit, cùm de primatibus ſcripto diſſeruit, eminus tantùm proſpexit hujus quam nunc agitamus quæſtionis argumentum; nec ægrè fatebimur novitati, quæ tunc ſuas ad aures perſtrepebat, tantillum

Digitized by Google

conceſſiſſe : quod ſtudiis aliis occupatiſſimo, necdum controverſa rimanti, facilè condonandum. At ubi vidit inter eos quibus verus eruditionis ſplendor, aut emendicata nominis fama celebritatem fecit, fervere ſtudia, dignam ratus ſuâ minervâ operam, ſi quod rei eſſet non perfunctoriè ſcrutaretur ; operi ſtrenuè manum admovit quatuor circiter ante obitum annis, in præclara illa, de qua ſuperius ad Valeſium epiſtola, in cujus Diſpunctione quid non poſſet Diſſertator, imprudens aperuit. Ut rem acu tangeret Marcanus, nec labori nec famæ ſuæ defuit, nec rei dignitati. Hæc vir ſuo nomine dignus, toto orbe celeberrimus, litterarum gloria quàm ætate gravior, veterrimorum codicum ſuppellectile dives, eru ditiſſimorum, quorum ferax Lutetia, conſultationibus potens, & (quod mihi majus eſt) ex profeſſo ſcribens. Quod utinam Gregorio contigerit ; & magis Severo.

Monitum ad lectorem.

Hæc quatuordecim aut potius viginti auctorum teſtimonia, qui multis annis Caroli magni natales præceſſerunt, & Severo Sulpitio ſuppares aut anteriores reſpui non poſſunt à Diſſertatore, qui tales ambiit Chronologiæ metas, præter quas nihil nobis conceſſum velit in hujus Operis argumento, menſuram dant plenam, confertam, & coagitatam, & quæ Severo inter antiquos ſolitariè excurrenti poſſit eſſe ſatis. Ne quis tamen officio meo, aut Senonum votis defuiſſe me putet ; monendus eſt lector plures ſuffragari paris meriti & auctoritatis ; quos, quòd eorum aſſerta, criticorum technis & fraudibus νοθείας arguantur, aliis eruditorum omnium conſenſu receptis accenſendos non eſſe putavi : ſed nec prorſus rejiciendos à probationum noſtrarum elencho, cùm graviorum etiam virorum calculo auctoritatem obtineant.

Cujus ſententia nobis prior occurrit, eſt Cyprianus in Epiſt. 67 ad Stephanum Papam, rogans exauctorari Martianum Arelatenſem epiſcopum, qui ad Novatiani partes defecerat, & ea animi pervicacitate quæ toti Eccleſiæ Occidentali probro eſſet. Qui ſobriè ſenſerunt de fidei apud Arelatem exortu, quinque ſtatuunt epiſcopos Arelatenſes Trophimum inter & Martianum: alii undecim numerant, ut Saxius. Ex quo capite jam ruit ipſa Trophimi miſſio ſub Decio, quæ ex Actis ſancti Saturnini interpolata fuiſſe videtur apud Gregorium. Deinde venerit in

Digitized by Google

Gallias Trophimus ſub Decii & Grati conſulatu, ut primus Arelate Chriſtum prædicaret; debuit pluribus annis miniſterio Verbi ſtrenuam operam navaviſſe, cùm de eo & ſociis ejus ſcribat Gregorius, *quòd fidem per omnia dilatarit, & poſt acquiſitos Eccleſiæ populos felici confeſſione migrarit.* Quo tamen tempore ſcribit ſanctus Cyprianus ad Stephanum Papam anno ſcilicet 256, de Martiano Arelatenſi epiſcopo, qui jam in Novatiani ſchiſmate callum obduxerat: ne ſim prolixior in re doctis omnibus notiſſima, legendus totus epiſtolæ Cypriani contextus; nec tunc neophitam in fide fuiſſe diœceſim Arelatenſem prudens lector advertet. Quin ex eadem & ſequenti, in cauſa Baſilidis & Martialis Hiſpaniæ præſulum, & ex pluribus Conciliis tunc à Cypriano coactis certum evincitur, plures tunc ætatis in Galliis extitiſſe præſulum ſedes, ſi (quod æqui bonique cenſent) par ſit de illis ratio, ut nobiliſſima imperii Romani portione, quæ de Hiſpaniis remotioribus, & de provinciis Africæ, Numidiæ, &c. quibus invigilabat Cyprianus. Opponet aliquis hæc eminus tantùm in Severum vibrari, & ab Aurelio ad Decium uſque ſufficere annos intermedios, ut plurimus ille ſedium epiſcopalium numerus, & qui in Faſtis Arelatenſis Eccleſiæ occurrit, coaleſcere potuerit. Sed merum eſſe Diſſertatoris effugium, ſuperiora, quæ retulimus, arguunt, & ipſa rerum, quæ apud Cyprianum delineantur, ſeries evincit. Deinde cum adverſario contendimus, cui non ſola placuit Severi opinio: ſed cui Gregoriana theſis de Deciana epocha contra Clementinam Dionyſii Areopagitæ fuit in votis præcipua, quæ tota concidit per hanc Cypriani epiſtolam.

Eâ ſe prorſus obrutum vidit Diſſertator, nec aliud ſibi præſto fuit quàm falſi arguere, & tanto parenti abjudicare. In Diſcuſſione contra Milletum, eruditum ſancti Dionyſii prope Pariſios cœnobitam, nec argutiis, nec gentili genio defuit quibus eam exploderet, ut alia quæque probatæ fidei quæ ſibi incommodant: ſed quàm inutili conatu, doctiſſimæ produnt reſponſiones Hugonis Menardi in Diatriba ſua cap. 5, quas cuivis obvias hîc præterimus. Unus inter quamplurimos ſuffecerit doctiſſimus Philippus Labbe S. J. cujus vel eo maximè cenſuram amplectimur, quòd in admittendis quæ paulò nutant veterum monimentis non ſponte propenſus, plura doctis auſtero calamo recuſavit: ſed pro Cypriani epiſtola æquus, ſic cenſet tomo 1. Conc. generalium pag. 737 in margine: *Hanc epiſtolam* (67)

quidam docti viri νοθείας arguere moliti ſunt : aliis meritò reclamantibus , cùm & MSS codices & dictionis character , cæteraque omnia Cypriano illam vindicent, ut pluribus fortè docebimus in notis. Et quidem nihil in illa dignum obelo, aut Diſſertatori diſplicere potuit, niſi Gregorianæ pericopes excidium. Quis enim vel ipſe partium primipilus opponere velit Cypriano auctorem anonymum vitæ ſancti Saturnini Tholoſani, qui contra regulas Launoii nullis prævus auctoribus, nullis æqualibus, aut ſubparibus primas in Gallia miſſiones (ſi Lugdunenſes martyres excipias) ſub epocha Decii conſignavit ?

Ex pontificum Romanorum decretalibus epiſtolis petita probatio ſuadetur.

Nolim adhuc quæſitiſſimæ veritati ſuppetias denegare, quas ex primorum pontificum Romanorum decretalibus litteris conquirunt alii, ut Clementis ad Jacobum fratrem Domini, Aniceti, Eleutherii, Lucii, &c. in quarum prima pollicetur Clemens ſe miſſurum aliquos ad Gallias Hiſpaniaſque qui fidei capita edoceant : in aliis verò ad Galliarum epiſcopos miſſis, perſpicuum fit non tantùm adoleviſſe fidem publicis incrementis, ſed cum eo religionis & Eccleſiarum ſplendore, ut jam in iis hierarchiæ decora & dignitatum gradus eminerent : quæ certè ſingula plurimam ætatem poſtulant, nec ab ipſis ſtatim prædicationis Evangelicæ primordiis emerſiſſe ratio perſuadet. Multa quidem in allatos à ſe harum epiſtolarum textus arguit Diſſertator, quibus abundè factum fuit ſatis à Franc. Turriano S. J. theologo magni nominis, cæteriſque quibus hujuſmodi decretalium defenſio cordi fuit ; quibus omnibus referendis nimius eſſem ; cùm præſertim vix mea ſit hîc de illarum auctoritate quidquam decidere, ſed ſolam antiquitatem tueri, quæ ſtabilitam à nobis miſſionum Gallicanarum ætatem commendet.

Certum eſt in illa pontificii vigoris & apoſtolicæ auctoritatis inſtrumenta quædam irrepſiſſe menda, parachroniſmos & aſſutas etiam periodos, quibus earum facies, cætera ſpectabilis & decora, maculatur. Pauca reſtant (ſi canonicas ſcripturas exceperis) inter veterum monimenta hujus pura labis : at hînc prorſus proſcribenda jure dixerit nemo. Inter germanas, & mere fictitias medius eſt *interpolationis* character , quo ſi ſeparaveris,

ſeparaveris pretioſum à vili, nec Blondellus totus obganniet, nec niſi temerè ſibi concinet Diſſertator, qui ne ſibi noceant illinc eruenda argumenta, fictitias eſſe illas omnes uno verbo præcidit. Additamenta & quædam nupera non nego: ſed eas ex integro cum inſcriptionibus ſuis, ætatis mediæ fœtus eſſe, & illis pontificibus abjudicandas fore mihi perſuaſum non habeo.

Antiquitatem earum, & quæ Severi Gregoriique chronologicas notas explodat, mihi plura probant. De illis agitata fuit quæſtio in cauſa Hincmari Remenſis contra Laudunenſem, & etiam occaſione abdicationis Rhotadi Sueſſionenſis epiſcopi (quam pronuntiaverat idem Hincmarus in Concilio Silvanectenſi) ad Romanam ſedem appellantis, & à Nicolao Papa reſtituti, qui Gallicanos præſules reprehendit quòd *ad injuriam ſacrorum canonum, & venerabilium Romanorum pontificum decretorum*, exautorationem Rothadi ſanxiſſent ex ejus epiſtola quam numero 21 notatam exhibet nobis Sirmondus tomo 3 Conc. Galliæ. Verùm de quibus decretalibus epiſtolis loquatur hîc Nicolaus, oſtendit ipſe ſcribens *Archiepiſcopis & epiſcopis apud Gallias conſtitutis*, quam prolixam epiſtolam refert Baronius anno 865 num. 9 & ſeqq. ubi relatis verbis Leonis I. Papæ de iiſdem primorum pontificum decretalibus litteris, ſic proſequitur. [Conſonat autem huic beatiſſimo « Papæ Leoni ſanctus & facundiſſimus in decretis ſuis Papa « Gelaſius, ita inquiens: Decretales Epiſtolas quas beatiſſimi « Papæ diverſis temporibus de urbe Roma pro diverſorum pa- « trum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſpiciendas de- « cernimus. In quo notandum, quia non dixit, decretales « Epiſtolas quæ inter canones habentur, nec tantum quas mo « derni pontifices ediderunt: ſed quas beatiſſimi Papæ diverſis « temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diverſis « temporibus, *etiam illa tempora vir ſanctus comprehendit, quæ cre- « breſcentibus paganorum perſecutionibus* ad ſedem apoſtolicam « deferri cauſas epiſcoporum *difficillimè permittebant*. Ad quæ « verba ſic Baronius n. 15 [Ex his vides, lector, perſpicuè ſa- « tis Nicolaum de illis loqui epiſtolis Romanorum pontificum, « quas Iſidori collectio continet, Clementis ſcilicet & aliorum « qui tempore perſecutionis Romanæ Eccleſiæ præfuerunt uſ- « que ad Silveſtrum Papam.] Quæ cùm Leoni Papæ, qui anno « 440 ſedere cœpit, & Gelaſio qui anno 492 acceptiſſimæ fuerint, eaſque doceant *ab omnibus venerabiliter ſuſcipiendas eſſe*,

Digitized by Google

jam cùm plurimam ætatem tulerant, nec ab Iſidoro Mercatore quem incipiente ſæculo nono vixiſſe volunt; aut ab Hiſpalenſi, qui æra 674 obiit primùm prodire potuerunt. Conſentit ipſe Blondellus in ſuis ad eas Prolegomenis, cap. 17. Eas Gallicanis epiſcopis allegaverat Nicolaus, queſtis apud eumdem, non de earum antiquitate, quaſi prætenſa, ſed quòd parem eis ut ſacris Conciliorum canonibus auctoritatem indere videretur.

Certè ſi nupera tantùm fuiſſet, & adhuc vagiens in cunis illa collectio, facilè fuiſſet patribus Concilii Silvanectenſis cæteriſque Gallicanis Epiſcopis emunctiſſimæ naris, & ipſi præſertim Hincmaro Rhemenſi, qui Nicolao ſtomacum moverat, quaſi priſca illa ſedis apoſtolicæ decreta nauci feciſſet, fraudem Iſidori detegere, & de litterarum illarum novitate conqueri. Nec ſibi quiſquam facilè perſuaſum habebit Nicolaum in ſcientia canonum & Eccleſiaſticis rebus peritiſſimum, & cui cauſa Rothadi tanti erat, ut Hincmarum, cæteroſque Collegas, qui Silvanecti conſederant, ſuis pene devoverit diris, cuique certum erat eos cauſæ ſuæ non defuturos ſi vel minima defenſionis lux affulſiſſet; ſcripturas illis novitias, ſuſpectas, vel eo jam tempore interpolatas objicere: quin potius illis innuere videtur, cùm ad illarum litterarum decretalium religionem hortatur, & de prævaricatione conqueritur, authentica eſſe inſtrumenta & ex antiquiſſimo Eccleſiæ Romanæ penu » deprompta. Audiatur: [Vos diverſorum ſedis apoſtolicæ præ» ſulum decreta in hoc contempſiſſe negotio, non immeritò re» prehendimus. Abſit enim ut cujuſcumque uſque ad ultimum » vitæ ſuæ diem qui in fide Catholica perſeveraverit, vel de» cretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina quælibet » expoſita, debito cultu & cum ſumma diſcretione non am» plectatur opuſcula, quæ dumtaxat & antiquitus ſancta Ro» mana Eccleſia conſervans, nobis quoque cuſtodienda manda» vit, & penes ſe in ſuis archivis & vetuſtis ritè monimentis re» condita veneratur.]

Earum antiquitati, ac etiam auctoritati (ſed quam hîc non ſtatuo) patres ipſi Gallicani ſuffragantur, ut in eos oppidò bellè Nicolaus argutat; eos ſcilicet illis priſcis Decretalibus uſos cùm ſibi commodum fuit, quas in cauſæ ſuæ ſubſidium non admiſiſſent, ſi neotericus eſſent fœtus Mercatoris, aut iis tunc » aſperſæ mendis, quibus nobis faſtidio ſunt nunc ætatis. [Cùm » ipſi ubi ſuæ intentioni hæc (*Decretalia priſcorum pontificum*)

Digitized by Google

ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur; & ſolùm « nunc ad imminutionem poteſtatis ſedis apoſtolicæ, & ad ſuo- « rum argumentum privilegiorum minus accepta eſſe perhi- « beant. Nam nonnulla eorum ſcripta penes nos habentur, quæ « non ſolùm quorumcumque pontificum Romanorum, verùm « etiam priorum decreta in ſuis cauſis præferre noſcuntur.] « Inter illos primis pontificiis litteris propitiantes accenſendus in præcipuis Hincmarus Remenſis, qui multis earum causâ velitationibus appetitus à nepote ſuo Laudunenſi nihil excepit contra vetuſtatem earum, nec eis ſuos natales invidit, cùm eas ab apoſtolicis viris emanaſſe prorſus fateatur cap. 25 lib. 55 Capitulorum: [Et illas epiſtolas *ſanctorum & apoſtolicorum virorum* « diverſis temporibus pro diverſorum conſolatione, ſicut & bea « tus Gelaſius dicit, à ſede apoſtolica datas, & per eoſdem do- « mini Sacerdotes, qui & Angeli ſecundùm Scripturam appel- « lántur, ordinatas, cum beato Gelaſio apoſtolico viro *venera-* « *biliter* ſuſcipiendas dico.] Illis etiam utitur ipſe, ut in eodem lib. cap. 15 citans Clementis & Anacleti epiſtolas. Immò uſui fuiſſe in Eccleſia ante Nicænum Concilium anni 325 perhibet ibidem: *Sed & poſt Anacletum quidam ante Nicænum Concilium: Julius autem & alii quidam poſt Nicænum Concilium, &c.* Tandem ne ſim prolixior, obſerva Hincmarum eaſdem antiquas Decretales laudaviſſe in opuſculo quod inſcribitur *Quaterniones ad Carolum Regem*, Urbani ſcilicet Papæ & martyris Epiſt. primam, Lucii epiſt. unicam, & Stephani P. & martyris epiſt. ſecund. & in ejuſdem *extemporali admonitione ad regem*: citat iterum ejuſdem Stephani Epiſt. & alibi paſſim. Ut inde perſpicuum ſit nuſquam Hincmaro ſuſpectam fuiſſe talium Decretorum antiquitatem, quorum etiam auctoritati videtur detuliſſe. Antiquitatis iterum mihi ſuppetit argumentum ex eodem Hincmaro Remenſi contra Laudunenſem. Earum magnifica congerie prope tumebat iſte, ut ſchedulam evocationis cauſæ ſuæ ad Romanum pontificem tutaretur, quam irritam eſſe contendebat alter ex ſacris Conciliorum canonibus, quæ poſt epiſtolas illas decretales celebrata fuerant, & quibus auctoritate præire debere mens erat metropolitani Remenſis, qui primos cauſæ conflictus ſibi vendicabat, liberâ interim nepoti ſuo ad primam ſedem appellatione. Antiquata igitur in quibuſdam Decretalium effata per poſteriora Conciliorum decreta volebat Hincmarus ſenior, ſalvâ tamen priſcis illis epiſtolis reverentiâ ſuâ,

Digitized by Google

hoc ſcilicet dato diſcrimine, quòd iſtas *venerabiliter ſuſcipi*, illa *inviolabiliter cuſtodiri* mos eſſet ſui temporis. Quæ cùm jam obſoletæ eſſent & viribus diminutæ, non ægrè conſentire potuit Diſſertator, quòd jam effœtæ eſſent ſenectutis, quod nos intendimus. [Animadvertenda eſt, *inquit ibidem Hincmarus Remenſis*, diſcretio beati Gelaſii inter ſynodalia Concilia, & apoſtolicorum virorum epiſtolas, quas ante Concilia celebrata diverſis temporibus pro diverſorum patrum conſolatione dederunt, quaſque venerabiliter ſuſcipiendas dicit.] Hæc Gelaſius, qui 322 annis ſedere cœpit priuſquam naturæ cederet Carolus magnus, ad cujus imperantis annos, natales referunt Iſidori Mercatoris, & fabularum ejus pontificiarum. Sic porrò tandem Hincmarus: *Tu hac diſcretione ſuſcipe ad inſtructionem illas epiſtolas legendas venerabiliter, & ſerva ſacra Concilia quæ ſedes apoſtolica & omnis ſequitur Eccleſia, inviolabiliter*: Quibus, inquam, verbis nihil epiſtolis illis de antiquitate decedit, ſed tuto earum ſenio, major ſacris canonibus qui poſtmodum emerſerunt, auctoritas creſcit. *Et hæc dico*, monet Hincmarus, *non quò quadam in eis dicam eſſe non bona, ſed non per omnia ſacris canonibus patrumque Conciliis conſona: ſicut & Apoſtolus dicit*: Lex quidem bona & ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum, *ſed in temporibus ſuis.*

Hîncque certum eruitur argumentum nondum ante tempora Caroli magni injuriam interpolationis paſſas eſſe epiſtolas illas, ſaltem ſedente Gelaſio qui plurimum venerationis & fidei in illis agnoſcit. Nec etiam tantâ religione ſuſcepiſſet illas Hincmarus, ut vidimus, ſi jam ætate ſuâ nævos contraxiſſent: nec Riculfus Moguntinus epiſcopus, qui teſtamento Caroli magni ſubſcripſit, tam putidas merces collegiſſet in Hiſpania: nec Hincmarus Laudunenſis æmulo perſpicaciſſimi visûs librum objeciſſet tot maculis fœdum, aut ejus verenda celaſſet Hincmarus ſenior, qui nullam in illis epiſtolis detegit maculam aut rugam, ſi venerandæ ſibi canitiei ſulcos excipias. Nec tandem patres Vaſionenſis Concilii anni 442, qui canone 6 citant epiſt. primam Clementis ad Jacobum fratrem Domini, quæ multis additionibus jam pene altera, νοθείας inſimulatur. Eadem & ſimilibus Gratianus & Ivo utuntur. Stet ergo decretales illas ſummorum pontificum litteras conſtupratas tantùm fuiſſe in adultiſſima ætate, ſuis auctoribus eſſe reddendas (ſi ceſſet vitium interpolationis) illis ſcilicet primæ ſedis antiſtibus

Digitized by Google

quorum nomine ſunt inſcriptæ, qui tempore cædium toti Eccleſiæ præſidebant; ut ſupra diximus ex Epiſt. 47 Nicolai Papæ: & earum ſaltem ſenium ſufficere nobis, ut probetur antiquitas Chriſtianæ religionis in Gallia. Facilè crediderim neminem hominem mihi fore infenſum, ſi de epiſtolis illis ſic ſenſuerim. Quæ de earum auctoritate aut ſuppoſitione ſcripſerunt doctiſſimi viri, hìc intacta volui, nec poſtulabat theſis argumentum, aut indoles animi novis laboribus hanc criticam onerare.

§ IX.

Auctores ævo Caroli magni poſteriores, qui Severo opponuntur.

QUamvis pluribus in locis edixerit Diſſertator, ſed arte ſingulari ſibi commoda, nullos admittendos eſſe ſcriptores pro prima miſſionum ætate, qui Carolo magno poſthumi fuerint, & abundè legi latæ paruerimus tot prolatis in medium venerandæ ſenectutis auctoribus, ex quorum dictatis tuta fit epocha Saviniani: æqua tamen videbitur Launoii ſectatoribus aliorum auctorum recenſio, quibus in ætate paulò fugiente non minor acceſſit eruditio & ſingularis in diſcernendis veterum monimentis ſagacitas: cùm ipſe, qui contra regulas inveniendi veri, falſique deſtruendi à ſe conſtitutas, prævaricatur, 12 nobis auctores modernos objiciat, quos in ſui chronologici censûs ſubſidium adſciſcit; eos quidem vitæ merito & nomine ſuo ſpectabiles, (ſi fortè Molinæum & Scaligerum velis excipere) ſed qui gregatim incedant, & ex ſola fide Gregorianæ pericopes, aut potius ſcriptoris vitæ ſancti Saturnini, toties exploſi ab iis omnibus qui de primis in Gallia fidei rudimentis egregiè & ex profeſſo diſſeruerunt: aut qui Severi verba ſubjiciant, ſed ad nullam adhuc trutinam expenſa: vel tandem qui ſolis hæreant martyrologiis, quæ cùm ut plurimùm Diſſertatori noceant, & Saviniano famulentur, mirabuntur omnes quantùm ſibi jejunè miniſtraverit, & in ſelectiſſimos teſtes acciverit, quibus (ſecluſo Sirmondo) nihil rationis aut auctoritatis exquiſitæ ſuccurrit, niſi mera petitio principii, & par illud decantatiſſimum Severus & Gregorius. Fidem, quâ ſolus, non exigo, benevole lector; ſed ſi quam merear, oculos tuos flagito ejus obſides. Legatur ex integro ejus obſervatio 6 poſt 2 Diſſertationem, in qua duodenarius ille recentiorum nume-

Digitized by Google

rus ambitiosè quæſitus perſtringit oculos, mentem non afficit. Prætereà quis ex duodecim illis ſpartham hanc ex profeſſo exornavit? Quæ furtim exciderunt è calamo velociter ſcribentium, ut jam adverti, convaſavit adverſarius & compegit, nullis quidem novis acceſſionibus dives, ſed ipſa eorumdem textuum duodecies repetitorum allegatione pene ad nauſeam importunus. Deinde tota fere de Dionyſio quæſtio ventilatur apud eos, qui ſub æra Decii collocando cum ſex aliis illius celebris Septemviratus totâ deſudant Gregorii texturâ, ſeu potius Anonymi ſcriptoris aſſutamento, in quo nulla prorſus Saviniani mentio.

At inter recenſendos à nobis hujus ſecundi generis auctores qui Gallorum converſionis encænia ponunt ſub Petro, aut ſaltem ante martyrum Lugdunenſium æram, non pa ci ſunt inter noſtrates (cæteros taceo) quibus theſis hæc in votis & cordi fuit; qui rem penitius ſerioque examine expenderunt, & datis in rem commentariis, non perfunctorie veritati ſuffragium poſuêre. Quiſquis cordatus eſt & amans veri, tales præſtare cæteris nullus ambiget; nec video (quod non ſatis eſt ſemel dixiſſe) quid tanti ſit auctor ſingularis, notæque vulgaris apud eruditos; & qui ducentis aut trecentis plus minus annis diſtat ab origine rerum, quibus conſcribendis operam navat, quales in primis auctor anonymus vitæ ſancti Saturnini Severus & Gregorius, ſi cum aliis poſterioris ævi committatur qui iiſdem geſtis enarrandis ſolicitius incubuêre, quibus major accrevit eruditionis proventus; & quibus melioris notæ codices, prioribus forſan non obvii, tandem patuerunt, reſeratis bibliothecarum ſcriniis, de quibus ſpoliis quotidie ſibi gratulantur antiquitatis ſtudioſi. In hujuſmodi literarum ſtudiis (niſi rem viſu digitoque tetigeris) præſtat poſt alios vixiſſe, & à majorum minus bene ſentientium erratis veritati caviſſe. Hæc ætas noſtra tales exhibet quos æmulus criticorum ardor acuit, & quibus præter ſincerum indagandi veri ſtudium, non ignobilis gloriæ genius inſedit: quo duplici ſtimulo ſi ſibi ſumpſiſſet animos antiquitas, non jam erubeſceret apud nos tot obſita mendis, & pene non ipſa. Tales ſunt quos hîc inter inſignes exhibemus. Sed cùm præcipuus eorum ſcopus fuerit Dionyſium Areopagitam ſimul & Pariſienſem Clementi vendicare, ſemper nobis erunt teſtes idonei pro Saviniani epocha, qui pacificè ſub Petro degeret, ſi contra Severum Dionyſiana prævaleret, ut contendunt omnes Areopagitici.

Digitized by Google

Nullus igitur eorum qui Launoii ſcripta propugnant, jure damnaverit hûc acciri auctores mediæ & infimæ ætatis, qui tales ipſe repræſentat hujus currentis ſæculi decimi ſeptimi, quos ſibi devotos autumat & clientes & hac præmiſſa epigraphe. *Cauſa, quam tracto, multum intereſt referri judicia virorum doctrinâ præſtantiſſimorum qui ſecundùm Severum & Gregorium pronuntiarunt.* Illi ſunt Carolus Molinæus, Nicolaus Faber, Bellarminus, Antonius Oiſellus, Heribertus Roſweidus, Aubertus Miræus, Guilielmus Catellus, Jacobus Sirmondus, Dionyſ. Petavius, Joſeph. Scaliger, Carolus Abrincenſ. epiſcopus, & Petrus Puteanus. Sed hæc ad fucum ſeries & nomenclatura, ut lector ſuprà rogatus advertet. Noſtri ſunt

I. Hilduinus ſancti Dionyſii Abbas, in Areopagiticis quæ juſſu Ludovici Pii conſcripſit, mirè probans Dionyſium à Paulo converſum, Pariſiis præſulem & martyrem obiiſſe, Severo opponitur & Saviniano favet. Scribebat Hilduinus ſub principe veri ſtudioſiſſimo, quem nulli dogmati ſtudia partium fixerant, & cujus non intererat Areopagitam Lutetiæ ſediſſe, aut alterum Dionyſium quem ſub Decio fingunt. Æmulos habebat aut cauſæ judices pietate & doctrina ſibi non inferiores, per quos ſibi non fuiſſet impune, ſi totus ille Areopagiticus apparatus larva fuiſſet, ad cujus tamen aſpectum expavit nemo, nullusque tunc ætatis obſtitit commento ſaltem poſt Caroli Calvi & Hincmari mortem. Deinde non indigenas tantùm doctiſſimos, ſed & Græcos magni nominis ut Michaelem, Syncellum Jeroſolymorum Eccleſiæ & Methodium Conſtantinopolitanum ſibi ſocios adhibuit in partem oneris & ſollicitudinis, qui uncta penitius indagarent, ut Dionyſii ſtatus nemini certus non eſſet. Quin ipſe teſtatur Ludovicus in litteris ad eum ſcriptis ſe vetuſtiſſima Pariſienſis armarii monumenta in Eccleſia primaria cum eo legiſſe, quæ fidem Areopagitico dogmati concilient; & contra quæ Cæſaris obtutibus prius expoſita, fabulari non auſus eſſet Hilduinus: quæ ratio ad quam fortè nullus advertit, mihi proba cenſetur, & hîc ex textu ſcribenda. [Idcirco venerabilis cuſtos ac cultor ipſius proviſoris « & adjutoris noſtri domini Dionyſii monere te volumus, ut « quidquid de ejus notitia ex Græcorum hiſtoriis per interpre- « tationem ſumptum, vel quod ex libris ab eo patrio ſermone « conſcriptis, & auctoritatis noſtræ juſſione, ac tuo ſagaci ſtu- « dio interpretumque ſudore in noſtram linguam explicatis, «

„ huic negotio inſeri fuerit congruum ; quodque etiam Latinis „ codicibus jam inde habes inventum, *adjunctis eis quæ in libello paſſionis ejus continentur, necnon illis quæ in tomis vel chartis vetuſtiſſimis armarii Pariſiacæ Eccleſiæ, ſacræ videlicet ſedis „ ſuæ, prolatis inveneras, & obtutibus noſtræ ſerenitatis oſtenderas*, „ ſecundùm quod rerum, cauſarum etiam & temporum convenientiam noveris, in corpus unum redigas, &c.] Habes ex verbis pii Auguſti viſas à ſe vetuſtiſſimas chartas in ſcriniis matricis Eccleſiæ; quibus Areopagitica ſua ſtabiliret Hilduinus: quæ certè ſuis firmata momentis ad hanc diem ſteterunt, nec renaſcentes criticês argutias multùm verentur. Scio quidem hanc aleam pompaticè luſiſſe Sirmondum, & quos, ut Diſſertatorem, illuſit; ſed tandem ad incitas actus manum è tabulâ retraxit. Hæc calamo tenus, ne in meſſem alienam falcem immittam.

II. Hincmarus Remenſis, *quod nomen*, ut verbis utar Diſſertatoris, *non tam eſt hominis quam eruditionis*; cujus animum ſola veritas delinire potuit, illud de Dionyſio thema retractans, nec minus Severiano calculo diſpar, hæc ſcribit ad „ Carolum calvum : [Ut ſi quæ ſint illorum reliquiæ, qui ne„ gabant dominum & patrem noſtrum, patronum veſtrum Dio„ nyſium eſſe Areopagitam, à beato Paulo apoſtolo baptizatum „ & Athenienſium ordinatum epiſcopum, & in Gallias à beato „ Clemente directum : ex his quæ græca teſtificatio, & ſanctæ „ ſedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio ra„ tum eſſe in hac cauſa quòd longè ante nos dictum eſt, re„ cognoſcant : quia veritas ſæpius exagitata magis ſplendeſcit „ in lucem.] Hæc ille, qui quidquid erat rei, jugi ſtudio, ſeriaque meditatione aſſequutus nodum ſolvit, & in novæ opinionis reos, Eccleſiæ Romanæ, Orientalis & Gallicanæ conſenſum urget: quem potentiſſimo regi & probè ſcienti non ſubjiceret, ſi Dionyſii Areopagitæ in Galliam apoſtolatus neotericum eſſet Hilduini (vix tum ab humanis erepti) commentum: quam tamen ei labem Diſſertator inurit pluribus in locis; ſed quàm iniquè vides ex Hincmaro, & Methodio qui vitam Areopagitæ Dionyſii conſcripſit priuſquam legatus Conſtantinopoli Romam mitteretur, quod ex Cedreno & Glyca contigit anno 818. Quæ verò prodiit ab Hilduino, conſignatur ab ipſo Sirmondo ad annum 836 jam reſtituto faſcibus imperialibus Ludovico pio apud ſanctum Dioniſium anno 834 ex Chronico

Digitized by Google

Chronico Sigiberti & Annalibus Fuldenſibus.

III. Anaſtaſius Bibliothecarius eodem cum prioribus ſæculo floruit. Dionyſii vitam à Methodio ſcriptam latino ſermone reddidit, & eadem quæ alii de Pariſienſibus ejus infulis, & ejus à Clemente Romano pontifice in Gallias adventu retulit in Epiſtola ad Carolum regem. Cui conſentiunt Metaphraſtes, Michael Syngellus, Glycus, Suidas & alii; quos tamen ut Græcos rerum ſuarum tenaciſſimos, nec in Occidentales Gallos ſuâ ſponte propenſos, certum eſt ſibi Dionyſium Areopagitam ſervaturos, nec extraneis umquam conceſſuros, ſi vel minima veri ſuſpicio patriæ votis indulſiſſet, & eo præſertim temporis momento, quo ad preces Ludovici Pii, & mandatum Michaelis Balbi Orientis Imperatoris tota Græcia deſudabat in hujus examine quæſtionis, quæ nullis reclamantibus Græcis ceſſit in Galliæ decus. Unde Anaſtaſius ad Carolum Calvum: *Ceſſet ergo jam quorumdam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium, eum qui prope Pariſium corpore ac virtutibus redolet; cùm hoc & Græcorum quoque ſtylus cum Latina lingua concordans teſtetur & prædicet.* Hi tres auctores cùm auctoritate tum eruditione celeberrimi, & totius fere Eccleſiæ nomine huic argumento intenti, non ideo citantur à nobis, quòd Dionyſio faveant, qui patronos ſuæque cauſæ vindices habet majoris nominis apud eruditos, & quibus imparem me multus profiteor; ſed quòd Severo & Gregorio totis viribus opponantur, & inde Senonum cauſæ ſuffragentur.

IV. Wandalbertus diaconus & monachus Prumienſ. qui ſcripſit metricè martyrologium circa annum 850 tempore Lotharii Imperatoris, eadem profert quæ Beda, Uſuardus & Ado, qui Clementi Dionyſium adjudicant:

Dionyſius æthereo qui ſplendet honore
Gallia doctorem, Paulo inſtituente, beatum
Quem metuit gemino comptum junctumque miniſtro.

V. Petrus Mauricius abbas Cluniacenſis, vir in Eccleſia ſinceriſſimæ famæ & doctrinæ ſingularis, & inter cælites eximius, Severianam æram, ſi quis alius, totam deſtruxit: quo titulo maximè Diſſertatori diſplicuit, ut apud eum videbis. Nec dubium quin Mauricius præter plures alios legerit locum Pauli Vanefridi, qui teſte Bellarmino, ſcribebat anno 774, in quo

Hh

loquens de Clemente à Petro Metas miſſo, hæc ait, quæ Diſſertator corrodere non valuit: *Cum quo Clemente pariter, ſicut antiqua tradit relatio, ad eas quæ præcipua erant Galliarum partes verbo fidei obtinendas, alii quoque religioſi doctores miſſi ſunt.* Quos inter quidam recenſentur à Petro Cluniacenſi & aliis ſequioris ævi, quibus, causâ compendii, adjungo J. B. Mantuanum, Genebrardum, Vaſæum, Nauclerum, Volaterranum, Calviſium, &c.

VI. Joannes Gerſon Cancellarius Univerſ. Pariſienſ. qui obiit anno 1429, ſcripſit epiſtolam hujus argumenti ad abbatem San-
» dionyſianum, quam his verbis claudit: [Scriptum Pariſiis 8.
» Octobris, quo tempore meditabar pro ſermone faciendo in
« natali ejuſdem pretioſi divini Areopagitæ Dionyſii, qui ſuo
» adventu gloriam in altiſſimis Deo *& in terra noſtra* pacem
» aſpiravit hominibus bonæ voluntatis.] Hæc doctor Navarræus, cujus ſcita pronus ſemper excepit Diſſertator, paribus infulis & in eodem Collegio decoratus. Taceo Clicthoveum canon. Carnotenſem, qui pluribus in Eccleſia librorum editionibus inclaruit, & cui Chriſtianæ Galliæ genethlius annus eruditè innotuit; præſertim in Anti-Luthero ſuo, in cujus cap. 7 plurimam ſtomachi bilem acuit contra Severianæ opinationis fautores, qui ſolo propagandi nominis ambitu novitatem invexêre: *Ob tantam*, inquit, *impietatem pœna multandus eſt, & vinculis coercendus*, qui tot ſæculorum fidem in diſcrimen adducere tentat.

VII. Cardinalis Baronius omnium conſenſu ſpartham hanc mirificè exornavit, nulliſque partium ſuſurris delinitus, ſed ſolo capeſſendæ veritatis ſtudio ductus, ut erat in his antiquarum originum rei Chriſtianæ monumentis copioſiſſimè dives, cuncta luſtravit & penitius inſpexit: ſtabat ad arcem litterarum, & omnium Eccleſiarum votis & nomine præco veritatis inauguratus, plus apud omnes fidei ſibi promeruit in hoc argumento, cui totus incubuit, in quo adolevit, vixit & obiit, quàm Severus unius pericopes ſcriptor, & præcipiti calamo longiùs à ſe abreptus, ut colligitur ex dictis ab illuſtriſſimo Boſqueto Montiſpeſſ. epiſcopo. Quid porrò de noſtris & cæterarum Eccleſiarum natalibus ſenſerit Baronius contra Severum, & auctorem anonymum apud Gregorium, immenſum ejus Annalium opus, & quæ in martyrologium Romanum ſcripſerat, liquidò demonſtrant.

VIII. Pamelius in cujus laudem eruditorum omnium vota

Digitized by Google

conſpirant, & cui mens Tertulliani notiſſima fuit, eam nullis criticês fuliginibus infuſcatam prodit ſuis in Septimium adverſus Judæos commentariis numero 42, in quo de Saviniano ſpecialis mentio. Verum citandis paſſim obviis ſuperſedemus, hoc unum monuiſſe contenti (ſalvâ tamen debitâ Launoio reverentiâ) virum hunc eruditione ſuâ toto orbi litterario celeberrimum, cæteroſque à nobis hîc recenſitos, & ſtatim laudandos, quorum tanti nominis lucubrationes votis omnium arrident, majorem præ illo apud omnes auctoritatem ſibi promeruiſſe; quod in hujus operis argumento, pro quo ſibi recentiores tantùm ſcriptores vendicat ille, maximè notari debet. Reçolenda quæ ſuperius aſſerta ſunt in allegatione loci Septimii quæ probant, nec illum, nec Pamelium ab orbita deflexiſſe.

IX. Illuſtriſſ. F. Boſquetus Montiſp. epiſcopus, quem adverſariorum primipilum & anteſignanum fuiſſe putant aliqui, qui tamen à ſenſu Severi (ut à Diſſertatore jactantius effertur) longius recedit, & in noſtrum de miſſionibus dogma prudens concedit: [Ego verò, *inquit*, licet antiquitas luce clarior « mihi non appareat; tamen martyrio Lugdunenſium Chriſti « fidem in Galliis priorem fuiſſe, fere pro comperto habeo. Ne- « que ideo Severi auctoritatem elevatam exiſtimo. Ille breviori « modo ſcribendi minus ſcripſit quàm ſenſit, & ſerò ſuſceptam « religionem ac tum primùm viſa martyria ſcribens, non ideo « tamen fidem prius prædicatam fuiſſe negavit. Illuſtria & in « omnium oculis martyria intellexit, quæ demum ſub Aurelio « Galliarum conſpectui exhiberi cœperunt, ſuſceptâ jam Chriſti « religione.] Hæc doctiſſimus antiſtes: quem cùm inter ſuos « numeret Diſſertator, fidem in Galliis æram & Lugdunenſium agones præceſſiſſe fateatur neceſſe eſt: quo rationabiliter conceſſo, cùm pluribus in locis operum ſuorum nullam Evangelii promulgationem admittat, niſi martyrum ſanguine decoratam, uti toties oſtendimus, jure negare non poterit eas Eccleſiæ vexationes & cædes ei naſcenti coævas fuiſſe, eumque proinde ſatis imprudenter Severi commento adhæſiſſe. Præterea ſcribit Ipſe Boſquetus lib. 1 Hiſt. cap. ultimo Dionyſium primum Pariſiorum epiſcopum miſſum fuiſſe à Clemente Romano Pontifice, ſed alium ab Areopagita: quo timidè vel gratis conceſſo, ruet ſemper Severi Gregoriique ſententia ad ſenſum doctiſſimi ſcriptoris, cui pariter ſapit eo loci quòd Polycarpi diſcipulis, quos in Galliam ipſe demandavit, anteriores fuerint Romano-

rum legati. Stabit igitur ex Boſqueto vel à Petro vel à Clemente jam Galliis proviſum fuiſſe.

X. Illuſtriſſimus Andreas du Sauſſai epiſcopus Tullenſis, nec theſi noſtræ defuit, nec veritati, ſcriptor inſignis : nemo melius, aut uberius, vel eruditius eam agitavit, ut meritò gratias ei debeat immortales Gallia ſuis eum cunis obſtetricatum eſſe curâ mirabili, indefeſſo ſtudio, & eo ſcribendi lepôre qui omnibus admirationi fit in ſuo martyrologio Gallicano, in quo tot in rem noſtram oracula fudit, quot paginas exaravit. Unam hîc promo, ad 29 Julii his conceptam verbis & inſigni ſancti Leonis Papæ, hujus nominis primi, teſtimonio notabilem :
» [Poſtquam illi apoſtolorum coriphæi (*Petrus & Paulus*) vi-
» cos, caſtella, urbes genteſque omnes divinum lumen perfe-
» rendo, terrâ marique peragraſſent, apicemque ipſum Ro-
» mani imperii demum Chriſto triumphatori, crucifixo ac re-
» divivo ſublegiſſent : *Præſentiſſimo progreſsûs adeo auſpicati com-*
» *modo utentes* (*ait Leo magnus illorum ſucceſſor*) *legatos ſuos in*
» *Gallias ſummiſerunt, qui populos ampliſſimæ hujus regionis pleroſ-*
» *que ritus Chriſtiani ſanctitate imbuerunt.* Ex hoc fonte primi in
» Gallias ſalutis & fidei rivuli redundarunt : ex hac prodie-
» runt acie primaria, Eccleſiæ hujus chriſtianiſſimi duces, illi,
» inquam, patres & paſtores, qui eductæ ab orci patulo hiatu,
» genti adeo inclytæ tramitem felicitatis æternæ ſpiritualis im-
» perii virga, ac regni cæleſtis clave aperuerunt : qui prima
» Eccleſiarum fundamenta poſuerunt, epiſcopaleſque ſedes con-
» ſtituerunt...... His accepta refert Gallia ſuæ in Chriſto pro-
» vectionis primordia, &c.]

Quod ad Saviniani miſſionem attinet, ab eodem Petro Senonas legati, plura videſis ejuſdem auctoris ad diem 19 Octobris ; & præ cæteris ad diem ultimam Decembris, ubi nihil ad hujus aſſertionis cumulum & robur præſtantius exhiberi poteſt.

XI. Andreas Cheſnius, regius in Gallia Hiſtoriographus, vir, ſi quis alius, totius antiquitatis, præſertim Eccleſiaſticæ ſcientiſſimus, plura ſuppeditat nobis utilia variis in ſchedis primæ ſenectutis, ex quibus hanc unicam pericopen decerpo ex codice Sandionyſiano anonymi cujuſdam, qui ſcribebat (inquit Cheſnius cap. 3 vitæ Dagoberti regis) regnante Chlodovæo Dagoberti filio, anno circiter 640 æræ communis, & paucis ſubpar Gregorio Turonenſi, cui proinde, ſtando regulis Diſ-

ſertatoris, integra fides ſit adhibenda. Locus hic Dionyſium ſpectat ſub Domitiano paſſum, qui naturæ ceſſit & imperio anno 96 Chriſtianæ ſalutis : [In eo ſanè vico Catulliaco, temporibus Domitiani, qui ſecundus ab Nerone in Chriſtianos arma corripuit, primum memoratæ urbis Lutetiæ Pariſiorum, epiſcopum beatum Dionyſium, cumque eo Ruſticum & Eleutherium, quorum alter preſbyter, alter diaconus erat, pro Chriſti nomine in proſpectu ipſius civitatis interemptos, &c.] «

XII. Illuſtriſſimus Petrus de Marca ex Tholoſano Pariſienſ. archiepiſcopus, doctiſſimam ad clariſſ. virum Henricum Valeſium epiſtolam ſcripſit, quâ Savinianum Senonenſem cæteroſque primarios fidei noſtræ anteceſſores Petro vendicat & Clementi. Egregiam illam lucubrationem quàm inutili tam temerario conatu diſpungere conatus eſt Diſſertator libello peculiari, quamvis diſſimulare non auſim illuſtriſſimum præſulem inter plurima rei momenta, quæ fortiter perſuadent, quædam alia comparaſſe, quæ quòd minus evincant, amplam adverſario ſcriptitandi materiam præbuêre, & circumfuſa verborum lacinia luxuriandi, quâ potiſſimùm gaudet, cùm nulla ſuccurrunt rationis aut auctorum ſuffragia. Plurimam ejus Diſpunctionis farraginem excuſſimus ſupra.

Duodecim nobis ſcriptores inter recentiores Diſſertator objecerat, qui in theſin hanc eminùs tantum & perfunctorio marte inſiluiſſe videntur: totidem melioris notæ reponimus inter eos, qui ævo Caroli magni poſteriores ſincerâ in litteris famâ claruerunt, & huic argumento juratam operam navaverunt. Sed inter innumeros qui ſuperſunt, quoſdam adhuc ad ſaturam proponemus.

XIII. Johannes Samblacatus, contra quem Diſſertator criſtam erexit, in ſuo Galliæ Palladio pag. 24: *Inter eos qui, Nerone perſequente, ſupplicio affecti ſunt, Fronto Petragoricenſis, Sabinus & Potentianus Senonum, Eucherſus Trevirorum pontifices celebrantur, &c.* Quæ cùm nobilis ſcriptor ad fidem codicum variæ ſenectutis expenderit, iſtud tantum Diſſertator repoſuit in animadverſione 4: [Non de Saviniani & Potentiani martyrio diſputamus. Hos quidem Ado in martyrologio ab apoſtolis; Uſuardus verò Adone vetuſtior, & Senonibus vicinior, non ab apoſtolis, ſed à pontifice Romano miſſos ſcribit. Uſuardum ſequuntur multarum Eccleſiarum martyrologia, in quibus & Pariſienſe & hodiernum Romanum. Quid ergo ſibi applau-

Digitized by Google

„ dit confidentiſſimus declamator? Fortè Romanum illum pon-
„ tificem contendit, qui ſub Nerone vixit? At iſtud efficiat per
„ eos ſcriptores qui Severo rem melius noverint.] Iſta Launoii & egregiam oppidò proſcribendæ veritatis methodum perſtrinximus ſupra: nec iterum advertere pigebit quàm vana ſint & ludicra criticês armamenta, obtrudere nobis Severum, qui pauciſſima ſcripſit, & fere nulla de Chriſtiana Gallorum geneſi, contra Adonem qui convaſatis undique primæ vetuſtatis membranis, Eccleſiarum omnium dipthycis & cenſualibus libris, intimis etiam bibliothecarum forulis & receſſibus inſpectis, ut ipſe teſtatur, chronicum & martyrologium accuravit: & cùm eodem ac Uſuardus ſæculo ſcripſerit, paucis tamen inferior annis, & in eodem Galliæ umbilico; frivolam tamen ex ætatis & vicinitatis locorum diſcrepantia fere nulla rationem texere, quâ notiſſimam cuique veritatem jugulare tentet; cùm præſertim laudatus à ſe Uſuardus,& plurimùm commendatus, nihil ab Adone diverſum de Saviniano proferat, hic Petrum mittentem inſinuando, ille *pontificem Romanum*, phraſi martyrologis aliis & ipſi Turonenſi Gregorio familiari, u pluribus oſtenſum ſupra. Erubeſcat igitur tota Launoii critica phalanx propudioſo ſcribendi ſchemate tot ac tantis ſcriptorum primæ claſſis auctoritatibus obſtrepere, ac immodicis latratibus in auras ſævire.

XIV. Claudius Robert. in priori duodenario recenſendus erat, & inter primos antiqui dogmatis aſſertores, qui facem modernis aliis prætulit in ſua Gallia Chriſtiana, ut & clariſſimi viri nec minori eruditione ſpectatiſſimi Sanmarthani fratres, quibus ex voto & ſingulari ſtudio indagandæ penitius veritatis,& ſtabiliendæ chronologiæ primorum Galliæ præſulum, certiſſima lux affulſit. Tribus illis teſtibus omni exceptione majoribus rerumque noſtrarum peritiſſimis, quos ſolus veri amor illexit, & quibus reconditiſſima Eccleſiaſticæ vetuſtatis ſcrinia patuerunt, quid objicere poſſet nuperus turbo ſola fartus libidine garriendi?

XV. Hugo Menardus, congregationis ſancti Mauri in Gallia doctiſſimus aſceta, qui multis lucubrationibus egregiè clarus toti Chriſtiano orbi illuxit, & cui in ætatis ſenio morte prætmaturâ ſublato muſæ omnes parentarunt; eruditam ſcripſit Diatribam contra Sirmondum & Diſſertatorem pro unico Dionyſio Areopagita & Pariſienſi, quibus Severus & Gregorius fucum

induxerant; quâ pluribus momentis è rationis & antiquitatis penu depromptis utriuſque chronologicos apices explodit, & eam quam hîc tuemur epiſcopalium in Gallia ſedium æram, adſtruit.

XVI. Germanus Millet, ejuſdem congregationis Dionyſianus monachus, duobus libris ejuſdem argumenti contra præfatos Sirmondum & Launoium exaratis, rem acu tetigerat, cui ſolis ſcommatibus & lædoriis adverſarius reſpondit.

XVII. Johannes Bondonnetus, Vincentianus cœnobita Cenomanenſis, Ordinis ſancti Benedicti, vitas edidit Cenomanenſium antiſtitum cum notis hiſtoricis & chronologicis. Julianum epiſcopum, qui primus Chriſtianæ fidei præco Cenomanis innotuit, fixerat ſub Clemente, unde jurgari cœpit Diſſertator libello peculiari, quaſi in injuriam Severi veritas iterum promicaret: ſed ei impunè non fuit. Et quidem eâ felicitate ſcripſit Bondonnetus, ut illud unicè ſit dolendum quòd hanc theſin primus omnium non attigerit & defendendam non ſuſceperit: ſcripſit enim tantùm anno 1653.

XVIII. Chiffletius huic etiam argumento manum dedit, & eâ ſinceritate quam teſtatam voluit ipſe Diſſertator, cui nihil certè ſuppetit ut reponat, quàm mera verborum congeries quâ totus tumens ſtatim evaneſcit in auras. In hac porrò criſi, quâ Diſſertatoris indoles aperitur, nihil mihi lector conceſſum velit, niſi teſtis ipſe aut judex cordatus accedat & oculatus.

XIX. Philippus Labbe nominatiſſimus S. J. theologus, veruſque antiquitatis utriuſque Eccleſiaſticæ & profanæ promus & condus, eò lubentius hûc à nobis accerſitur quòd in Sirmondum & Launoium ſponte facilis, ab eorum tamen partibus defeciſſe ſibi fore neceſſarium duxit, ne veritas interiret. Severum quidem & Gregorium, ne totus ſuis exoſus eſſet, non penitus è medio faceſſere jubet; quâ parte putat non prorſus diffuſam toto orbe Chriſtiano Dei religionem primo ſæculo reparatæ ſalutis, nec frequentiſſima tunc fuiſſe martyria, ut plures opinati ſunt: ſed planè contendit, nec otioſam fuiſſe fidem tunc dierum nec incruentam, à Nerone ſcilicet ad uſque Marcum Aurelium, præſertim in Galliis potiſſima Romanorum Dynaſtia; in quo Lugdunenſes ſub Pothino & Irenæo primos fuiſſe martyres non conſentit. Hoc egregium Chriſtiani candoris monimentum, virique ſuâ eruditione toto orbe clariſſimi non reſpuet ſchola Launoii, quæ toties ſuo calculo probavit ſcita Labbei. Sic por-

Digitized by Google

rò veritati conſenſit in parte 3 Breviarii chronologici Hiſtoriæ ſacræ & profanæ edit. Pariſienſ. 1665 ad an. Chriſti 69, & quam vernacula lingua evulgavit ; ubi 34 primos & primarum Galliæ civitatum antiſtites à Petro, Paulo & Clemente nobis conceſſos, quos inter Savinianus, commemorat. Dignus qui legatur tanti viri locus, qui cùm in editionibus Conciliorum omnium quas accuravit, & plurimorum auctorum ſenioris ævi delectu ſit rigidiſſimus cenſor, tanti ſemper videbitur ejus ſententia, quanti eſt ſibi vendicaſſe Labbeum.

XX. Franciſcus Gerſon, doctor Pariſienſis, &c. eruditam ejus rei lucubrationem emiſit anno 1642, quâ primos etiam fidei ſediumque noſtrarum natales ſub Petro & Clemente fortiter aſſerit.

XXI. Eis etiam inſigniter annumerandus Lanſſelius S. J. doctiſſimus theologus, qui navatâ peculiariter operâ ſpartham hanc mirificè exornavit : & in hanc veritatem agmine conferto prona fuiſſe & pene juraſſe videtur eruditiſſima illa ſub nomine Jeſu ſocietas, litterarum apice & eximiâ probitate ubique gentium ſpectabilis : huic enim argumento de miſſionibus Gallicanis primi ſæculi calculum dedêre ejus collegæ Poſſevinus, Ribadeneira, Binetus, Galtherus, Mariana, Cornelius à Lapide, Suffrenius, Delrio, Leſſius, Colderius, Cordonius & Petrus Halloixius qui Gregorii Turonenſis controverſam pericopen expendens, ſic tandem concludit : *Reſpondeo hanc auctoritatem ſuâ ſponte corruere.*

XXII. Hîc aliam teſtium nubem exhibemus qui glomerantur eodem. Abbas Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſt. Surius tomo 5 ſuarum Hiſtor. Tilmanus in verſione Syncelli, Stephanus Forcatulus lib. 6 de Imperio & Philoſophia Gallorum : auctor Supplementi Chronicorum, in Domitiano, Matthæus Galenus doctor Lovanienſis in præfat. ad Areopagitica. Molanus in Uſuardum, Michael Bucchingerus in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Simon Majolus libro Colloquiorum, Colloq. 2, Henricus Spondanus, Antonius Yeſpez in Chronicis Benedictinis, Andræas Duvallius doctor & profeſſor regius in alma facultate Pariſienſi Theologiæ, qui agmen ducet ferè omnium Theologorum ejuſdem inſignis & primariæ Univerſitatis matriſque cunctarum quæ litterarium orbem plurimùm exornant. Huic enim ſpeciali titulo grata ſemper fuit & maximè tuta theſis hæc de primis in Gallia miſſionibus ſub Petro & Clemente

mente (ſi paucos Launoii ſequaces exceperis) & quibus præiviſſe videtur ſanctus Thomas ſtudii Pariſienſis ornamentum & apex, qui in Sermone de beato Dionyſio Areopagita, ſub hoc themate ex Iſaiæ cap. 46 petito: *Vocavi ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*: quadrifariam vocatum à Deo Pariſienſem illum martyrem ait: *Primò ad ſanctitatem, radiis virtutum illum illuminando. Secundò ad prædicationis effectum, eum in epiſcopali dignitate ſublimando. Tertiò à Græcia in Franciam deducendo, & eam per eum illuminando. Quartò de mundo ad cælum cum gloriâ martyrii coronando.*

XXIII. Aliò reponendus erat Franco Rothomagenſis archiepiſcopus circa annum 910, qui(ut ſcribit Dudo à ſancto Quintino lib. 2 de Moribus & Actis Normannorum) in Catecheſi ad Rollonem ducem Normanniæ,quem ſacris undis intinxit, hæc ait: *Sanctus Dionyſius, natione Græcus, per ſanctum Paulum ad fidem Catholicam converſus, poſtea à beato Clemente Petri apoſtoli ſucceſſore Franciæ ad prædicandum tranſmiſſus, multa flagella paganorum perpeſſus, diuque verberatus, ad ultimum pro amore Dei hebetatis ſecuribus capite plexus eſt.*

XXIV. Pene etiam omiſſus erat Paſchaſius Corbeienſis abbas ſanctitatis & doctrinæ laureâ commendatus ævo Caroli magni, qui in vita ſanctorum martyrum Ruffini & Valerii parachroniſmum quemdam apud quoſdam ſui temporis ſciolos invaleſcentem, quantùm ad æram horum martyrum (quam ſub Diocletiano figit) corrigens, hoc Severo vulnus infligit: [Fama eſt hos (Ruffinum & Valerium) cum beato Dionyſio, qui à beato Clemente miſſus fuerat, ut frigida gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetraſſe: ſed temporum ſeries repugnat. Sanctus namque Dionyſius ſub Domitiano Cæſare, anno ejus imperii ſecundo, martyrio coronatus eſt. Iſti verò Diocletiano & Maximiano Auguſtis, &c.] Et in præfatione: [Non geſtorum fidem corrumpimus, ſed noſtro ſub eloquio priorum ſcriptorum texuimus hiſtoriam. Quòd ſi quis noſtram ſpreverit editionem, legat, ſi maluerit, antiquam.] Quibus nos docet ſe codices probæ ſenectutis habuiſſe, qui cum ſuperent ætatem Caroli magni, quales ambit Diſſertator pro veſtigatione veri falſique reprobatione, Paſchaſii ſententiam admittat neceſſe eſt, ſi fortè Hadrianum pro Domitiano, ut quidam volunt, repoſueris: licet plures & temporum ſcientiſſimi, hunc probè ſcriptum

Digitized by Google

autument. At leves hi chronologiæ nævi veritati neutiquam officiunt, ſicut nec hiſtoriæ beati Laurentii, quòd Decius pro Valeriano, aut ſanctæ Catharinæ, quòd Maxentius pro Maximino minus benè poſiti legantur.

XXV. Non incogitanti excidit carmen Fortunati Pictavienſis, qui Gregorii ſynchronus fuit. Sibi locum ſupra ſumpſiſſet, ſi carmen illud inter ejus opera recenſeretur cum aliis in Bibliotheca Patrum editis, nec enim ea quæ ſaltem in ſpeciem ſunt dubia, lectori propono. Verùm ne calamus plus æquo forſan perplexus dignitati noceat hujus argumenti, & jejuna videatur noſtra probatio, quantùm attinet ad auctores qui ætate præſtant, & iis dotibus quæ Diſſertatori magis arrideant; aut in Hilduinum videar parum æquus, qui Dionyſium illo carmine cecinit, & adverſariis ſuis ut legitimum Fortunati fœtum objecit; non ſinam illud elabi, nec ſequens de Viſbii ſcriptione momentum, quod etiam pari fide retulit in ſuis Areopagiticis, ut mox videbimus, quæ Galenus doctor Lovanienſ. Coloniæ typis mandari curavit anno 1566, & Surius probavit, & 5 Hiſtoriarum ſuarum tomo inſeruit. Nec neſciunt eruditi, ut etiam ex Bellarmino colligitur, plura metro ſcripſiſſe Fortunatum, quæ vel exciderunt, vel in bibliothecarum forulis deliteſcunt. Sic autem ille:

1

Fortem fidelem militem
Chriſti ſequutum principem
Dionyſium martyrem.

2

Clemente Roma præſule
Ab urbe miſſus adfuit
Verbi ſuperni ſeminis,
Ut fructus eſſet Galliæ,

3

Opus ſacratum conſtruit,
Fidem docet baptiſmatis:
Sed audientum cæcitas
Munus repellit luminis.

4

Inſtante ſancto antiſtite
Errore plebem ſolvere:
Dum ſpem ſalutis ingerit,
Tormenta mortis incidit.

Simili metro Eugenius junior cecinit Dionyſium Areopagitam & Pariſienſem. Hic autem Toletanus etiam epiſcopus, floruit anno circiter 650, & cujus & carminum ejus meminit ſanctus Ildefonſus in eadem ſede ſucceſſor, libro de Viris illuſtribus.

Digitized by Google

XXVI. Pari cautelâ pro Viſbio Dionyſii diſcipulo mihi proloqui liceat. Eum paſſioni ſancti martyris præſentem fuiſſe veterum monumenta loquuntur: ejus Acta litteris conſignaſſe perhibet Hilduinus, & quorum canos vel ipſe veneretur Launoius. Scripſit Viſbius teſtis oculatus extrema pro fide paſſum eſſe Dionyſium Areopagitam, & Pariſios à Clemente miſſum. Ejus librum divinâ providentiâ repertum, & gravi ſenio jamjam caducum, ut ſcribit Hilduinus, commodum habuit, ut cum aliis Græcorum ſcriptis ſummo labore quæſitis, & pervetuſtis armarii Pariſienſis Eccleſiæ membranis, quæ jam longiſſimam ætatem duxerant, publici juris faceret in ſuis Areopagiticis. Vir erat Hilduinus in Gallia & cætero orbe Chriſtiano ſpectatiſſimus, dignitate ſuâ & amicitiâ Cæſaris potens; ejus juſſu ſcribebat cui veritas & res Dionyſii maximè cordi erant, quas ipſe, ut pietatis eximiæ & litterarum ope valebat ad judicii ſui trutinam, ut reverâ contigit, & ex ejus ad Hilduinum litteris ſupra colligere licet, expendere poterat: nec deerant plures ſagaciſſimæ mentis, & quos jam novitatis pruritus infecerat, apud quos Hilduino non fuiſſet impunè, ſi vel latum ungem à veri tramite declinaſſet, aut quid novum objeciſſet ſine teſte, ſine vade, & tabulis deſtitutum, aut notha pro genuinis ſuppeditaſſet. Hæc omnia cordatus lector admiſerit, ſi præſertim Hilduinus ipſe audiatur ſcribens ad Ludovicum pium, ei narrationis ſuæ fontes, quantùm ad res Dionyſianas, indigitans: [Libellus, inquit, *antiquiſſimus* paſſionis ejuſdem (Dionyſii) « explanat. Præcipuè tamen conſcriptio Viſbii, quæ in tomo « ſatis ſuperque abdito, Pariſius divino nutu inventa inter alia « memoranda, *ſicut in eo legitis, &c.*] quibus verbis indicat ip- « ſum Viſbii libellum ab Imperatore viſum. Tum pergit: [Cui « (*Libello*) adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimiâ pene vetuſtate conſumpti miſſales libri continentes miſſæ ordinem more Gallico, &c.] Deinde teſtes alios adſciſcit Dionyſianæ miſſionis in Gallias, majores Græcorum, Athenarum incolas & ipſum Tharaſium Conſtantinopolitanum patriarcham. Quibus omnibus in epiſtola quam ad Chriſti fideles ſcripſit, hanc pro coronide & fidei ſuæ tutela teſſeram ponit.

[Vera itaque à veracibus de eo (Dionyſio) ſcripta & « ſimpliciter in unum collecta relegant fideliter; & ſi noſtræ « imperitiæ fuerint indignati, ad veterum monumenta recur- « rant, quia nos non noſtra nec nova cudimus; ſed antiquorum «

Digitized by Google

„ antiqua dicta de abditis admodum tomis eruimus ; & veritatis „ ſinceritate ſervatâ, paginis manifeſtioribus indimus.] Hæc Hilduinus pro commendatione Viſbii, ſuprema Areopagitæ Dionyſii apud Pariſios recolentis, qui cùm ejus martyrii ſe teſtem ſcribat, nihil ei præter convitia & tumultuantis ſcholæ novantium fremitus oppoſitum leges. Sed his inſultibus minimè læditur veritas, quin fortiùs ſuadetur. Si parem Hilduino & tanta veterum ſuppellectile gravem nactus eſſet Diſſertator.

Nunc ſibi, nunc totis applauderet ipſe theatris.

Malæ fidei non eſt incuſandus auctor iis inſtructus dotibus, quales habuit Hilduinus, niſi peremptoriè convictus ; nec virum ſanæ mentis decet adverſario dicas appingere, quem ratione aut auctoritate vincere non poſſis. Non igitur de Viſbii teſtificatione ducta probatio contemnenda videtur, cui tot veterrima ſcripta ſuffragantur, & antiquiſſimæ membranæ ejus forſan autographæ, ipſique Dionyſio morienti coævæ. Utinam Severus ſic ſtipatus incederet, quem ſolus Diſſertator pedaneus ipſe & pediſſequus comitatur.

Hìc iterum lectorem monitum velim, hæc & alia de Dionyſio hùc invecta, non eò ſpectare, ut ipſi Dionyſio ſuffragium parem, ſed in Severum telum intorqueam, de ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta perperam ſcribentem.

XXVII. Quidam validiſſimum pro nobis erui putant argumentum ex epiſtola epiſcoporum Galliæ, qui Pariſiis juſſu Imperatoris Ludovici convenêre anno 824, quam anno ſequenti refert Baronius, ex qua decerpimus quæ num 31 habentur : [Nec vobis tædium fiat, ſi ad oſtendendam rationem „ veritatis, veritatemque rationis, ſeſe paulò longius ſermo „ protraxerit, dummodo linea veritatis quæ ab antiquis patri„ bus noſtris uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, beato Dio„ nyſio ſcilicet, qui à ſancto Clemente beati Petri apoſtoli in „ apoſtolatu primus ejus ſucceſſor extitit, in Gallias cum duo„ denario numero primus prædicator directus, &c.] Omnes & ex remotioribus partibus epiſcopos Galliæ, præter Moinum Æduenſem, aiunt conveniſſe, apud quos certè ſtabat inconcuſſa fides, nec vacillans aut perplexa, Dionyſium inter eos quos Clemens in Gallias miſit, & poſt alios Petri diſcipulos itidem miſſos, primarium fuiſſe fidei præconem : nec obſtat

Digitized by Google

conventum illum imaginum cultui minus devotum, ideo non probari ab Eccleſia, nec receptum ab Eugenio II qui tum ſedere cœpit: potuit enim circa cultum illum minus bene ſapere conventus ille, & in re merè hiſtorica non errare. Saltem tunc dierum & decem ante circiter annis quam Areopagitica ſua ſcriberet Hilduinus, non communis modò, ſed prorſus idem erat Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus miſſum à Clemente Dionyſium Pariſienſem, ut hinc Hilduini ſincera fides plurimùm commendetur. Habetur etiam hæc epiſtola in bibliotheca Thuana, nunc Colbertina, & quâ doctiſſimus Sirmondus eſt uſus.

XXVIII. Severum iterum impeti volunt ex relatis in Vita ſeu Legenda ſanctæ Genovefæ Pariſienſis virginis, cujus auctor Geneſius teſtatur eam ſe ſcripſiſſe poſt octodecim ab ejus obitu annos, alii tricenos dicunt. Sic enim ille: *Ego verò poſt ter ſenos ab ejus obitu annos, quo tempore ad ejus ſcribendam vitam animum appuli, in imo ampulæ oleum, quod, illâ orante, creverat, vidi.* Hanc vitam referunt puram & integram MSS. codices abbatiarum ſancti Remigii Remenſis, & ſancti Cornelii Compendienſis, & Surius 3 Jan. ab interpolationibus & mendis quæ leguntur in alia Victorina, ſeu ſancti Victoris ad Luteтiam, prorſus defæcatam. In ea porrò diſertis verbis habetur Dionyſium Areopagitam Pariſiis ſediſſe & occubuiſſe, &c. Codices illos MSS. melioris notæ & Surianum non neſcivit Diſſertator, ſed ſuo more, quæ genuina ſiluit, & corruptis aut ſuſpectis adhæſit, ut criticam ſuam ſaginaret.. Sic autem inter alia quamplurima Geneſius: [Multâ quoque ſub frequenta- « tione egrediens Pariſium (Genovefa) præ omnibus adire « ſolebat Catulacenſem locum, eò quòd ibi primus epiſcopus « Pariſii, videlicet ſanctus Dionyſius cum ſociis Ruſtico & « Eleutherio à perſequutoribus martyrio coronatus, & à piis « habitatoribus ejuſdem loci ſepulturæ eſt traditus. Qui Dio- « nyſius ortus Athenis, ſacerdoſque primùm more Gentilium « Areopagi effectus, deinde abrenuntians idolis converſus ad « prædicationem Pauli credidit in Chriſtum.] «

XXIX. Hîc pro Saviniano danda foret martyrologiorum & id genus antiquitatis immenſa congeries monumentorum, quæ omnes Areopagitici ſummo ſtudio & labore convaſarunt, ut Clementi vendicent Dionyſium Areopagitam: ex quibus pro Senonenſium votis certa poteſt erui probatio, nec ingrata Diſſertatori, apud quem nihil frequentius occurrit quàm illa

Digitized by Google

in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Quibus ad hoc virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti pollicetur; & remanendum in civitate jubet, donec induantur illâ virtute; illi certè quos alloquebatur, & quibus nominatim incumbebat gentes edocere. *Accipietis*, inquit Lucas, *virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Et gratia chriſmatum & donum linguarum quæ tùm vigebant & raro poſtea, demonſtrant hanc Evangelii promulgandi juſſionem, ipſos potiſſimùm apoſtolos & diſcipulos tunc viventes ſpectaſſe.

Alterum eſt, præceptum illud impletum fuiſſe, modo quo ſupra, dum ſcriberet Marcus quem anno Chriſti 61 obiiſſe colligitur ex Euſebio, qui anno ſequenti ſucceſſorem ei dat Anianum: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: Marci ultimo. Quæ poſtrema verba nobis innuunt, cur ſic velox fuerit curſus Evangelii, ut intra 36 aut 37 annos qui à Chriſto moriente ad excidium Judæorum numerantur, omnes orbis Romani provincias fides pervaſerit: quòd ſcilicet ſuos Chriſtus juvaret virtutibus & ſignis, quibus augebatur in dies Evangelii meſſis.

II. Hæc inviĉtiſſimè probant quæ ſcribit Paulus ad Romanos, eis gratulatus quòd *eorum fides annuntiatur in univerſo mundo*: poſt quæ verba, ſi quis Galliam, quæ omnium Romanæ ditionis ſpectatiſſima fuit, à mente Pauli excluſam garrire velit, in Morboniam exulet neceſſe eſt. Nec hîc gradum ſiſtit Paulus: *Non omnes*, inquit ad eos, *obediunt Evangelio*; & ideo culpandos dicit, quòd cùm fides ſit ex auditu, prædicatores ubique gentium, ſaltem Romani imperii, miſſi fuerint, quibus Chriſti fides innotuerit, citans ad litteram iſtud prophetæ: *In omnem terram exivit ſonus eorum, &c.* quibus à Paulo dictatis, tamquam de re præterita & jam completa ſubeſſe potuiſſet mendacium (ſalvâ tantò doctori gentium reverentiâ) & ipſis gentibus expoſtulandi materia, ſi intra ſolos Judææ aut Latii fines Evangelii prædicatio ſtetiſſet. Nec Paulus contra gentes hîc invectus quæ ſuo tempore divino lumini rebelles fuerant, probè ſcripſiſſet, aut certi quidquam ex illo Davidis vaticinio intuliſſet, ſi non de notis aut vicinioribus ſaltem (qualis Gallia) Romanorum provinciis explicandus foret textus ille à ſe

Digitized by Google

ipſe Gallus, vir ubique probus & eruditus, ſed præſertim in rebus patriis oculatiſſimus, qui ſequentia non ſcripſiſſet in Matth. cap. 25, niſi certò ſciſset fidem Galliæ prius invectam quàm periret Jeroſolyma [Uſque in finem perſeverantibus « ſalus reſervata eſt, ac tum per omnes orbis partes viris apo- « ſtolicis diſperſis, Evangelii veritas prædicabitur. Et cum « univerſis fuerit cognitio ſacramenti cæleſtis invecta, tum Je- « ruſalem occaſus & finis incumbet, ut prædicationis fidem & « infidelium pœna & metus civitatis erutæ conſequatur. Hæc « igitur in eam, ut fuerant prædicta, perfecta ſunt. Et lapida- « tis, fugatis, peremptis apoſtolis, fame, bello, captivitate con- « ſumpta eſt, ac tum fuit digna non eſſe, cùm ejectis prædi- « catoribus Chriſti, indignam Dei prædicatione ſe præbuit.] Sed « pro more ſuo non potuit Chryſoſtomus uberius aut luculentius veritati ſuffragari Homilia 76 (in codd. Græcis 75) in cap. 24 Matth. *In univerſo enim orbe prædicabitur*, inquit, *Evangelium hoc* « *in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* « Conſummatio ſcilicet Hieroſolymorum: quòd enim iſtud « diceret, quódque ante urbis everſionem per mundum Evan- « gelium effuſum eſſet, Paulum audi: *In omnem terram exivit* « *ſonus eorum*: & rurſus: *A ſpe Evangelii quod audiſtis*, Rom. 10, « Coloſſ. 1, *quod prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cælo* « *eſt.* Et videas eum à Jeroſolymis ad Hiſpaniam uſque curren- « tem. Quòd ſi unus in tanta orbis parte prædicavit, cogita « quid à reliquis factum fuerit. Sed & alibi Paulus de Evan- « gelio ſcripſit, quod fructum ferat & creſcat in omni creatu- « ra quæ ſub cælo eſt.] Et paucis interjectis [Idcirco poſtea « quam Evangelium in univerſo orbe prædicatum fuerit, Hie- « roſolyma evertetur, ut nec umbra excuſationis ingratis re- « linqueretur. Nam qui potentiam ejus in breviſſimo temporis « ſpatio per totum orbem quaſi fulgur rutilaſſe viderunt, quam « veniam habebunt in duritie permanentes? . . . . . . Quæ res « maximum argumentum omnipotentiæ Chriſti eſt: viginti « enim annis, aut ad ſummum, triginta, ad omnes oras orbis « Evangelium tranſcurrit. Poſt hæc igitur, ut dixi, Hieroſo- « lymorum finis aderit, &c.] Hæc Pauli ſtudioſiſſimus & ejus « ſenſum cælitus edoctus. Plures habuit ſibi prævios, nec pau- cioribus præluxit qui in Pauli ſententiam ſimul concedunt.

4. Inter recentiores unus ſuffecerit Maldonatus, quem Evan-

gelicæ doctrinæ ſenſum præ cæteris inſigniter aſſequutum prædicant omnes : qui in eumdem locum Matthæi 24 paucis edicit : *Cùm Jeroſolyma vaſtata eſt, vix ulla erat regio ex iis quæ ad illud uſque tempus reperta fuerant, ubi Evangelium non inſonuiſſet.* Quid ad hæc tanti ſcriptoris, ſacræ Scripturæ præſertim & patrum oracula reponere poſſint Severi ſequaces, & ſchola Launoii me latet. Et quidem in hujus meridianæ lucis radios noluit umquam mentis aciem intendere Diſſertator, nec objecta ſibi voluit hæc Scripturæ teſtimonia, quæ ubique operum ejus reticentur, ne telum tangeret à quo ſtatim confoderetur. Sciebat Gallos notiſſimam tunc ætatis gentem, Romanorum armis & Imperatorum comitatu ſeu curiâ præcipuam, nec proinde ei obſcurum quidquid de Chriſto Roma didiciſſet ; fidem ei ideo perviam cùm conſtet ex Evangelio ad patrum omnium amuſſim perpenſo, ad remotiores etiam oras irrupiſſe. Hæc neſcire non potuit vir cæterà perſpicaciſſimus, ut litem adhuc ejus manibus debitæ reverentiæ penſum, niſi forſan ſit quòd hoc Auguſtini percuſſum ſe ſenſerit anathemate : *Illa eſt peccati juſtiſſima pœna, ut amittat unuſquiſque illud quo benè uti noluit, cùm ſine difficultate poſſet, ſi vellet ; ut qui ſciens rectè non fecit, amittat ſcire quod rectum eſt.*

Scio quoſdam prædicta Chriſti Domini verba : *In univerſo orbe*, ad generalem traduxiſſe fidei propagationem, quæ omnes tandem mundi partes complexura ſit, & quæ novis quotidie progreſſibus creſcit ; litteralem illorum verborum ſenſum eum eſſe ratos, qui *conſummationem* mundi, non Jeruſalem occaſum prædicat : ly enim *univerſo orbe*, non debere circumſcribi, niſi ipſis totius mundi finibus putant. Sed pace dixerim ſic opinantium, generalis ille loquendi modus frequens in Scriptura ſuos limites habet, nec toto ſemper terrarum ambitu deſignatur, eo planè modo quem nobis Lucas exhibet Evangelii cap. 2 : *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis* : hoc eſt imperium Romanum, ſeu pars illa mundi quæ Cæſari parebat, extra quam illum edixiſſe nemo ſanus dixerit. Sic Matth. 27 : *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram ;* id eſt, Judæam. Nam in media orbis parte, in qua tunc meridies non erat, ſicut in Judæa, & juxta poſitis regionibus, nox illa ſeu caligo, utpote naturalis, miraculum non fuiſſet, cùm tamen certum ſit obſcuritatem illam ut verum prodigium à

Digitized by Google

tribus Evangeliſtis enarratam eſſe. Simile quid legeſis Reg. 3, cap. 10 de Abdia ſervo regis Achab, ejus juſſu Eliam quærente: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens aut regnum quo non miſerit dominus meus te requirens.* Quis enim putaverit ad longè diſſitas orbis nationes Achab miſiſſe? Non infrequens in ſacris litteris illa ſynecdoche.

Maldonato poteſt adjungi vir etiam magni nominis Eſtius in cap. 10 Epiſt. ad Romanos, ubi citatus à Paulo pſalmi 18 verſiculus expenditur: *Hoc enim de Evangelio dicit, quod jam in plurimas quaquaverſum nationes apoſtolorum prædicatione diſſeminatum erat: ad plures autem ac remotiores, rumore perlatum: atque hoc ſenſu fatemur vaticinium pſalmi tempore Pauli impletum fuiſſe.*

III. Conſtans ſibi Paulus, præter allata ex cap. 1 & 10 Epiſtolæ ad Romanos, ſimilia ſcribit ad Coloſſ. 2: *Quod prædicatum eſt in univerſa terra, quæ ſub cælo eſt.* Et cap 1: *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat & creſcit*: [Quia nimirum, *ut repetit Eſtius*, in plurimas, quaquaverſum nationes illo jam tempore diſſeminatum erat, atque ad plures etiam rumor ejus pervaſerat, etſi nondum ad omnes abſolutè.] Ex quibus omnibus & ſimilibus ſacri textus locis certiſſimum eſt fidem Chriſti Paulo adhuc vivente, in omnes ferè mundi partes penetraſſe; & ſaltem iis quæ Romanæ ditionis erant, hæſiſſe, creviſſe, fructificaviſſe, ut ipſe teſtatur. Quo conceſſo, jam poſtulat ratio, ut hujus inclitæ ſortis antelucanum ipſa præ cæteris poſt Romam ſenſerit Gallia, quod nunc expendendum.

§. XI.

Rationum momenta quibus eadem epocha probatur.

I. PRimum momentum quod nobis ratio ſubminiſtrat, ne ſera fuerit apud Gallos de adventu Chriſti cognitio, qualem innuunt qui Decii, vel Aurelii tempora nobis conſignant, probè deſumitur ex ipſa Chriſti juſſione populos quæ ſuæ ſalutis erant, ſtatim edocendi. Ut erat inſitus apoſtolorum animis amor magiſtri, ejus gloriæ propagandæ zelus fervidior, & mira pro ſalute gentium cordis propenſio: nihil in votis habuêre priuſquam ut ociùs injuncto numeri facerent ſatis. Fortiſſimos fidei pugiles remorari nihil potuit; non metus mortis ad atrociora ſupplicia paratiſſimos, non dæmonum aſtus,

quibus terrori erant; non vincula nec carceres detinere, qui ſæpius conſcio nemine patuerunt; & ut monet Paulus *Verbum Dei non eſt alligatum.* Non potuit igitur, niſi velociter currere ſermo divinus; aut quibus repagulis obſtupuerit, Diſſertator edicat. Sciebant Chriſto perfunctoriam non fuiſſe divini verbi promulgationem, & hinc numerum prædicantium auxiſſe, celebrique Teſtamento apud Matth. & Marcum ſanxiſſe, ut » omnes gentes docerent. Quibus juſſa ſtatim implentibus [opi- » tulante cæleſti virtute, *inquit Euſebius lib.* 2 *Hiſt. cap.* 3. ſa- » lutaris Dei ſermo tamquam ſolis radius univerſum terrarum » orbem ſubitò illuſtravit; & prout in ſacris litteris prædictum » fuerat, in omnem terram exivit ſonus Evangeliſtarum ſimul » & apoſtolorum, & uſque ad fines terræ verba eorum. Per » omnes igitur civitates & vicos Eccleſiæ infinitâ hominum » multitudine abundantes, velut areæ quædam frugibus refer- » tæ, brevi congregatæ ſunt.] Nec piget ex eodem, quæ jam laudavimus, verba retexere libri 3, cap. 37 hîc magis propria, quibus inficiari non licet relictam fuiſſe ab apoſtolis Galliam populoſiſſimam gentem, & à Romanis cultiſſimam, qui remotis, inquit, & barbaris regionibus fidei lumen infuderant: » [Relictâ patriâ peregrè proficiſcentes munus obibant Evan- » geliſtarum iis qui fidei ſermonem nondum audiverant, Chri- » ſtum prædicare, & ſacrorum Evangeliorum libros tradere » ambitiosè ſatagentes. Hi poſtquam *in remotis ac barbaris re-* » *gionibus* fundamenta fidei jecerant, alioſque paſtores conſti- » tuerant, & novellæ plantationis curam iiſdem commiſerant, » eo contenti ad alias gentes & regiones, comitante Dei gratiâ » ac virtute, properabant, adeo ut primâ ſtatim auditâ prædi- » catione, univerſi ſimul populi veri Numinis cultum promptiſ- » ſimo animo ſuſciperent.]

II. Mirum videri debeat ex his Euſebii verbis, qui citos fidei progreſſus luculenter agnoſcit, præter alios ſe antiquiores quos jam expendimus; nec Severum, nec ei ſtudentes quidquam hactenus objeciſſe, quo probent Galliam, inter cæteras orbis regiones, etiam remotiſſimas & efferatas, ſolam remanſiſſe, cui divino illo munere fuerit interdictum. Nemo ſapiens, cordatus nemo negabit non potuiſſe potiſſimam imperii Romani partem à communi & feliciſſima ſorte ſecludi, niſi graves interceſſerint cauſæ ab hiſtoricis non tacendæ: non levem textui ſacro injuriam irrogari toties teſtanti tam prom-

Digitized by Google

ptos, quàm uberes fuiſſe prædicationis Evangelicæ ſucceſſus, & futurum in omnium animis de relicta Gallia ſtuporem, ab iis antevertendum fuiſſe, qui reverâ neglectam ſcripsêre. Nullus tamen auctor occurrit qui cauſam dederit, nec ipſe Diſſertator tot farraginum promptuario dives, vel levi ratione potuit ſuo dogmati favere. Quid ex illo immani ſilentio colligere poſſis, niſi parem Gallis pro fidei beneficio, ac cæteris orbis Romani provinciis, quas excluſas non ſcribunt, ſortem obtigiſſe?

III. Præterea quis æquus & mente ſanus putaverit in injuriam principis apoſtolorum, cui potiſſima diſſeminandi ubique terrarum Evangelii cura fuit, cui toto orbe paſcendas oves ſuas ſpeciali titulo Dominus commendavit; & cui major in Chriſtum amoris propenſio fuit, eum 25 annos Romæ degiſſe Gallis inutilem & durum, ne dicas infenſum: & (ut dono prophetiæ, aliiſque gratiarum chariſmatibus, ut privilegio ſedis cæteris eminebat) primaria fidei decora & ſalutis ſubſidia Gallis invidiſſe, quos in primam illam ſedem omnium matrem & magiſtram prævidebat propenſiſſimos fore, ejus adminiſtros, munificos & tutelares, cujus pontifices (licet tantæ ſedi nullum poſſit exitium eſſe) ſuorum diritate vagos nonnumquam & palantes ſuo ſinu excepturi erant: quorum etiam reges, ut Chriſtianiſſimi *primogenitorum Eccleſiæ filiorum* nuncupatione celebrandi erant, & ab ejus obſervantia & religione numquam defecturi: quibus tandem qnidquid habet Roma Chriſtiana amplitudinis & opulentiæ potiſſimùm debet. Hæc tunc Petro non inviſa, fomes erant amoris & apoſtolicæ ſollicitudinis, ne gens ampliſſima, proximè futura decus & ſubſidium Eccleſiæ, & ei deditiſſima, Chriſto ſeriùs adhæreret.

IV. Ipſi Galli fatentur & aliis ſubſcribunt, præſertim Euſebio, Marcum evangeliſtam miſſum Alexandriam à Petro, ut in Ægypto Evangelium à ſe conditum prædicaret. Potuit remotiſſima regio curæ eſſe Petro, & inclytum præ cæteris ſortiri fidei præconem, & de vicina ſibi Gallia ne cogitaſſe quidem Apoſtolum?

Credat Judæus Apella

Non ego.

Potuit otioſa fides manſiſſe reſpectu Galliæ ſub 14 Romanis pontificibus (totidem enim à Petro ad Eleutherium numeramus) & ſolâ fere Italiâ circumſcribi, quæ ſub uno doctore

Digitized by Google

gentium Paulo, tot regiones & immenſa terrarum ſpatia permeavit, *ubere glebâ, ſolidoque proventu*? Sic enim de ſe ſcribit ad
» Romanos cap. 15: [In virtute ſignorum & prodigiorum in virtu-
» te Spiritus ſancti, ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad
» Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. Sic autem præ-
» dicavi Evangelium hoc non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne
» ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum
» eſt, quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt, & qui non
» audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimum
» venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc verò
» ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem
» autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus
» annis; cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præ-
» teriens videam vos, & à vobis deducar illuc.] Dic, ſodes, quid Petro defuit, ut ſegnior eſſet apoſtolatus illius, ex quo Chriſti anno 46 Antiochiâ Romam appulſus eſt? Aut ſi præter morem Pauli, ſatius duxit Romæ morari, non plures habuit Eccleſiæ princeps, quos vice ſui in vicinas & exteras nationes Verbi divini gerulos deſtinaret? Hîc obmuteſce criticica, & tandem pudeat in unius gratiam Severi totam peſſum dari rempublicam Chriſti, placitaque majorum convelli, quæ per ſexdecim ſæcula conſtanti populorum religione radices fixerat, nullamque excidii tanti (quod fruſtra moliris) rationem proferri, nec unum quidem auctoris alicujus nominis textum, ſi myſtam illum Turonenſem Martinianum excipias, qui ſingularis audit apud omnes.

V. At quo tandem obice culpanda venit Gallia, ne pari cum aliis Evangelicæ veritatis gratiâ dignata ſit? Tantæ ſiquidem ſyncopes cauſam in Petrum refundi vetat pietas. Præ me fero nullum ab ſincera mente poſſe nobis objici, ſi quis ſemel admittat (quod negare piaculum eſt) non perfunctorium fuiſſe de petenda Hiſpania Pauli votum. Ex ejus verbis mox allatis ardens ei deſiderium erat eam inviſendi, ut vel primùm Chriſtus ei notus eſſet, aut major in eum credentium numerus accreſceret. Iſtud avere non poterat Apoſtolus, cui ſapientia comes, ſi nullus ei ad optata aditus foret, quem apertum ſibi ſatis innuit ex quo diſſeminandi apud Dalmatas Verbi finem fecit. At quis præter Diſſertatorem fingere poſſit peculiaria tunc ætatis obſtacula fuiſſe Gallis, quæ non Hiſpanis, ut intactis illis & repudiatis, fides ad hos ocius pervolaret? Paulo nec mens,

Digitized by Google

nec mos umquam fuit in obeundis Evangeliſtæ muniis hînc inde vagari, & relictis quibuſdam provinciis ſibi obviis & nondum Chriſtianis ad alias divertere; ſed uno tenore, & non per ſaltum (niſi ſecus aliorum prædicatio ſuaderet) ſuas partes implebat. Ex Italia in Hiſpaniam profecturo Gallia cominus occurrebat, ampliſſimus ad meſſem campus, dignaque tanto meſſore ſeges, niſi certò ſciſſet ſe præventum ab aliis, Gallorum converſioni Petri mandato ſtudentibus, & jam ad opus accinctis, & multa prole fœcundis.

VI Et hinc ſi decretam tantùm velis & non peractam Pauli peregrinationem ad Hiſpanos, certa mihi videtur Gallicanæ miſſionis probatio, eâ ratione perſuaſo, quòd gentem ampliſſimam, & multis titulis apud Romanos commendatam non poſthabuiſſet ſpecialis gentium Apoſtolus, nullis jam in Oriente muniis præpeditus, niſi præceſſiſſent divino munere & ſtudiis Petri, ſalutis ejus adminiſtri. Jam hîc miſſam facio Eccleſiarum omnium traditionem, (quæ ſincerum tamen demonſtrandæ veritatis argumentum) & eam patrum & auctorum congeriem, quam dedimus, ad vota noſtra concurrentium; ſola ſibi conſtans eſt ratio ex Apoſtoli profectione petita; & niſi penitus exciderim mente, nuſquam mihi perſuaſum erit Galliam ſic obviam & vicinam (ſi nondum Chriſto litaſſet) Pauli ſtudia ſaluti Gentium deditiſſimi præteriviſſe: aut, qui ſecus opinantur proferant aliquid, quo vulgi ſaltem ſtudia venentur, & veritati fucum inducant.

VII. Iſthæc quæ diximus, votivam ſolùm & fortè non-ſuſceptam Apoſtoli apud Iberos peregrinationem ſpectare videntur: verùm ſtetiſſe promiſſis Apoſtorum pars numeroſior patrum Græcos inter & Latinos conſtanter aſſerit, quorum textibus referendis ſponte ſuperſederem, toties prolixitatem exoſus, niſi totidem machinis Severianam æram iterum explo-derem, quâ volunt tum primùm ſub Marco Aurelio fidem Chriſtianam Tranſalpinis regionibus, qualis Hiſpania, innotuiſſe. Sanctus Athanaſius ad Dracontium ſcribens: *Studium fuit ſancto viro* (Paulo) *uſque ad Illyricum Evangelium prædicare, neque ſegneſcere, neque omittere quin Romam iret, & in Hiſpanias aſcenderet, ut pro graviori labore, majori frueretur mercede laboris.*

Cyrillus Catech. 17: *A Hieroſolymis uſque ad Illyricum diſſeminavit Evangelium, qui regiam quoque Romam inſtituebat, &*

Digitized by Google

in Hiſpaniam uſque promptitudinem prædicationis extendit. Epiphanius Hæreſi 27 : *Paulus in Hiſpaniam profectus eſt ; Petrus verò ſæpe Pontum & Bithyniam viſitavit.* Plura in rem Chryſoſtomus, ipſius Pauli auditor, ſed hîc pauca. In præfat. in Epiſt. ad Heb. *Etiam in Hiſpaniam percurrit.* Homil. 7 de Laud. Pauli : *Videas eum Hieroſolymis ad Hiſpanias uſque currentem.* Et Hom. 76 in Matth. *Deinde in Hiſpanias profectus inviſit illic Judæos quoque, &c.* Nec minus diſertè Theodoretus 2 ad Timoth. cap. ult. *Defenſione auditâ fuit abſolutus , & in Hiſpaniam profectus eſt, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lucem attulit.* Et in Epiſt. ad Philem : *Cùm autem illinc* (Romæ) *profectus eſſet in Hiſpaniam , & illic etiam divinum Evangelium tradidiſſet, reverſus eſt, & tunc fuit truncatus capite.* Et in Pſal. 116 : *In Italiam venit, & in Hiſpanias pervenit , & inſulis quæ in mari jacent, utilitatem attulit.*

Ex Latinis nominatiſſimi duo ſufficient , Hieronymus , & Greg. Papa. Primus in Iſaiæ cap. 11 : *In Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt navibus.* Et in cap. 5 Amos loquens de Paulo: *Vocatus à Domino effuſus eſt ſuper faciem univerſæ terræ , ut prædicaret Evangelium de Hieroſolymis uſque ad Illyricum , ut ædificaret non ſuper alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum, ſed uſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro , immò ab oceano uſque ad oceanum curreret.* Alter 31 Mor. cap. 22 : *Ecce ipſe quem ad teſtimonium jam ſæpe deduximus Paulus, cùm nunc Judæam, nunc Corinthum , nunc Epheſum , nunc Hiſpanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret, &c.* His adjungendi Sophronius ſerm. in natali ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, Auctor lib. de Vit. & Obit. Sanct. apud Iſidorum , Hyppolitus martyr, de 12 Apoſt. Theod. Metochites in Hiſt. Romana , ſanctus Anſelmus , Uſuardus , Ado Vien. & alii cum Baronio anno Chriſti 61 , n. 4 & 5, qui textum Innocentii primi commodè & prudenter expendit, nec Hiſpanicæ profectioni nocere contendit.

Opponit ſibi divus Thomas lectione 3 in cap. 15 ad Romanos textum Gelaſii Papæ, ex quo forſan tunc perplexus hæſit : *Dicunt*, inquit Thomas, *eum in Hiſpaniam iviſſe, ſed hoc certum non eſt.* At re ſecundis curis perpensâ in expoſitione horum verborum 2 cap. ad Galatas : *Ne fortè in vacuum currerem aut cucurriſſem ;* citra ſcrupulum omnem ſic edicit in Lectione itidem 3 : *Vocat prædicationem ſuam*, curſum, *Propter veloci-*

tatem

Digitized by Google

tatem doctrina ſua, quia in modico tempore à Jeruſalem uſque in Illyricum, & uſque in Hiſpaniam prædicavit Evangelium. Nec quidquam negotii faceſſunt Gelaſii verba, quæ quidem innuunt Paulum non ſtatim ſtetiſſe promiſſis ob collectas quas Jeruſalem per ſe ferendas ſuſceperat, ubi multa paſſus à Judæis, diutius hæſit, non autem vota non impleſſe, cum ei integrum fuit; nec aliò deflecti poſſunt verba Gelaſii, ſi tamen reverâ ſunt ejus, quæ nullibi epiſtolarum ejus nomine inſcriptarum leguntur, ſed ſolùm apud Gratianum, falſis citationibus omnibus gravem.

Hæc ſufficienter probant veram fuiſſe Pauli peregrinationem in Hiſpanias, quantùm veritati ſubſervire poſſit Patrum auctoritas: nec minus evincunt falſam eſſe Severi opinationem de ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ, ſi teſtibus omni exceptione majoribus finienda ſit controverſia, cui ſolo Severi teſtimonio nomen dedit Diſſertator, qui non eruditionis defectu, ſed ingenitâ ſibi fraude perpetuò tacuit, quos hîc ad ſaturam conjecimus, Athanaſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Epiphanium, Theodoretum, Chryſoſtomum, Hippolytum, Sophronium, Hieronymum, Gregorium Magnum, Thomam Aquinatem.

VIII. Non jejuna videtur etiam illa ratio, elucubrationis hujus initio diſſerta, & ex auctorum conflictu petita, qui nobis adverſantur. Mirùm quàm varia ſint inter eos de Gallicanis miſſionibus aſſerta, & quàm miſerè ſciſſa critices theoremata, nec ad hos anfractus & euripos & lubricam auctorum ſuorum indolem advertit Diſſertator, cùm iſtud ex Tripode fudit oraculum ſeu regulam toties à ſe decantatam, & à qua ne tantillum quidem deflectendum eſſe velit, ut quis certam inveniendi veri falſique deſtruendi methodum habeat. *Ut de eo quod in traditione poſitum contenditur, diverſis & temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui in teſtes producantur. Deinde ut ſcriptores illi, niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conveniant in teſtimonio quod de re tradita perhibetur.* In Diſſert. 3, & alibi paſſim. Recolat lector, quæ fusè diſſeruimus cap. 2, numero undecimo de mutuo conflictu diſſidioque ſcriptorum, quos ſibi Diſſertator coryphæos adſcivit, & ex illa variantium pugna, qualem advertimus inter Sirmondum, Boſquetum, Petavium, Labbeum, & præ cæteris Gregorium Turonenſem, qui etiam à ſe toties diſſentit, ut vidimus eo loci & alibi; cùm

Digitized by Google

Tertulliano concludet pro nobis in hac materia nullo ſchiſmate ſciſſis : *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum* ; libro de Præſcript.

IX. Ut ſecurus ſub veritate degeret Savinianus (cui nullus veterum primos fidei natales invidit) niſi parem cum aliis certaminis aleam ſubire cogeretur, ex quo Diſſertator novitati, ac deturbandis ſuâque ſede dimovendis aliis pontificibus ſtuduit, jure ſibi poſcit, ut quidquid aliis ſanctiſſimis viris, primariis Eccleſiarum antiſtitibus, in hac celeberrima quæſtione victoriæ & veritatis accrevit ex tot eruditorum lucubrationibus, qui in hac palæſtra ſtrenui decertarunt, & ſincerè palmam retulêre, ei pariter cedat in cumulum laudis & honoris. Nullus eorum qui huic argumento ſuam operam dedêre, officio ſuo defuit, & materiæ dignitati : omnes quà rationum momentis, quâ ſcriptorum auctoritatibus, quâ veterum monimentis, quæ primævam ſedium originem adſtruunt, præſulibus ſuis, ut primarios & ipſi naſcenti Eccleſiæ coævos natales, ſic tandem pacificos, ſilentibus criticorum anteſignanis, aſſeruerunt. In omnes quidem Eccleſiarum noſtrarum faſtos invectus eſt Diſſertator, ut in cætera primarii cleri & regularis decora ; ſed ſtatim invitus ſiluit, & ut olim monebam, quidquid prolis habuit præceps calamus, ſtatim periit in cunis. His proſperis ſucceſſibus aucta videtur res Saviniani, qui ſibi leviori tantùm velitatione ad pugnam accito, certantium aliorum palmas dedititias habet, ut proinde quàm operoſum, tam ſuperfluum foret quæ ſibi proſunt hûc referre.

X. Cætera rationum firmamenta, & majoris momenti, & quæ ſpeciatim Saviniano favent, colliget lector ex tota lucubrationis hujus panoplia, quæ curſim & ſparſim exhibita, collectione ſuâ fortius agerent, niſi prolixitati tædioque caveretur.

Digitized by Google

CAPUT III.

Reſpondetur ad Objectiones contra ſuperius aſſertam Saviniani epocham.

OBJECTIO PRIMA.

Scriptor Anonymus.

PRÆTER ſolutas à nobis difficultates in ſuperioribus §. ut lectori lux major affulgeret, diluenda ſunt alia, quibus Diſſertator ſibi licitum putat opinari non miſſum Senonas à beato Petro ſanctum Savinianum.

Prima Diſſertatoris expoſtulatio §. 4 & 5 ſuæ 2 Diſſertationis eſt, illius ſanctiſſimi præſulis Acta nullius auctoris nomine inſcribi. *Negamus authentica eſſe horum martyrum* (Saviniani & Potentiani) *Acta, quæ ſine auctoris nomine circumferuntur*, pag. 50. Minus æqua videtur Objectio, & ad hominem reſponderi poteſt, quod certè veriſſimum & illius aſſertione comprobatum. Pari telo impetitus fuerat ob Acta paſſionis ſancti Saturnini Tholoſani primi præſulis ab Anonymo conſcripta, cujus ſolius authoritas (ſi Severi periochen excipias) urgetur à Diſſertatore, tamquam palmare argumentum contra nobiliores Galliarum Eccleſias, quæ ſuarum ſedium natalitia figunt ſub Petro & Clemente Romanis antiſtitibus. At tutum ſe credit hoc epiphonemate pag. 6 ſuæ primæ Diſſert. quo ritè monet plura teſtimonia paſſim laudari & indubiæ fidei cenſeri, quibus tamen nullius auctoris nomen præfigitur: *Ergo*, inquit, *nullâ conſideratione digni ſunt nonnulli verſus, quos Apoſtolus ſine auctoris nomine laudavit? Ergo nullâ conſideratione digna ſunt tot veterum ſcriptorum fragmenta, quæ unius Photii ſtudio ac diligentiâ manarunt ad poſteros, & quæ ab eruditis hominibus tam cupidè leguntur?* Quid tum igitur, ô bone, contra vetuſtiſſima Saviniani Acta tamquam ab Anonymo ſcripta criminaris, ſi tot tibi probentur auctores, & cæteris eruditis, quorum tamen nomen deficit, vel numquam inſcriptum, vel à blattis corroſum? Unde contra te

Digitized by Google

regerimus quæ ibidem ipſe allegas: *De auctoris nomine non tam laborandum eſt quàm de operis antiquitate & approbatione.* Utrumque deſiderari in Anonymo ſcriptore vitæ Saturnini videbitur infra: neutrum deeſſe ſcriptori Actorum Saviniani ſatis ſuperque probarunt præmiſſa.

Nec enim cordati eſt hominis & verum amantis tam ambitiosè quæſitis verborum phaleris toties inculcare Turonenſem Gregorium obſidem ſe dare fidei, quæ nutare videtur in auctore vitæ ſeu paſſionis Tholoſani martyris, ex eo tantùm quòd Actorum illorum pericopen ſuis ſcriptis ex vulgi rumore inſeruiſſe videtur, niſi ab alio ſit aſſuta. Si ſingula probavit Gregorius quæ ad aliorum ſenſum retuliſſe ſolùm videtur, quàm à ſe diſſentiet, in hujus etiam rei controverſæ argumento vir tantæ fidei apud Launoium? Inculpatæ vitæ fuiſſe ſentiunt omnes, ſed credulæ ſimplicitatis incuſant, nec ipſe diffitebitur Diſſertator, niſi causâ cadere velit, nobiſque vindicare, & primo Eccleſiæ ſæculo Eutropium Santonenſem, Urſinum Bituricenſem, Gatianum Turonenſem primos antiſtites, & quoſdam alios, de quorum miſſione contraria planè contexuit Gregorius; &, quod mireris, de ipſo etiam Saturnino quem lib. 1 Mirac. cap. 48 ab apoſtolorum diſcipulis ordinatum, & ad Tholoſates miſſum ſcribit; & in lib. 1 Hiſt. cap. 28 eumdem ſub Decio legatum aſſerit, ſi certum ſit ex Launoio eadem ſapuiſſe Gregorio eo loci, quæ ſcriptor Anonymus vitæ Saturnini perperam conſcripſit. Multi ſupereminent obices apud Gregorium ad quos ceſpitare poſſint incauti, nec quiſquam illius ſcripta inoffenſo decurrerit pede, qui eum putaverit omnium quæ ſcripſit vadem ſe dediſſe. Non magis probavit Anonymi Tholoſani de Saturnino ſcribentis periochen, quàm Acta Pilati quæ in lib. 1 Hiſt. Franc. cap. 21 eâ religione retuliſſe videtur quaſi ſibi forent indubia; ſecùs de Actis ſancti Saturnini, quæ ex ſola vulgi exiſtimatione lectori credenda reliquit. Quis tamen non indignabundus audiat cum tota Launoii ſchola veras putaviſse Gregorium aniles illas fabulas, quæ ſub Pilati nomine ad Tiberium Cæſarem circumferuntur? Scio quidem, ut jam monuimus, Acta quædam Pilati Juſtino martyri non ignota fuiſſe, ſed nondum corrupta aut interpolata, ut monet Baronius ad annum 34, num. 29. Quæ vulgavit Gregorius nauſeam movent eruditis & probè ſcientibus, ſed quibus calamum unicè dedit bonâ fide aliorum, non animum. Quæ dicta ſunto tanti

Digitized by Google

viri reverentiâ ſalvâ, tutoque honore tam eximiæ ſanctitatis; & ut vanis Diſſertatoris conatibus occurramus, qui quò tutius ſuggillet Acta Saviniani, probatore ut auctoris nomine deſtituta, quo pari fato multandus eſſet ſcriptor actorum ſancti Saturnini, commodum ſibi putavit ſi patronum ei adſciſceret Greg. Turonenſem, cum veritatis, tum præſulis famæ diſpendio. Sic enim pag. 50 ſuæ 2 Diſſertationis: *Hac Acta*: (ſancti Saviniani) *carent antiquo approbatore, qui quidquid in eis dicitur præſtet, nec ut beati Saturnini Acta parem cum Greg. Turonenſi vadem habent, ſed lectoris erit advertere, quo ſui patrocinio muniat ea Gregorius*, tum de præſtigiis non temerè judicabit.

Cæterùm ſi ſola valerent auctorum ſcripta, quæ certo nomine ſcriptoris inſcribuntur, ingens detrimentum pateretur reſpublica litterarum, quæ tot convaſatis undique codicibus tumet, & antiquis ac nuperis præſtantiſſimorum virorum monimentis inſignitur, quibus auctorum nomina vel negavit modeſtia, vel caſus invidit, aut blattarum morſus conſumpſit. Sed pudet in his immorari, & à Diſſertatore ad has nænias adigi, cui frequentiſſimum eſt ſcriptoribus Anonymis uti, eiſque contra nominatiſſimos doctores abuti.

OBJECTIO SECUNDA.

Primatialis dignitas.

Illam his verbis inſtruit Diſſertator: *Hac Acta poſt Joan. VIII, qui Senonenſibus epiſcopis primatus dignitatem conceſſit interpolata ſunt.* Vix crediderim non viſa fuiſſe à Launoio, ſeu Diſſertatore germana ſancti Siviniani Acta in Viviano cœnobio, & in ipſa Senonum metropoli religiosè ſervata, quæ plurimam ætatem præ ſe ferunt; & quibus Odorannus anno 1024, Clarius 1108, & Gaufridus à Collone 1290 jugiter adhæſerunt; qui ſermonem quemdam de vita & paſſione ſancti Saviniani (ex quo manavit præſens objectio de primatu Senonenſis Eccleſiæ) qui prioribus illis Actis adjungitur, parum amicè nobis obtrudit. In iſtis quæ genuina puto, & de quibus longam ſupra texuimus diſputationem, nulla de primatu mentio: in Legenda verò ſeu Panegyri in qua circumfuſa verborum lacinia tota tumet eloquentia & luxuriatur, hæc unicè verba notantur: *Verùm de Saviniano Galliarum primate à*

Digitized by Google

beato Petro apoſtolo conſtituto, qualiter ad deſtinatum locum veniens, pro juſtitia fidei agonizaverit, aliquantiſper proſequendum eſt. Viri erat benevoli Chriſtianè, & pro veritate ſcribentis non ei fucum hìc inducere, & diſcriminis meminiſſe Acta inter martyrii, & elogium martyris, aut ſaltem non ſubticere nullam in Actis interpolationem de primatu legi.

Hanc de primatu Senonenſi interpolationem in germanis Actis Saviniani à Launoio iniquius objectam, rejicit etiam doctiſſimus Hugo Menardus pag. 22 ſuæ Diatribæ, viſis à ſe tabulis Vivianis & chronicis: [His accedit duplex chronicon MSS cœnobii ſancti Petri Vivi apud Senonas, quod aſſerit eoſdem ſanctos (Savinianum & Potentianum) à ſancto Petro apoſtolo in Galliam directos & Senonibus martyrio affectos. De eorum primatu in Gallias ne gry quidem.]

Hìc ſtare poſſet ad objectam de primatu calumniam reſponſio, mihique non incumbit Acta purgare labis immunia. Sed eruditionis tantùm gratiâ poteſt iterum reſponderi jure potuiſſe metropolitæ Senonenſi, longeque ante Anſegiſum ejuſdem ſedis antiſtitem (quod perperam negat Diſſertator) primatus dignitatem concedi, quam in Eccleſiam olim invectam, & primis ſedibus ſeu metropolitanis indultam probant eximiè ſummorum pontificum epiſtolæ, Anacleti epiſt. 2, cap. 2, & Aniceti cap. 2. Quod item inferre potes ex can. 2 Concilii Taurinenſis anni 397: jus illud honorificum tribuentis civitatibus illis quæ in laterculis imperii metropoles dicebantur, qualis erat, nemine refragante, ipſa Senonum primaria: licet alii diſputent an primatuum origo à dignitate civili ſedium ſeu urbium deduci debeat. Hanc *primatis* acceptionem ipſi naſcenti Eccleſiæ coævam fuiſſe nemo jure negaverit, nec ipſe Diſſertator, niſi velit in Conciliorum canones & primi ævi decretales epiſtolas ultro ſævire. Verùm ne tuta forent à ſuo pumice illa Saviniani Acta, quæ germana non novimus ſicut alia quæ ſubdolè reticuit; aliam impoſuit auctoris vocis hujus *primatis* notionem, de qua vir eruditiſſ. Cangius in Gloſſario, quâ non ſinguli metropolitani, ut olim, ſed illi epiſcopi qui plures provincias & earum metropolitanos adminiſtratione ſuâ complectebantur, primates dicebantur: qui interdum *patriarchæ* appellantur, ut apud Anacletum ep. 2 & *primates* dicebantur *diœceſeos* apud veterem interpretem latinum can. 9, & 17 Conc. Calched. *Præſules omnium ſacerdotum in partibus ſuis*,

in Appendice cod. Theodoſiani Conſtit. 5, ex quo deinde profluxit nova iſta *primatis* ſignificatio, quæ poſtea in alteram ſignificationem detorta, ſola deinceps obtinuit apud canonum collectores, ubi diœceſis ſumitur pro tractu diverſarum provinciarum in unum corpus compactarum.

Nullus ante Anſegiſum (qui fuit monachus Vivi apud Senonas, & ibidem celeberrimus archiepiſcopus) primatûs dignitatem hoc poſteriori modo conceptam ambivit; quam ei & ſucceſſoribus ſuis in toto Galliarum & Germaniæ tractu conceſſam voluit in Conc. Pontigonenſi Joan. VIII; invitis tamen Hincmaro Remenſi & quibuſdam aliis Gallicanis præſulibus. De vicaria illa Romanæ ſedis præfectura nihil objici poteſt à Diſſertatore contra alteram Actorum ſancti Saviniani collectionem, cùm ambigat nemo nullas adhuc in Gallia ante Saviniani tempora fundatas fuiſſe Eccleſias, multo minus erectas diœceſes, quem ejus Chriſtianæ fidei patriarcham agnovit ſemper majorum ætas. Hæc primatialis ſublimitatis decora, quibus donatum & inſignitum ab Anaſtaſio vel Hormiſda Baptiſtam Remigium quidam aſſerunt poſt Hincmarum & Flodoardum, ſpectavit Diſſertator, & pro votis arripuit, ut ſibi ſuppeteret ampla dicendi ſeges & criticandi, nec nos ſuæ ſaturæ invidemus: at cùm certum ſit Pariſienſem, Aurelianenſem, Carnutenſem, Trecenſem & alias ſuæ ſedis ſuffraganeas Eccleſias à Saviniano, cùm à ſe, tum à ſuis erectas fuiſſe, nihil præter verum aut morem aſſeruit vetus illius encomiaſtes, cùm ei primatûs honorem ſuo modo ſumpti conceſſit. Ad ſenſum, ni fallor, Clementis Papæ in epiſt. ad Jacobum, niſi ſit alius ejuſdem auctor, ſed antiquus: eo pariter modo idem Savinianus dicitur *primas* à ſancto Antonino Florentino præſule cap. 25 tituli 6 primæ partis, & laudatus à Renato Chopin lib. 2 de ſacra Politia, pagina mihi 240.

Potuit etiam ſanctus Savinianus dici *primas* habito reſpectu non ſolùm ad epiſcopos ſuæ provinciæ, quibus jure metropolitico præſidebat, ſi jam tum diſtinctæ diœceſes, & ſedis honore potiebantur, quod vix admiſerim, ſed ad cæteros etiam præſules ubique fere Galliarum diſperſos, tamquam Gallicanæ miſſionis coryphæus, & primus ab apoſtolorum principe ordinatus (ſi ſit iſtud concedendum perantiquo chronico Viviano MS, & Senonum traditioni) quaſi inter collegas potior fuerit ordinationis tempore & *primas ævo honoris*, ut de Conſtantio Uzeticæ

Digitized by Google

civitatis epiſcopo loquitur Hilarius Papa epiſt. 8 ad epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ : *Ei qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum epiſcoporum, ob hac quæ pravè facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem, quam ita ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Conſtantium Uzeticæ Eccleſiæ antiſtitem, quia ævo honoris primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus, ut ſi, ſuperſtite Herme epiſcopo, defunctus fuerit, illum hac cura reſpiciat, quem repererit epiſcopalis ordo primatem.* Quibus verbis non aliter concipitur à nobis illa primitialis dignitas, ad alios provinciæ præſules, vel etiam cæteros diverſarum provinciarum ad quos omnes illa dirigitur epiſtola, ſucceſſivè tranſiens ex mandato Papæ, quam penes tempus ordinationis ſingulorum, ex illo forſan vulgari axiomate, *qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Ad eumdem ſenſum intendere potuit idem auctor encomiaſtes ſancti Saviniani, de quo iſta diſſerimus, qui loquens de beato Petro à quo miſſus eſt Savinianus, eum etiam nominat *primatem*, quamvis aliunde dignioribus titulis univerſalis Eccleſiæ primatum acceperit : *Legimus ſiquidem in principio florentis Eccleſiæ à beato Petro apoſtolorum primate, dum ipſe aulæ Romanæ præſidens jura potentis imperii Chriſtianis legibus coerceret.*

Hæc de Actis à Diſſertatore ventilatis dicta ſufficiant, quibus tamen vir aliàs ſuâ famâ digniſſimus immorari non debebat, ſuppreſſis aliis melioris ævi, quæ germana novimus & pura labis, in quibus deſideratur illa *primatis* nomenclatura. Par eſto judicium de aliis nævis, de quibus abundè rhetoricatur; quos tamen citra verum affingit veris & probatis noſtræ traditionis monimentis, à quibus ſpuria longè recedunt.

Hunc ſcriptitandi morem ſibi familiarem fuiſſe plures conqueſti ſunt, & quamvis intacta velim nobiliſſimi ſcriptoris decora, vix prætereunda tantæ rei probatio, ut prorſus commoda de quo quærimus argumento, & evincendæ pariter objectioni proximæ ex Litaniis petitæ, quam mox expendemus, in qua etiam quidquam ingenioſæ mentis detegitur. Quorumdam hac de re queſtus hîc aperiam, ſed tacitis eorum verbis, quæ nec Chriſtianum decent, nec theologum, & quibus non adhæreo.

Anxiè laboravit Diſſertator, ut probaret ævo Chlotarii primi & Sigiberti regum nullum ab eis monaſterium conditum fuiſſe ſub titulo ſancti Medardi ad muros Sueſſionenſes, ſed ſolam Baſilicam, id ſibi ratus, ut ſemper aliàs, ex Greg. Turonenſis ſilentio. Eò potiſſimùm collimabant ſtudia partium in doctiſſima

doctiſſima Diſſertatione pro Sammedardenſium cœnobitarum privilegio à ſancto Gregorio magno conceſſo ; nec oſcitantiæ & perfunctoriæ inquiſitionis arguendus eſt Diſſertator, nactus adverſarium ſibi viribus parem, prioribus contra ſe victoriis clarum, & eruditorum epiniciis celebrem. Ne Quatremario tamdiu cederet, arte ſibi quæſivit quod ſinceræ diſputationis genius denegabat, diſſimulans & excidens quæ decretoria litis momenta videbantur, ut ſibi nociva : theſin hanc ſibi probandam adſciverat Diſſertator Commento 4 : *Nullus eſt auctor Gregorio Papa vetuſtior, nullus æqualis, nullus ætate ſuppar, qui ſancti Medardi Baſilicam appellet monaſterium.* In recenſione auctorum qui Baſilicæ illi *monaſterii* nuncupationem conſtanter denegarunt, ut ſcribit, allegat Eghinardum in Annalibus de geſtis Ludovici Pii : [Anno 826 dum hæc aguntur, Hilduinus abbas ſancti Dionyſii martyris Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio ſanctæ ſedis apoſtolicæ tunc præſule, oſſa beatiſſimi martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & ea apud Sueſſioniam civitatem *in Baſilica ſancti Medardi* collocantur.] Hæc quidem commoda ſibi : ſed non neſcivit oculatus ſcriptor eumdem Eghinardum alibi pluries ſcripſiſſe eamdem Medardi Baſilicam monaſterium eſſe, ut in Opere quod de tranſlatione ſanctorum Marcellini & Petri compoſuit : libro enim 1 cap. 2 : [De Aquiſgrani palatio profecti .... Auguſtam Sueſſorum venerunt, ibique cum Hilduino abbate *in monaſterio* ſancti Medardi loquuti ſunt.] Lib. 2 cap. 5 : [Cum Hilduino loquutus, conventione factâ inter nos, quando ſacræ mihi reliquiæ redderentur, duos clericos de domo noſtra ...... ad recipiendas eas Auguſtam Sueſſorum pergere juſſi ...... Qui ubi *ad monaſterium* ſancti Medardi in die Palmarum veniſſent, per triduum ibi morati ſunt, & recepto illo, propter quem miſſi fuerant, incomparabili theſauro, comitantibus ſecum duobus ex eodem *monaſterio* fratribus, quantâ potuerunt celeritate ad palatium reverſi ſunt.] Iſthæc invidit veritati, quæ tam operosè ultro citroque agitabatur, doctor percelebris.

Pari ſuæ fidei deſiderio notatur in eodem agitatæ litis argumento, ut probaret eamdem ſancti Medardi Baſilicam ævo Chlotarii, aut ſaltem Sigeberti ejus filii nondum monachalem fuiſſe : teſtem accivit auctorem vitæ ſancti Medardi, quem alii Fortunatum Pictavienſem, alii Ratbodum Nivernenſem

Digitized by Google

epiſcopum deſignant. Periochen totam vir probè ſincerus, ut litis deciſivam, allegare debuerat. Ex ea decidit ſibi profutura, » cætera mutilavit. Integram damus : [Cujus (ſancti Medardi) » ſententiæ obſtinato rex animo reſiſtens, Sueſſionis eum con- » ſtituit transferendum, aſſerens ſe ſuper corpus ejus *Baſilicam* » decenter ædificaturum.] Huc uſque Launoius ſibi maximè prudens, ſed ſuæ laudatiſſimæ famæ minimè cavens, minuſque veritati, cui mirabilibus effatis ubique operum ſuorum ſe totum addicit. Nam immediatè pergit auctor : [Et ad laudem & gloriam divinæ Majeſtatis *cœnobialem* ſervorum Dei regulam ordinaturum.] Quid ad hæc reſpondeant Launoio ſeu Diſſertatori noſtro ſolemnibus votis addicti, me latet.

Pejus adhuc impegiſſe videtur, *cùm in monachos parum æquus*, qui ſuo pumice nævos ejus abſterſerant Pariſiis & Cænomanis, quos tamen prius ipſis Eccleſiæ tholis appendebat, hanc ex Auguſtini dictatis, ſed decurtatis, ſententiam conſuit : *Aliquando bonus monachus vix bonum clericum facit.* Quidquid indecori malè laudata pericope præ ſe ferat, videat lector apud Quatremarium art. 5 propugnati privilegii ſancti Medardi Sueſſionenſis anno 1659. Ibi ſuas eclypſes toti mundo palam eſſe voluit Diſſertator : ſed ſi quid humanum admiſit, illud condonandum dolori tædioque quòd à quatuor benè ſenſatis monachis Germano Milleto, Hugone Menardo, Rob. Quatremario & Vincentio Bondonneto ſic ad incitas uſque ſit actus, ut ne mutire quidem poſtea ſit auſus. Non minus ob ſimiles artis & affectatæ reticentiæ technas adverſus eum ſteterunt clariſſ. viri Hadrianus Valeſius, Johan. Bapt. Thierſius, Norbertus Caillocius, aliique. Dixi *in monachos parum æquus* : cur enim inſignia certè clericorum decora, jure conceſſa & à nemine controverſa, monaſticæ religionis diſpendio laudibus proſequi, & injuriæ vadem Auguſtinum alia cogitantem accire, falſoque commentario veritati illudere ? Nulla mihi in hac lucubratione de Benedictinis cura ſpecialis, quibus à cunis Ordinis inſitus clericatus : ſed monaſticen quaqua ſe latius effundit per univerſas orbis Chriſtiani Eccleſias, veneror, meque tædet ſtatum ſuorum ſanctimoniâ clariſſimum gratis impeti. Non potuit ſuâ ſponte ſævire Launoius tantâ litterarum ſuppellectile dives, ut neſciat monachatum qui ſolus eſt in Eccleſia Orientali epiſcoporum ſeminarium & cœlibatûs propago, ſemper clericis omnibus propoſitum fuiſſe, ut abſolu-

tiſſimum clericalis perfectionis exemplar, & ad quem tam ſæpe poſthabitâ, vel repudiatâ, tandemque derelictâ primarum ſedium dignitate, ſtrenui convolarunt, vel quos ſibi præeſſe flagitabat Eccleſia, vel quibus jam promotis, votis omnibus incumbebat. Proſtant ubique gentium tantæ veritatis monumenta, ut nunc pudeat monaſticæ profeſſionis oſores (ut jam id ætatis ſpectabilis eſt) invidioſæ felicitati toties obſtrepere, & temerè collectis quibuſdam locis communibus & Patrum effatis eo tempore dictatis, quo nec Eccleſia tunc agonizans, nec monaſtice ipſi fere coæva ſuo nondum ſplendori, qui nunc eſt, adoleverant. Quot clericos quotidie cernimus (ſed nullâ prorſus injuriâ cleri) quorum vix noti natales paupere penu, ſiliquis & pane ſecundo victitantes, aut *quibus paternum ſplendebat in menſa tenui ſalinum*. Dic quæſo, ſodes, præſtat ex tuguriolo, ex molendinis, aut ipſis cerdonum officinis & mangonum tabernis cleri munia ambire: an ex ipſis ſacris monaſteriorum receſſibus, & ampliſſimis abbatiis, in quibus olim principes & reges adolevêre, ad ea rapi, trahi, cogi? Si nihil diſcriminis interſit, nuſquam pudebit monachos originis ſuæ, minus amabunt prævalere & dominari in cleris ſub divino capite, quod tam imperioſè pedes ambivit. Sed preſſius ad rem. Horat.

I. Rem decidiſſe videntur, & in monachatûs præſtantiam, ſanctitatem & decora conceſſiſſe Patres Concilii Tolet. 4 can. 49 qui corpori canonum eſt inſertus 19, q. 1, cap. unico: *Clerici qui monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem viam ſequi cupiunt, liberos eis ab epiſcopis in monaſteriis largiri oportet ingreſſus.*

II. Non aliter Gelaſius Papa I. loquens de laicis & monachis clericatûs & cæterorum Eccleſiaſticorum graduum candidatis, dum ad eos convolant & concurrunt. Illis temporum interſtitia ſtatuit & deſignat: iſtis nonnihil relaxat, ratione ſui ſtatus, cujus excellentiam teſtatam voluit in epiſt. ad epiſcopos Lucaniæ, &c. [Tam inſtituendi quàm promovendi *clericalis officii* ſic ſpatia diſpenſanda concedimus, ut ſi quis de *religioſo propoſito & de diſciplinis monaſterialibus* eruditus ad clericale munus accedat, imprimis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, &c. Si his omnibus quæ ſunt prædicta fulcitur, continuò lector, vel notarius vel certè defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat acolytus, maximè ſi huic etiam ætas ſuffragatur: ſexto menſe ſubdiaconi nomen accipiat: ac ſi modeſtæ converſationis honeſtæque voluntatis exiſtit, nono

Digitized by Google

„ menſe diaconus, completoque anno ſit presbyter: cui tamen „ quod annorum interſtitia fuerant collatura *ſancti propoſiti* ſpon„te ſuſcepta doceatur præſtitiſſe devotio. Si verò de laicis „ quiſpiam Eccleſiaſticis eſt aggregandus officiis, tantò ſolici„tius in ſingulis, quæ comprehenſa ſunt, hujuſmodi decet exa„minari perſonam, quantùm inter *mundanam*, *religioſamque* „ vitam conſtat eſſe diſcriminis, &c. Quorum promotionibus „ ſuper anni metas ſex menſes nihilominus ſubrogamus, quo„niam (ſicut dictum eſt) *diſtare convenit inter perſonam divino* „ *cultui deditam, & de laicorum converſatione venientem.*] Plura videſis Diſt. 82.

III. Nihil inſuper quidquam opponet Diſſertator in depreſſionem monaſticæ perfectionis, quam abjectam optat, ut clericalem attollat (quam nos etiam proni veneramur) huic celebri Urbani ſecundi Papæ effato quod refertur 19 q. 1. Pluribus canonibus tumet juris pontificii corpus, prohibentibus *alienum ne quis clericum invito epiſcopo ſuo ſuſcipiat*, ut ait Leo epiſt. 84: ſi tamen ſecus ſuadeat majoris acquirendæ perfectionis ſtudium & amor, ad monachalem ſtatum tranſeundo; illud etiam invito proprio epiſcopo poſſe fieri ſic pontifex edi„cit cap. 2 *Duæ ſunt*: [Si quis horum (clericorum) in Eccleſia „ ſua ſub epiſcopo populum retinet, & ſæculariter vivit, ſi af„flatus Spiritu ſancto in aliquo monaſterio vel regulari cano„nia ſalvare ſe voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ra„tio exigit, ut à lege publica conſtringatur: dignior eſt enim „ lex privata quàm publica...... Quiſquis igitur hoc ſpiritu „ ducitur, etiam epiſcopo ſuo contradicente, eat liber noſtrâ „ authoritate.] Certè monaſticæ profeſſionis præſtantiam non jejunè probaſſe videtur Auguſtinus ipſe epiſt. 78, alias 137, „ ſcribens de monachis ad amuſſim viventibus: [Simpliciter „ fateor caritati veſtræ coram domino Deo noſtro, qui teſtis „ eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomo„do difficilè ſum expertus meliores quàm qui in monaſterio „ profecerunt; ita non ſum expertus pejores quàm qui in mo„naſteriis ceciderunt.] Eum inter meliores illos optimum jure dixeris qui verè monachus fuit (ut non ſemel innuit Bellarminus aliique) & monaſticæ vitæ ſtrenuus defenſor, immò propagator in Africa; unde ſumpſit occaſionem Petilianus eum arguendi eo planè modo, quo hujus temporis ſectarii cæteros Ordinum religioſorum fundatores ſubſannant. Audiendus ipſe

Digitized by Google

Auguſtinus Petiliano reſpondens, & poſt eum Poſſidius in ejus vita. Primus cap. 40 libri 3: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monaſteriorum & monachorum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potiùs toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit.* Ad quæ verba doctor Lovanienſis & ſcholiaſtes notat ex Poſſidio quæ ſequuntur, quibus evidens fit ſcholam monachorum Auguſtini, cui præerat ipſe, non ſolùm *bonos clericos*, ſed plures etiam epiſcopos, monaſticis prius diſciplinis imbutos, Eccleſiæ ſubminiſtraſſe. [Poſſidius in vita beati Auguſtini cap. 5, ait eum preſbyterum factum intra Eccleſiam Hipponenſem monaſterium inſtituiſſe, quod cap. 11 ejus curâ & inſtitutione admodum creviſſe, viriſque optimis & doctiſſimis floruiſſe teſtatur, ut ex eo loco decem numero ad epiſcopalem dignitatem expetiti & provecti fuerint, qui & ipſi ſuis quique locis monaſteria erexerint. Meminit ejuſdem monaſterii ſui, & Auguſtinus lib. de Dono perſeverantiæ cap. 15. Hoc ergo Auguſtini factum reprehendit etiam inter cætera Petilianus. Fuiſſe autem olim monachos Donatiſtis exoſos, ab eiſque exagitatos teſtis eſt Auguſtinus tom. 8 in Pſal. 132: *Dicere*, inquit, *conſueverunt: Quid ſibi vult nomen monachorum?* Et infra: *Quid ergo dicunt illi qui nobis de nomine monachorum inſultant?* Et aliquantò poſt: *Meritò inſultant nomini unitatis, qui ſe ab unitate præciderunt: meritò illis diſplicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus; ſed ſequentes Donatum, Chriſtum diviſerunt.*] Hæc pro ſe ſuiſque collegis monachis Auguſtinus, qui cùm clerici ſimul & monachi fuerint, non eos ſpectaſſe dicendus eſt in illa pericope, quam truncatam minus ſincerè laudavit Diſſertator, & præter Auguſtini mentem, qui quâ ratione ſic ſcripſerit contra quoſdam ſui propoſiti deſertores colligere licet ex contextu epiſtolæ ad Aurelianum epiſcopum, & ex ſerm. 52, & 53 qui veri genuinique fœtus Auguſtini numerabantur olim inter fictitios ad Fratres in eremo.

Inter hæc advertere juvat duo genera monachorum cœnobitarum nota fuiſſe Auguſtino. Primi ſuique commenſales & quos in ſuperioribus à ſe dictatis potiſſimùm intendit, monaſticis & clericalibus diſciplinis erant addicti, quos aliquando *monachos*, ut in expoſitione citata Pſalmi 132, & contra Petilianum & alibi, & plerumque *clericos* nominat, ut in ſermo-

nibus mox laudatis, & in epiſtola 76 à Diſſertatore infidè citata. Victu communi, eodem penu & contubernio juratæ paupertatis & obedientiæ, præter cœlibatum, ſacramento adſtricti ſimul degebant in monaſterio; & monaſticen illam, clericalibus tamen muniis conſpicuam, & Eccleſiarum utilitatibus deditam profitebantur, quam Donatiſtæ ſic exoſam habebant, ut eis *monachi* nomen exprobarent. Non aliud fuit Benedictinorum inſtitutum, ut inter alia ex Gregorii primi & Bonifacii quarti ſummorum pontificum epiſtolis & decretis perſpicuum eſt: & abundè probavimus olim in Obſervationibus noſtris ad octo libros Sententiarum Roberti Pulli S. R. E. Cardinalis & Cancellarii, ad quas ne parergo iſto longior fiat excurſus, lectorem remittimus, pag. 293, &c. editionis Pariſienſis anni 1655.

Alii cœnobitæ itidem & monachi, quorum inſtitutum miris etiam attollit laudibus Auguſtinus, cleri munia decoraque nec avebant, nec obibant, niſi (cùm communis Eccleſiæ utilitas ſecus expoſceret) prælatorum imperio reluctantes, & nonnumquam fugientes, qui probitate & ſcientiâ cæteris anteibant, ad infulas raperentur. Cujus generis monachos monet Auguſtinus ſcribens ad Eudoxium abbatem inſulæ Caprariæ: *Ut ſi quam eorum operam deſideraverit mater Eccleſia, nec elatione avidâ ſuſcipiant, nec blandiente deſidiâ reſpuant*; epiſt. 48 nuperæ edit. monachorum Congreg. ſancti Mauri, aliàs 81, inſuper addit, & fortè contra Launoium: *Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis.*

Has monachorum angarias & impulſus ad primarias Eccleſiæ dignitates, ipſis ſemper obtinentibus, neſcire non potuit Diſſertator planeque convincere quantùm decoris & utilitatis ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis ad hierarchicas functiones monachatus attulerit. Teſtis ſtupendus ille prælatorum numerus, & quos inter eximios ſemper Eccleſia recenſuit; quos è ſacris monaſteriorum receſſibus ad primarum ſedium gubernacula compulit: nec exotica dominandi in cleris cupido monachos alliciebat per id etiam ætatis, quo à primævo inſtituti ſui vigore plures deſciverant, cùm in œcumenico Viennenſi Concilio neceſſarium habuerit Clemens V ſtatuere iſthæc: *Ad ampliationem cultûs divini quòd monachi quilibet ad monitionem abbatis ſe faciant ad omnes ordines, excuſatione ceſſante legitimâ, promoveri.*

Nuſquam igitur, niſi diſpendio veritatis, aut certè monaſticæ profeſſionis, dici potuit à Launoio & cæteris oſoribus divum Auguſtinum clericalem militiam cum depreſſione religioſiſſimi ſtatûs commendaſſe: ſed potuit ille (quod omnes fere ſectarii antiquioris ævi & recentioris) de monachis ſenſiſſe, quæ de illis, maximè Benedictinis, ſpargebant alii quidam eorum æmuli ſub Bonifacio IV, ad annum 610, eos ſcilicet ſacerdotali officio indignos eſſe, contra quos Bonifacius in Concilio Romano hæc decrevit: [Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo « amaritudinis quàm dilectionis inflammati, aſſerentes mona- « chos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali « officio indignos, neque pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu « abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam « gratiam. Sed omnino falluntur: nam ſi ex hac cauſa veteres « æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ ſedis compar B. Gre- « gorius monachico pollens cultu, ad ſummum apicem nulla- « tenus conſcenderit, cui ſolvendi ligandive poteſtas conceſſa « eſt. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſci- « pulus, Anglorum prædicator egregius, & Pannonienſis Mar- « tinus, aliique quamplurimi viri ſanctiſſimi in pretioſorum mo- « nachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali « ſubarrharentur. Neque enim Benedictus monachorum præ- « ceptor hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos dixit « ſæcularium negotiorum expertes eſſe debere, quòd quidem « apoſtolicis documentis, & ſanctorum Patrum inſtitutis, non « ſolum univerſis, verùm etiam canonicis ſummopere impera- « tur, &c. Decertantes igitur contra monachos hac in re ſa- « cerdotalis potentiæ arcere officio, præcipimus ut ab hujuſce- « modi nefandis auſibus in poſterum reprimantur, quia quantò « quiſque excelſior, tantò potentior.] Hæc Bonifacius Papa, « cujus decreti authoritatem ne quis ſuſpectam habeat ex hac voce *canonicis*, quaſi vix nota tunc ætatis, eamdem habet, qui tum ſcribebat Greg. Turonenſis.

Et Arelatenſe Concilium ſub titulo Concil. Arelat. IV. in editione Labbeana pag. ſeu col. 1624 tomi 4 ad annum 524: [Providendùm neceſſe eſt unicuique epiſcopo qualiter canonici vivere debeant, necnon & monachi ſecundùm ordinem canonicum vel regularem vivere ſtudeant, ut ait Apoſtolus: *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.*]

Iſthæc, fateor, ab objectionis propoſitæ ſolutione nonnihil

deflectunt, pro qua tantum arguendus erat parum ſinceræ fidei Diſſertator, & ejus ſcribendi indoles aperienda, quæ lectoribus palam eſſe debet, ne ceſpitent ad offendicula quæ poſuit contra certos natales Eccleſiæ Senonenſis ſub apoſtolorum principe & Saviniano. Verùm cùm inſuper jejunè nimis ſentire videatur de monachis, quaſi præter monaſticas dotes clericalibus eſſent indigni, nec iis affecti, per hanc digreſſionem congrediendum utcumque fuit cum adverſario notiſſimæ famæ; qui licet errare nec ſeduci potuerit in re ſibi perſpicua, alios ſeducere poſſet qui minùs veritati quàm Launoii nomini litant, ſi me centies experientia non fefellit.

Nec ſilendum fuit in tanto ſannarum profluvio pene quotidiano, quo totam monaſticen mergi vellent alii quibus ejus immunitates, exemptiones & privilegia non arrident; eadem crebris inſultibus refricantes, quæ ex Auguſtino & Bonifacio Papâ vidimus, quibus olim hæretici primos manachos exagitabant, qui jam Eccleſiæ clavo regendo, publicis ſacerdotiis, animarum ſaluti, infidelium converſioni cùm verbo tum exemplo, & ſacramentorum uſui, cæteriſque hierarchicis functionibus impenſius incumbebant. Quos inter ſeſe parum canonicè ſignavit Gabriel Pennotus lib. 2 Hiſt. Clericorum Regularium cap. 18 dicens: *Sancti Benedicti regulam non ut clericis, ſed ut laicis præſcriptam fuiſſe, in qua de clericis monachis ne verbum quidem habeatur.* Quibus verbis livori ſimul & errori conceſſiſſe videtur, ut ipſa capitum regulæ demonſtrat textura, præſertim 60 & 62, quem proinde Franc. Bivarius S. Theol. doctor graviter reprehendit §. 4 ſui Apologetici pro Lucio Dextro. Inter plurima quæ reponi poſſent ſtatim à geneſi Ordinis contra hunc errorem hiſtoriæ monumenta, ſufficiat brevitatis gratiâ ſuperius decretum Bonifacii IV, & celebris Benedictinorum monachorum apparatus pro converſione Anglorum ſub Gregorio magno, quem neſcire potuit Pennotus, ſi non aliter legit Gregorium aut Bedam, quàm Benedictum. Si non clerici, ſi non epiſcopi, ſi non metropolitani & primates tunc temporis Benedictini, quî fieri potuit, ut ad ætatem uſque Roberti de Monte, qui floruit anno 1150 ex 17, ſedibus epiſcopalibus in Anglia, octo fuerint canonicorum ſæcularium, octo monachorum Benedictinorum, & una tantùm clericorum regularium ſancti Auguſtini? Sic enim ille in Appendice ad chronicon Sigiberti ad annum 1151: *In Gualia 4 epiſcopatus; in Anglia 17: in octo*

corum

eorum ſunt monachi in epiſcopalibus ſedibus . . . . . . Ideò in Anglia reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, ſcilicet Auguſtinus, Mellitus, Juſtus, Laurentius monachi fuerunt. In aliis octo epiſcopalibus ſedibus canonici ſæculares. In uno canonici regulares. Ex illis octo monaſticis & pontificalibus ſedibus erat primatialis Cantuariæ, de qua pro Roberto teſtimonium perhibens veritati Baronius ad annum 1170, quo in ea martyr occubuit ſanctus Thomas, ſic ſcribit : *Eodem quoque anno Eccleſia Cantuariacenſis poſt ſublatum è medio ſanctum Thomam fluctuare cœpit, cùm videlicet ejuſdem Eccleſiæ monachi cathedrales ſucceſſorem eligerent.* Sed hæc miſſa fiant, quæ fortè conflare poſſint aliorum invidiam, & minùs ſenſatis odii fomitem miniſtrare.

Paucis iterum convenio Diſſertatorem ; & ut in gratiam redeat cum monachis, quos clericatûs vellet extorres ; contra vim antimonii amuletum exhibeo. Semper ei præ cæteris inſigniter ſapuit Gregorius Turonenſis, cui ſive ſcribenti, ſive tacenti pronus acquieſcit : apud quem ſi videat *clericum* & *monachum* voces eſſe ſynonimas, nihil impoſterum monachatui detractum volet. Diu eſt quod fauſtum precor manibus Launoii ; ſed ejus intereſt, ut quibus præivit & errandi lubricum fecit, ad veri orbitam reducantur. Gregorii teſtimonia plenâ manu protulêre viri duo doctiſſimi, ſed aliò collimantes, Robertus Quatremarius & Johannes Mabillonius. Ne ſim nimius recenſendis iis ſuperſedeo ſeu referendis, ſed loca ſolùm indicabo uti citantur à priore ad cujus claſſicum palpitabit ſemper Diſſertator. Ea videant ejus ſequaces : libro primo Miracul. cap. 76 ; lib. 2, cap. 28 ; eodem lib. cap. 35 ; lib. de Vitis ſanctorum Patrum cap. 3 ; lib. 5 Hiſt. cap. 19 ; lib. 7, cap. 22 ; lib. 10, cap. 31, &c. Iſta legeſis in propug. Privilegii ſancti Germani Pratenſis apud Lutetiam, art. 25. Ex quibus omnibus nemini non patet nullum prorſus Gregorio diſcrimen fuiſſe *clericum* inter & *monachum*, ut qui jam eadem inauguratione Eccleſiaſticis muniis præficerentur : quæ licet ævo Dionyſii Areopagitæ non ita cohærerent, vix tamen inter utrumque, quantùm ad ſanctimoniam morum & perfectionis ſtatum, diſcrimen agnoſcit Eccleſ. Hierarchiæ cap. 6 : *Debet monachus in ſacro ſtatu ſacerdotales ordines ſequi : ad ſacerdotalem quantùm fas eſt, vitam efformare, tamquam qui præ cæteris initiatis cum hoc ordine in plurimis conveniat, majoremque affinitatem habeat.* Quam mox inſuper oſtendit ex *oſculo*, in conſecratione mona-

Digitized by Google

chi ſibi dato à conſecrante : *Ex hoc*, inquit, *intellige virorum deiformium ſocietatem.*

Sed ut ad primariæ objectionis ſolvendæ ſcopum redeat oratio, cætera proſequamur, quæ nonnihil ſuſpectum arguunt Diſſertatorem, & cui proinde minus fidere debeat lector in iis quæ contra nos objicit. Premebatur egregiè teſtimonio Oroſii lib. 7 Hiſt. relato fideliter à Milleto, & à nobis ſuprà, ſed hîc iterum repetendo, ſi lector ignoſcat. Sic : [*Primus Nero Chriſtianos ſuppliciis affecit, ac per* omnes *provincias pari perſecutione excruciari imperavit.* Videns Diſſertator Galliam nobiliſſimam tunc imperii Romani provinciam excludi non poſſe à teſtimonio ſenſuque Oroſii, & Neroniano gladio obnoxiam fuiſſe ; ſicque ruere millies decantatam Severi Sulpicii periochen de ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta, niſi vocem illam *omnes* ab Oroſii textu ſubmoveret : ſibi licitam putavit mutilationem illam, & ne noceret Oroſius, *diverſas* ſubſtituit, ſic eum citando : *Hinc apud Oroſium lib. 7 Hiſt. edicit Nero, ut per* diverſas *imperii provincias, &c.* Sic nodum Gordium ſolvit olim Alexander M. Nihil magis in votis habuit Diſſertator in quæſtione, quam omnium celeberrimam agitavit de vera ſedium epiſcopalium in Gallia fundatione, & Chriſtianæ religionis intra fines illius exortu, quàm ut Severi & Greg. Turon. ſenſum litis hujus decretorium eſſe oſtenderet, quòd ubique libellorum ſuorum improbo labore conatus eſt adſtruere : ſibi tamen cernens Oroſium planè contrarium, auctorem cæterà clariſſimum, ubique probatum, & ab Auguſtino præſertim, eruditionis famâ & ſcientiâ temporum nemini ſecundum, ſynchronum Severi, ſuiſque regulis (quas oppidò finxit, ut Severianam aut Gregorianam epocham commendaret) probè cohærentem : eò deſperationis actus eſt nihil habens quod reponeretur, ut ſibi tanti nominis viro, minus fuerit Oroſii mutare textum, quàm obſequi veritati. Ex ungue Leonem, ô lector ; ut hîc ſubjici poſſit illud Senecæ lib. 1 de Ira : *In malè cæptis honeſtior illis videtur pervicacia, quàm pænitentia,* ut jam diximus.

Inſinceræ fidei compertum adhuc videas Diſſertatorem in re quæ neminem latet inter eruditos ; & quid ſimile Cointius ſupra moliebatur contra Diploma Chlodovæanum, dum illud aſſeruimus. Launoium inter & Quatremarium agebatur de Privilegii Sammedardenſis epocha. In nupera illius editione ty-

Digitized by Google

pographi vitio mendum irrepſerat,quo malè concurrit Indictio 11 cum anno Domini 594. Noverat Diſſertator editiones annorum 1518, 1523, 1542, 1551, 1558, in quibus omnibus reſcripto Gregoriano verus affigitur chronologicus character, annus ſcilicet 593, & Indictio 11. Noverat Baronium ſic veritati caviſſe & reſcripto conſuluiſſe tom. 8 Annal. notam ſeu datam referens ex ſuo codice: *Datum 7 Cal. Junii anno ab Incarnat. Domini quingenteſimo nonageſ. tertio. Ita veteres codices habent, & non nonageſimo quarto, ut recens habet editio.* Noverat vir oculatus & bibliothecarum Pariſienſium reclinatoriis ſtudioſiſſimè pronus, codicem MS. inſignis abbatiæ Sanvictorianæ, in quo eadem quæ Baroniano chronica nota conſignatur: ſed, proh facinus, vidit & allegavit editionèm illam 1508, pag. 18 Inquiſitionis ſuæ, in qua diſertè notatur annus 593 cum Indictione 11; maluit tamen, inquit Quatremarius pag. 326, ex aliis mendoſis editionibus ubi per typographiæ erratum 594 legitur, emendicare quod conviciaretur, quàm veritati lectæ, intellectæ, agnitæ acquieſcere, ut criticen ſuam hoc epinicio bearet: *Fraus ultima eſt in ultimis verbis Privilegii*: Datum 7 Cal. Junii ab Incarnatione Domini 594 Indict. 11: *Apud Annales Eccleſiaſticos Indictio* 11 *in annum Chriſti* 593 *incidit, non in annum* 594. *Hæc eſt falſitatis nota quâ Privilegium concluditur, & concluſum in Morboniam amandatur.* Non dolendum veritati ſub tam infido inquiſitore?

Vis aliud mirandæ ſinceritatis exemplum. De eo conqueruntur ex æquo Quatremarius & Cailleucius Sammartinianus Laudunenſis. Par illis cum Diſſertatore contentio circa privilegia Eccleſiarum regularium omnimodâ juriſdictione gaudentium. Commodam ſibi putavit Launoius Clementinam *Archiepiſcopo*, ſed in ea timens offendiculum ſibi, hæc verba *ſine pontificalibus* à Patribus Concilii jure conſcripta, prorſus exſecuit, dum Clementinam illam ſuis partibus allegavit pagg. 214 & 277 ſuæ Inquiſit. Quo jure, quâ fronte? Cenſeant alii. Vix profero verba Quatremarii pag. 90 Privilegii Sammedard. propugnati. [Vidit ipſe (Diſſertator ſeu Inquiſitor) Clementinam; ſed vidit, utpote ſatis oculatus, Clementinam negare hanc epiſcopo facultatem iſtâ ſententiâ: *Faciant in ſua præſentia ſine pontificalibus celebrare.* Quid ageret? Pugionem arripuit & foſſorium; manum canoni violentam intulit, qualem divinis ſcripturis ſcelerata Marcionis & ſequentium deinceps

» uſque ad Blondellum & ſodales, hæreticorum ſchola noſci-
» tur intuliſſe. Voces quas illic poſuerat Spiritus ſanctus, pari
» audaciâ confodit, evulſit, laceravit.] Taceo reliqua quæ famæ viri de litteris meritiſſimi ſubtrahi debent.

Alia plagii expoſtulatione accerſitur, nec diſſimulari poteſt, quod in regulares ſuâ ſponte non propenſus, cùm aliquid de illis ſcribendum occurrit, veritatis candorem palam non fecerit. In ejuſdem Inquiſitionis ſuæ pag. 230 & ſeq. ut probet regulares omnes indiſcriminatim exemptos & non exemptos epiſcopis eſſe ſubditos ex vi promiſſionis ſuæ cum ſacerdotio inaugurantur, profert promiſſionis formulam in pontificali Romano
» à Clemente VIII, his verbis conceptam : [Si verò pontifex
» non eſt ſuus ordinarius, dicit ſingulis cùm manus eorum in-
» ter ſuas tenet, ut præfertur : *Promittis pontifici, vel prælato*
» *ordinario tuo, pro tempore exiſtenti, reverentiam & obedientiam?*
» Et ille reſpondet, *promitto.*] Ex quo publico ſacramento perjuros arguit preſbyteros regulares exemptos, aut minus benè poſitam formulam illam promiſſionis, quam exprimere ſeu profiteri debeant exempti, & ad quam tamen non teneantur. Verùm hîc duplex infidæ mentis argumentum. Primò enim parentheſin vel virgulas quibus clauduntur hæc verba, *vel prælato*, expunxit Diſſertator, non neſcius quam hîc vim habeat disjunctiva particula, *vel*, diſcrimen arguens inter *pontifici*, & *prælato* : quæ vox poſtrema ſuperflua eſſet, ſi nullum intercederet. Hanc etiam vocem *ordinario*, communem eſſe *pontifici* & *prælato*, ita ut genuinus ſenſus hujus formulæ promiſſoriæ ſit iſte : *promittis pontifici ordinario tuo*; pro ſacerdotibus non exemptis : vel, *promittis prælato ordinario tuo*, pro preſbyteris exemptis ſive regulares ſint, ſive ſæculares, ut vocant.

Alterum quo ſe iterum prodit Diſſertator, & quod nullo pumice poſſit elui, in eo potiſſimùm occurrit, quòd ſuos lectores (qui temerè jurant in verba magiſtri, nihilque ipſius umquam diſcutiunt) celare voluerit, ſuæ prorſus contrariam, Eccleſiæ Romanæ ſententiam circa regulares exemptos, quam ſic disertè profitetur in eodem pontificali nuperæ recognitionis per Clementem VIII, & Urbanum itidem VIII, ut me puderet ejus hîc verba dare contra doctorem, mihi cæterà gratiſſimum, niſi obſervantiæ, etiam juratæ, veritas prævaleret. In quo libro diſtinctam legis formulam benedicendi abbatem non exemptum, ab ea qua ibidem benedicitur exemptus : aliam prioris,

& aliam poſterioris profeſſionem. Sic enim pag. 136 pro exempto interrogatio : [Vis ſanctæ matri Eccleſiæ Romanæ, ac « ſanctiſſimo domino noſtro N. ſummo pontifici, ejuſque ſuc- « ceſſoribus fidem, ſubjectionem, obedientiam & reverentiam « devotè & fideliter per omnia perpetuò exhibere ? R. Volo. « Si verò benedicendus, exemptus non eſt ; neque auctoritate « apoſtolicâ, ſed ab ordinario ſuo pontifice benedicitur ; poſt « prædictas omnes interrogationes ſubjungitur etiam ſequens, « *quæ aliàs omittitur, quando benedicendus eſt ab ordinaria juriſdictio- « ne exemptus.* Interrogatio : Vis ſanctæ Eccleſiæ N. (nominan « do Eccleſiam patriarchalem, metropolitanam, ſeu etiam ca- « thedralem, cujus prælati juriſdictioni electus abbas ſeu ejus « monaſterium ſubjecti exiſtunt) mihique ejuſdem patriarchæ, « vel archiepiſcopo, vel epiſcopo & meis ſucceſſoribus fidem, « ſubjectionem, obedientiam & reverentiam devotè & fideli- « ter perpetuò exhibere ? R. Volo.] Quibus verbis vides Ec- « cleſiam Romanam candidè profitentem inter monachos & regulares, eorum abbates & monaſteria, quoſdam exemptos eſſe ab ordinariorum juriſdictione : quæ probè legit, & melius intellexit oculatiſſimus juxta & doctiſſimus Launoius, ſed lectores ſuos, ejus eruditionis opinione jam caligantes, amplius cœcutire voluit, peneque vetavit ne pontificalem illum librum conſulerent monachis propitium, & eorum privilegia ſeu exemptiones, ut loquuntur, mirè probantem.

Ex pontificali per Urbanum VIII recognito amplius convincitur diſſimulatæ veritatis Diſſertator : ſic enim pag. 64 de Ordinat. preſbyterorum : [Si verò pontifex non eſt ſuus or- « dinarius, cùm manus eorum inter ſuas tenet, ut præfertur, « dicit ſingulis preſbyteris ſæcularibus: *promittis pontifici ordinario « tuo, &c.* Singulis verò regularibus, *promittis prælato ordinario « tuo, &c.* Promittis pontifici (vel prælato) ordinario tuo pro « tempore exiſtenti, reverentiam & obedientiam ? Et ille reſ- « pondet, promitto.] Potuit-ne ſapientiſſimus magiſter qui ſe « ubique ſchedarum ſuarum ſtrenuum veritatis defenſorem ambit, iſta tacere ? vel (ſi mavis) porrectâ fronte Clementem & Urbanum pontifices ei planè contrarios, ſibi tamen teſtes accire, & in hæc verba ſecuritatis pleniſſima prorumpere pag. 230 ſuæ Inquiſitionis : [Succurrere invictam rationem quâ con- « vincitur voluiſſe Clementem VIII exemptorum quorumcum- « que . . . . . . privilegia ſacris canonibus locum facere, ex «

„ pontificali Romano, &c.] Et pag. 286 : [Injuriam fieri ab „ Henrico Henriqueſio (qui dixerat regulares exemptos, in „ ſchola perfectionis erudiri efficacius, quàm ſi exempti non „ eſſent) Clementi eidem qui pontificale Romanum reſtitui at- „ que edi curavit, in quo regulares quoſcumque, dum conſe- „ crantur presbyteri, reverentiam & obedientiam per ſacramen- „ tum, quo dari non poteſt auguſtius, epiſcopis ſuis promittunt. „ Injuriam quoque fieri univerſæ per orbem Eccleſiæ, quæ „ patitur epiſcopos pontificali Romano uti, & memoratam reve- „ rentiæ & obedientiæ profeſſionem publicam ac promiſſionem „ exigere, &c.] Reliqua textûs non edo in gratiam Launoii, quibus tanti ſcriptoris fama, quàm veritas, pejus exularet. Quid tamen ad hæc lector veri ſtudioſus, qui prædicta vidit, aut pontificale volumen conſulere poteſt ?

At ſtupenti vel etiam indignabundo ſimillimus erit, ſi conferat pontificalis editionem Venetam anni 1520 cum Clementina anni 1595, quæ Diſſertatorem non latuit veteribus magis quàm novis incubantem. Priorem enim regularibus minus explicitè commodam rejecit pontifex, quòd dictio disjunctiva, *vel*, & hæc verba *prælato tuo* non contineret ; ut alteram ſuperius relatam daret regularium cæterorumque exemptorum privilegia juraque probè ſignantem. Nihil mitius ad hæc reſponderi poteſt, quàm ipſa Diſſertatoris verba in os regerere quibus Diſpunctionem ſuam claudit epiſt. illuſtriſſ. Pariſiorum præſulis Petri de Marca, qui pro Saviniano cæteriſque Galliarum primariis epiſcopis à beato Petro miſſis, multa paucis complexus eſt : *Hæc fraus, hoc artificium abeſſe debet à Chriſtiana Eccleſiæ hiſtoria, cujus ornamentum totum in veritate ſola conſiſtit.*

Animum ſponte reluctantem facilè cohibere poſſum, ne ejus calami indecora ulterius perſequar : pauca de pluribus ejus mentis infirma recenſui, ne ſub ejus nominis fama veritas periret ; non neſcius (& parcant mihi toties repetita lectores) in hujus Operis argumento, ſi quid antea forſan obtinuit Diſſertator, ſolâ ſui celebritate, invidioſo nomine, ſuorum credulitate, ſophiſmatibus, tacitis, peremptis aut ingenioſè contortis Auctorum contextibus, citationum extra rem indiſcretâ congerie, & (quod præcipuum) regulis ad incudem ſuam confictis pro veri inveſtigatione, vel potius ne peſſum eant malè torta Severi ſui & Gregorii Turon. opinamenta, ſibi ipſi con-

Digitized by Google

ceſſiſſe. Hanc viri mirabilis analyſin plus æquo fecêre coram nobiliſſimi ſcriptores, inter alios, Hadr. Valeſius, Germanus Milletus, Hugo Menardus, Gerſenius, J. Bapt. Thierſius, Quatremarius, Norbertus Cailleucius, &c. ſupra recenſiti, ſed iterum hîc à me laudandi, ne gratis expoſtuler maledicentiæ & prævaricationis in manes viri de litteris & de me benè meriti: ſed talibus occurri debuit, ne ſub faſcino veritas laboret. Erubuit olim apud eruditos illos omnes Launoius, quòd Severo & Gregorio nimiùm ſtuduerit faveritque (de quo poſtea) & antiquiſſimarum traditionum, & nobiliorum orbis Eccleſiarum placitum convellere ſibi præcipuum duxerit ex ſola Anonymi cujuſdam ſcriptoris perioche toties à doctis proſcripta, & in Diſſertatoris Morboniam relegata, ut ſupra conqueſtum eſt: & hîc audiendus Caſſiodorus lib. de Divinis Lection. cap. 24: *Origo ſæviſſimi erroris eſt in ſuſpectis auctoribus amare totum, & ſine judicio defendere velle quod invenis: ſcriptum eſt enim, Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.*

Surius à Diſſertatore citatus ei forſan offendiculum fuit. Pauca tranſcripſit ille de illo Saviniani elogio, in quo de primatiali dignitate ei conceſſa fit mentio, quam ad ſenſum à nobis poſtremo loco ſuperius expenſum debuit accipere, & poſt eum alii, & non aliter, ut & Petrus de Natalibus qui Surio præivit lib. 11 Cathalogi Sanctorum, cap. 25 in hæc verba: [Savinianus, « Potentianus & Altinus epiſcopi fuerunt ex 72 diſcipulis « Chriſti, miſſi à beato Petro apoſtolo ad Gallias prædicandas, « ubi Savinianus primas totius Galliarum provinciæ conſtitutus « eſt.] Sed iterum meminerit lector alia eſſe Saviniani Acta & « pura labis, quæ hactenus Senonis extant citra ullam criticês indignationem, in quibus nihil de primatu.

OBJECTIO TERTIA.

Litaniæ.

Ex illis ſibi præſidium parat Diſſertator, & Saviniano excidium. Potentiſſimum credidit telum illud, quo non ſolam impetit traditionem Senonenſem, ſed plures alias Eccleſiarum Galliæ, ut Viennenſem, Rothomagenſem, Carnotenſem, &c. ratus ex tumultuaria ſerie ſanctorum in illis Litaniis invoca-

torum certas figi Chronologiæ metas, quæ Severianam epocham mirè commendent. Viderint alii quid malè fido aut in luce meridiana cœcutienti reſpondeant. Sibi forſan proderunt quæ pro Saviniano ſtatim urgebimus, poſtquam telum in nos intorſerit his verbis §. 4 ſuæ 2 Diſſert. n. 5.

» [Manuale Senonenſis Eccleſiæ quod anno 1555 prodiit Lau-
» rentio Archidiacono Romano, qui ſub Valeriano, & Vincen-
» tio Cæſarauguſtano diacono, qui ſub Diocletiano paſſus eſt,
» Savinianum & Potentianum poſtponit in Litaniis, quæ ſunt
» antiquiſſimum prædicandi genus. Et verò licet in quibuſdam
» aliis chronologica ſeries inverſa ſit; in Saviniano tamen &
» Potentiano neſciis interpolatoribus inverſa non eſt, ſed ut
» antiquiſſimæ traditionis index retenta.] Ex Theologo divinus.

Hîc iterum deficit candor & bona fides Launoii, nec inſignior dari poteſt artis ſuſpicio, neque neceſſarium puto extra codices Senonenſes excurrere, ut illud probetur. In illo Manuali duæ ſunt Litaniæ, pro commendatione animæ proximè morituri, & pro adminiſtratione Extremæ-unctionis. Imprimis
» tres tantùm nominantur apoſtoli; tùm ſic: [Omnes ſancti
» Apoſtoli & Evangeliſtæ. Omnes ſancti Innocentes. Sancte
» Stephane, ſancte Saviniane. Omnes ſancti Martyres. Sancte
» Gregori, ſancte Martine, ſancte Nicolae, ſancte Benedicte.
» Omnes ſancti Confeſſores. Sancta Maria Magdalena, ſancta
» Columba, ſancta Catharina, ſancta Barbara.] Ex quibus apparet primùm, inter martyres tantùm nominari Stephanum & Savinianum, quos conſtat præcipuos eſſe Senonenſ. Eccleſiæ patronos. Tùm in aliis quibuſdam, ut in Martino & Columba, inverſam Chronolog. ſeriem. In aliis pro unctione infirmorum, quibus fucum veritati vellet inducere Diſſertator, pejus adhuc aberrat à ſcopo. Nam in illis ſanctus Laurentius qui martyr occubuit 258 Chriſti anno, ſanctus Vincentius Cæſarauguſtanus, vel Oſcenſis levita, qui 302 præponuntur ſancto Irenæo Lugdunenſi qui 202 martyrium ſubiit. In illis Martinus Hilarium & Nicolaum præcedit ſerie invocationis. Lupus Senonenſis Heraclio itidem Senonenſi præit in ordine, quem tamen integro fere ſæculo poſteriorem Heraclio fuiſſe nullus ambigit. In illis Maria Ægyptiaca poſt Magdalenam primas tenet; deinde ſequuntur Columba, Agatha, Agnes, Cæcilia, &c. in quibus inſuper peccat chronologica fides: & magis adhuc in

Margarita

Digitized by Google

Margarita (ſi de virgine & martyre ſit ſermo) cui præponitur Genovefa. Et hæc quidem de Manuali perperam à Diſſertatore nobis objecto.

At magis mirabere, lector, quàm malè veritati & Saviniano detractum voluerit in re ſibi compertiſſima. Librum Miſſalem Ecleſiæ Senonenſis Pariſiis excuſum anno 1543, duodecim annis ante Manuale, vidit, legit & evolvit; in cujus Litaniis pro benedictione Fontium (nec alias habet) totus evaneſcit criticès apparatus. Sic ibi: [*Sancte Stephane*, *ſancte Saviniane*, *ſancte Potentiane*, *ſancte Victor*, *ſancte Vincenti*, *ſancte Laurenti.* Hi ſoli ſex martyres invocantur. Tum ſequuntur hoc ordine veræ chronologiæ planè contrario: *Sancte Silveſter*, *ſancte Lupe*, *ſancte Eracli*, *ſancte Gregori*, *ſancte Martine*, *ſancte Nicolae.* Et in reſumptione earumdem Litaniarum: *Sancte Auguſtine*, *ſancte Ambroſi*, *&c.* Uter horum chronologicè præcedit, ô Launoi? Hæc tamen fortiſſima rationis momenta, hæ potentiſſimæ machinæ & bellica critices tormenta, quibus impetit & contritas vellet antiquiſſimas omnium Eccleſiarum traditiones. Non minùs ei familiare fuit Breviarium Senonenſe anni 1528, quo pariter anno celebratum fuit Senonenſe ſeu Pariſienſe Concilium ſub Antonio Du Prat, cujus decretis, præſertim in materia rituum & morum, utilitati & ſplendori Eccleſiæ plurimùm accrevit. Breviarium illud prolixas habet Litanias fol. 59 & ſequentibus, quibus tota ruit Diſſertatoris armatura. Sic enim poſt ſummos pontifices (Cypriano excepto) laureâ martyrii inſignitos, immediatè ſequuntur, & hac ſerie: [Sanctus Savi- « nianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, Serotinus, Victor, « *Laurentius*, Romanus, Tiburtius, *Vincentius*, Præjectus, Fabinianus, Sebaſtianus, Georgius, Chriſtophorus, ... « Aigulphus, Quintinus, Leodegarius, Blaſius, Polycarpus, Dio- « nyſius cum ſociis, Mauricius, &c. Euſtachius, &c. Nicaſius, « &c. Hippolitus, &c. Thomas *Cantuarienſis*, Petrus, Coſmas, « Damianus, Deſiderius, Lazarus, Benignus, ... ſancti Joan- « nes & Paule, &c.] In ſerie pontificum, confeſſorum & virgi- « num magis adhuc inverſus chronologicus ordo: & quædam purpuratæ virgines, ut ſancta Regina, ſancta Chriſtina, ſancta Lucia, &c. quæ tempore & laureâ præſtant, loco cedunt quibuſdam aliis virginibus, quæ ſolâ virginitatis dote commendantur in ſacris illis Diptycis & Elenchis, puta Genovefæ, Petronillæ, Syriæ, Scholaſticæ, Praxedi, Maſtidiæ, immò Birgit-

Oo

Digitized by Google

tæ, Mariæ Ægyptiacæ, Radegundi, &c. quas inter nulla prorſus adhuc ratio temporis attenditur, ſicut in plerìſque mox recenſitis. Vides interim quàm longè loco ſuperet Laurentium & Vincentium Savinianus cum ſociis; & ſi verba Diſſertatoris quibus hæc inſtruitur objectio, decretorium eſſent apud cordatos viros litis hujus momentum, nonne cauſâ caderet tota Launoii ſchola, & inter primos Eccleſiæ naſcentis martyres acciri deberet Savinianus ex præſcripto Diſſertatoris, & regulis Litanialibus à ſe confictis, & quater aut quinquies in ſua ſecunda Diſſertatione repetitis; uti certè cum beneplacito totius antiquitatis inter eximios primi ſæculi Chriſtiani pugiles præſuſuleſque jure recenſetur.

Præterea mihi ſunt ad manum in muſæo noſtro plures MSS codices multæ variæque ſenectutis, ut vix credam Launoio antiquiores præſto fuiſſe. Primus eſt Rituale Vivianum duas Litanias exhibens: in prima pro Sabbato ſancto poſt Petrum, Paulum & Andræam immediatè ſequuntur: [Savinianus, Potentianus, Altinus, *(quos ex 72 diſcipulis Chriſti fuiſſe habet traditio)* Stephanus, Sanctianus cum ſociis, &c.] Alteram quæ prolixior eſt, & quæ ad infirmum morti proximum recitanda erat, non ita perſtringemus quòd ſit ſingularis. Initium habet » à noſtris non diverſum. Tum ſic : [Omnes ſancti Ange- » li orate pro eo. Omnes ſancti Archangeli orate pro eo. San- » cti Throni, &c. Sanctæ Dominationes, &c. Sancti Principa- » tus, &c. Sanctæ Poteſtates, &c. Sanctæ Virtutes cælorum, » &c. Sancta Cherubim, &c. Sancti Seraphim. Omnes ſancti » beatorum Spirituum ordines. Sancti viginti quatuor Senio- » res, &c. Sancte Joannes Baptiſta, &c. Omnes ſancti Patriar- » chæ & Prophetæ, &c. Sancte Petre, &c. *Et nominantur om- » nes apoſtoli.* Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. Sancte Sa- » viniane, &c. Sancte Potentiane, &c. Sancte Altine, &c. Om- » nes ſancti Diſcipuli Domini, &c. Omnes ſancti Innocentes » martyres, &c. Sancte Stephane, &c.]

Secundus codex MS, cujus cani venerabiles eſſent Diſſertatori, ſpeciem adhuc Ritualis exhibet, canonem Miſſæ, varias benedicendi formulas, modum regulariter profitendi, pluresque veteres ritus à noſtris paulò deflectentes, ſed priſcam Patrum pietatem ſpirantes. Litaniæ pro die Sabbati ſancti doctrinam Diſſertatoris non minus confutant. Nam immediatè poſt ſanctum Andræam : [*Sancte Saviniane*, *ſancte Potentiane*, *ſancte*

Digitized by Google

Altine, ſancte Stephane, ſancte Sanctiane, ſancte Silveſter, ſancte Gregori, ſancte Lupe, ... ſancta Techildis. Ipſa eſt Chlodovæi magni filia, cujus regios natales & ſacram apotheoſin aſſeruimus ſupra : cujus etiam nomen in Diptycis primi codicis legitur, & in ſequenti Breviario Senonenſi MS, quo nullum vetuſtius vidiſſe me memini ; in cujus Litaniis ſanctorum ſeries (de quibus hîc controvertitur) eſt hujuſmodi. Immediatè poſt ſanctos Innocentes eſt hiatus, ſeu ſpatium vacuum ſancti Stephani, qui omittitur, invocatione forſan replendum. Tum [Sancte Saviniane, ſancte Potentiane, Altine, Eodalde, Se « rotine, Sanctiane, ... ſancte Clemens, Sixte, Corneli, Cypriane, Laurenti, Vincenti, Quiriace, Fabiniane, Seba- « ſtiane, ... Martine, Ambroſi, Auguſtine, Ebbo, Leo, ... Nicholae . . . . . . Genovefa, Radegundis, Tecla, « Catharina, Juliana, *Techildis*, Venera, &c.] «

Quartus codex MS eſt Graduale ſeu liber Miſſarum notis ſymphoniacis per totum exaratus. In miſſa Sabbati ſancti Litanias habet hujus tenoris : *Sancte Petre, ſancte Paule, ſancte Andrea, ſancte Saviniane, ſancte Potentiane, ſancte Altine, ſancte Stephane, ſancte Sanctiane cum ſociis tuis . . . . . ſancta Columba, ſancta Beata, ſancta Techildis, &c.* Num poſt tot invocationes ſeu exorciſmos ad ſaniora redibit ſchola Launoii ? cujus eximii viri manibus ne fortè male ſit, & diſſimulatâ veritate quam perſpicuam habuit, ſuis conſultum velim, ut has omnes Litanias Senonenſes devotè recitent, ſimulque reſpondeant, *Orate pro eo.*

Cæterùm cùm ex ſola Litaniarum nomenclatura & ſanctorum Diptycis deſumenda non ſit notio cultûs obſervantiæque quàm illis debemus, ſed majora ſint pietatis argumenta, quibus eorum memoriam proſequitur Eccleſia ; potuit advertere Diſſertator tantâ Miſſalium, Breviariorum & Ritualium ſupellectile dives, quæ de ſingulis propemodum majoribus Eccleſiis Gallicanis, ut ſuam criticen adornaret, convaſaverat olim, ex antiquis illis Senonenſibus libris quàm jugis, quàm peculiaris & præter ſolitum celebrata ſemper fuerit Saviniani memoria, cui tria per annum officia decernuntur in Eccleſia Senonenſi 31 Decembris, qui dies martyrii ; 26 Auguſti, quo ſacrum ejus corpus ad ſancti Petri Vivi catacumbas tranſlatum fuit à Venilone archiepiſcopo ; & potiſſimùm 19 Octobris ipſi ſacrô per totam diœceſim, & de præcepto feriatô, ut aiunt, &

Digitized by Google

cum octavis ſolemnibus: qua die ſacrum ei reclinatorium obtulit Robertus Pius Francorum rex, auro, argento gemmiſque pretioſiſſimis protectum; & in publica ſupplicatione in proprios humeros aſſumptum cum optimatibus ſuis bajulavit. Et hic cultus ab antiquis temporibus ſanctiſſimo præſuli & martyri delatus, qui novis & votivis honoribus accrevit ſub Octavio pontifice, & celeberrimo ſancti Stephani metropolitano cœtu, qui diem illam 19 ritu feſtorum annualium, ut vocant, & ultimam Decembris ſemiannualium celebrari ſanxerunt.

Hîc plenâ manu, ni fallor, veritati proficimus, præeunte nobis ipſo Diſſertatore, qui operoſam citationum congeriem ſuâ ſæpe saturâ, corollariis & mantiſſis cumulavit. Dabimus adhuc in ſinum ejus menſuram confertam & coagitatam, ſi obſervemus non in ſolis Litaniis Eccleſiæ Senonenſis neglectam fuiſſe chronologiæ ſeriem. De ſuis Lemovicenſibus & aliis id obſervavit doctiſſimus Joan. Cordeſius in Diſſertatione de apoſtolatu ſancti Martialis: Quaſi verò, *inquit*, illa eſſet in Litaniis antiquitus diſtinctio, nec promiſcuè nomina ſanctorum recitarentur? Nam in Miſſali perantiquo anni milleſimi Eccleſiæ Lemovicenſis, inque Litaniis quadruplicibus quæ diebus Paſchalibus recitantur, commixti ſunt confeſſores, martyres & apoſtoli, nullo ordine ſervato. In tribus earum primis nulla Martialis eſt mentio; in quarta recitatur poſt Paulum, & hunc Petrus & Silveſter præcedunt.] Si Litaniale Launoii dogma quidquam valeret, nec Lemovicis, nec orbi Chriſtiano innotuiſſet Martialis, niſi natalibus ejus obſtetricias manus adhibuiſſet Greg. Turonſ. In libro qui inſcribitur *Ordo Romanus*, &c. tomo 10 Bibl. Patrum 1654 col. 119, & ſeq. Litanias videſis, in quibus ſanctus Paulus apoſtolus omittitur, & alii omnes nominantur, niſi ſit typographi mendum. Criſpinus & Criſpinianus Lino, Cleto, & Clementi præponuntur. Ambroſius cedit Leoni: nec argue pro ſummo pontificatu, nam ibidem Gregorius Papa ſequitur Ambroſium. Cedunt item Regina, Chriſtina, Margareta nobiliſſimæ martyres & virgines Petronillæ ſimplici virgini. In codice MS Corbeiæ qui octingentos ſuperat annos non minus illuditur veræ chronologiæ, cùm in Litaniis Medardus Vedaſtum antecedat, Agatha & Lucia Cæciliam, Anaſtaſia & Euphemia Columbam Senonenſem. Et in illis quas ex Rotaldo itidem Corbeienſi (qui obiit an. 986) edidit eruditiſſimus Hugo Menardus in notis ad Sacrament. Grego-

Digitized by Google

rianum i pag. 345, Martinus ante Silveſtrum ponitur, Medardus ante Vedaſtum, Benedictus ante Paulum & Antonium: Tecla Felicitati & Perpetuæ, Suſannæ Juſtina, Columba Julianæ poſtponuntur. Prudens omitto quæ de hac tumultuaria ſanctorum recenſione ſine ullo chronologiæ delectu ſcriptum habes in Concil. Lemovicenſ. olim à nobis expenſo.

Ex ſic immutata ratione temporum in Litaniis quid certi colligere poſſet Diſſertator contra veros & chronicos natales Saviniani, & aliorum qui primi in Gallia Eccleſiaſticas ſedes fixêre, contra quos pariter perſtrepit ubique operum ſuorum? Non potuit non agnoſcere inverſas plerumque chronologiæ metas in illis Litaniis, quibus abuti maluit quàm uti: fatetur illud quidem in illo §. 4, quem hîc agitamus, ſed cum injuria Eccleſiæ Senonenſis, cui probatione, more ſuo, deſtitutus oppidò imponit: *Et verò licet in quibuſdam aliis (* Litaniis *) chronologica ſeries inverſa ſit, in Saviniano tamen & Potentiano neſcio interpolatoribus inverſa non eſt, ſed ut antiquiſſimæ traditionis index retenta.* Mera calumnia, ut lector vidiſti. Davus fuit, non Oedipus, ut illud aſſereret contra fidem codicum MSS. & excuſorum, quos exhibuimus in variis ætatibus eadem replicantes, & antiquiſſimæ traditioni concinentes. Debuiſſet adhuc non minori oſcitantia popularibus illudere diceréque quidquid hactenus creditum fuerat de Chriſtianæ Religionis geneſi apud Senonas, priſcam fidem Patrum, ſimplicitati temporum coævam oſtendens, in nova Breviarii reformatione mutatum fuiſſe anno 1641. Nam revinceretur pari ſucceſſu tam de epocha Saviniani à Petro miſſi quæ ibi diſertis verbis aſſeritur ad diem 19 Octobr. quàm de confuſa in Litaniis chronologia, ubi ſtatim poſt Stepanum Savinianus & Potentianus invocantur. Lupus, Heraclius, Leo, Ebbo, &c. Gregorio, Ambroſio, Auguſtino: Martinus Nicolao; Benedictus Antonio: Genovefa Margaritæ & Urſulæ cum ſociabus præponuntur. Iterum in illo Breviario tot eruditorum curis ſtudiiſque reviſo, & inter critices ſalebras & ſpinas prodeunte, quidquid olim veritas & veneranda patrum religio de Saviniano crediderat ſanxeratque, novo Prælati antiquarum rerum ſcientiſſimi, & Capituli decreto ſancitur, & tres per annum feſtivitates, uti ſupra, novis acclamationibus decernuntur: quibus honoribus Stephanus ipſe totius Eccleſiæ & Senonenſis primipilus non potitur.

Vix tibi, lector, perſuaſum habebis illuſtr. D. Henricum de

Digitized by Google

Gondrin Senonenſ. archiepiſcopum in editione nova Proceſſionalis Senonenſis, quam anno 1661 ſummâ diligentiâ accuravit, ſuoque chirographo probavit, his Launoii chronologicis tricis (quem tamen mirificè coluit) parum intendiſſe. In cujus Litaniis prolixioribus & brevioribus Savinianus quidem & Potentianus primi poſt Stephanum Eccleſiæ titularem nominantur, ſed Lino, Cleto & Clementi Laurentius præponitur; Leodegar. & Thomas Cantuarienſis, Gervaſio & Protaſio; ſanctus Paternus martyr & monachus ſancti Petri Vivi, qui martyrium ſubiit medio fere ſæculo octavo, Dionyſio præit & ſociis ejus; ſancta Liceria ſanctæ Teclæ. Sancta Theodechildis ſeu Techildis virgo, filia Chlodovæi primi Francorum regis Chriſtianiſſimi, de qua tanta ſuperius, præcedit ſanctam Avelinam in illis prolixioribus Litaniis, & in brevioribus ejuſdem Proceſſionalis, quæ ſtatim ſequuntur, ei poſtponitur. Hæc vidit Launoius ſub amico ſibi pontifice, doctiſſimo juxta & veri à criticès defæcati ſcrupulis religioſiſſimo.

His plus æquo forſan licuit immorari, ne præſtigiis viri ſolo nomine incantantis obſeſſa veritas tamdiu exularet à ſimplicium & credulorum mentibus: tum etiam quia Litanias illas palmare ſibi putavit argumentum, quo fidem aliarum Eccleſiarum, quæ pari veri fœdere ſociantur, convelleret. Nam exempli gratiâ, Rothomagenſes ſic aggreditur §. 7 2. Diſſert. *Veteres Rothomagenſis Eccleſiæ Litaniæ Nicaſium referunt inter eos, qui diu poſt agitatam quintam perſecutionem martyrium fecerunt.* Carnotenſes: *Veteres Carnotenſis Eccleſiæ Litaniæ, quæ ſunt veterrimum precandi genus, Caraunum iis accenſent, qui longo poſt Marcum Aurelium tempore martyrii coronam acceperunt* §. 8 ejuſd. Diſſert. Viennenſes: *In Litaniis ubi cujuſque Eccleſiæ martyres ponuntur, Viennæ Zacharias non comparet, ſive in iis quæ anno* 150, *ſive in iis quæ anno* 1577 *in Manuali prodierint.* §. 15 ejuſdem Diſſert. Vidimus ſupra ex Cordeſio in tribus Litaniis Lemovicenſibus non apparere Martialem, quem tamen Lemovicis præſediſſe non negabit Diſſertator, ipſo Gregorio vade. Sed illum quàm tutò refellerem, ſi tot nobilium Eccleſiarum vindiciæ mihi demandatæ forent!

Digitized by Google

OBJECTIO QUARTA.

Ex 71 Chriſti diſcipulis.

Tam quæ germana Saviniani Acta novimus, quàm quæ ſpuria nobis videntur, Savinianum & ſocios perhibent in alterum Chriſti collegium ab eodem accitos fuiſſe. Hinc ſuſpectæ fidei cenſet hæc Acta Diſſertator, ſed indignam ſuis infulis rationem hanc affert: [Imprimis falſum eſt Savinianum, « Potentianum & Altinum fuiſſe Chriſti diſcipulos. Neque « enim in Actis, neque in Epiſtolis Pauli, neque in apoſtoli- « corum virorum ſcriptis habentur; neque tum demum legun- « tur in 71 diſcipulorum ſynopſi, quæ Dorothæo adſcripta eſt.] « Communis tamen is eſt Eccleſiæ Senonenſis ſenſus & omnium Eccleſiarum Galliæ, apud quas vir ille apoſtolicus ſpeciali memoriâ colitur, ut ex earum Breviariis aſſequi licet: & ſenſum hunc ſtabilis ad hanc uſque diem Patrum traditio firmavit, quem convellere non poterit Diſſertator, niſi valentiores machinas admoveat. Recenſeat ille quot & qui nominatim deſignentur in Actis, & Paulinis epiſtolis, qui Chriſto mortalitatem nondum exuto familiariter adhæſerint (præter duodecim apoſtolos) & quos 71 numerum impleviſſe Lucas teſtatur. Nominet item viros illos apoſtolicos in quorum libris *indubiæ authoritatis* eorum omnium diſcipulorum fiat mentio ſpecialis, & ſaltem nomine tenus; paucos nobis ejus calculus numerabit: & ſi quid valeant Diſſertatoris argutiæ, quos Scriptura vel authentici libri non nominaverint, nuſquam de Chriſti contubernio fuiſſe fateri cogetur; aut perperam ex illorum albo Savinianum & ſocios expunxerit. Hîc conticeſcat Launoii ſchola, nec prurienti magiſtro in antiquarum traditionum excidium, maximè quæ communibus Eccleſiarum votis probantur, epinicion canant: niſi ratiocinium iſtud ſuo nomine ſubarrhaſſet doctor nominatiſſimus, nec ipſe perſuaderet Oedipus à viro ſuâ celebritate & Pariſienſi laureâ notiſſimo prodiiſſe.

Pejus, & certè contra mentem, nobis objicit Dorothæum in ſynopſi, cujus auctoritatem proſcribendam eſſe cenſet alibi, nec ipſe ſolus, ſed doctorum omnium ſententiâ tutus. Nec enim primò convenit de auctore, quem Baronius aliique doctiſſimi negant fuiſſe Dorothæum Tyrium preſbyterum & mar-

Digitized by Google

tyrem. Deinde ſcriptor ille malè feriatus catalogum ſuum texuit ex pluribus, quos Chriſtum adhuc mortalem vidiſſe ratio temporis & eorum ætas prohibet ut credamus. De Clemente, Luca, Tito, Timothæo, Philemone, &c. nulla fides. Primus à Petro Chriſti fidem edoctus eſt: Lucas Evangelium ſcripſit, ut teſtis auritus non oculatus; Titus gentilis erat & incircumciſus; quartum Paulus ipſe circumcidit; nec alteri, quàm Paulo ſuæ fidei primordia debuit Philemon. 3°. Priſcam & Evodiam fœminas quaſi viros recenſet, & ad infulas epiſcopales evehit. 4°. Illis 72 diſcipulis, quorum nomina in libro vitæ ſcripta fuiſſe Dominus ait, Demam, Phygellum, Hermogenem Paulo contrarios, & fidei deſertores accenſet, & ipſum Nicolaum advenam Antiochenum, qui à ſacro illo ſeptemviratu Levitico defecit, & in libidinibus maduit, totus cum ſuis. Tandem ut cætera pſeudo-dorothæi in illa ſynopſi deliria taceam, quî ſolus & inter omnes veteres Eccleſiaſticos auctores unicus, callere potuit tot nomina? Plures leguntur in epiſtola ad Romanos ſalutati & ſalutantes, ſed quibus nullam Paulus familiaris cum Chriſto convictûs teſſeram adſcribit. Hæc omnia non neſcivit adverſarius, ſed infarciendo libello ſibi neceſſaria duxit, quæ licet à vero deflectant, ſimplices tamen & incautos poſſent remorari.

Qui reformandis Miſſali & Breviario Senonenſibus ſedulam operam navarunt anno 1641, & eo tempore, quo nuſquam acrius inſtabant ſtudia partium pro miſſionum Gallicanarum antiquitate, quæ Severi chronicas notas antecedant, intactam voluêre veterum ſententiam de conſcriptis in familia Chriſti Saviniano & ſociis. Veritatem illam exhibet totus Officii contextus in eorum feſtis: Litaniæ quas ſupra dedimus, & Evangelium Miſſæ: *Deſignavit Dominus & alios* 72; præter teſtimonia veterum & recentiorum, de quibus affatim qui de illis ſcripsêre, ut Odorannus, quem primum inter hiſtoricos Senonenſes laudat Baronius, Clarius, Gaufridus à Collone, Gaufridus Hyron, auctores MS, & hîc jam ſæpe citati. Vetus chronicon Senonenſe, quod furtim vel precariò ſublatum mihi poſt 30 annos reſtituit V. C. Jacobus Sirmondus, hæc habet quæ profutura nobis & aliis, hîc integra damus.

» [Anno ſecundo Claudii ſanctus Petrus Romam venit, & » Romanis arcibus, ibi fundatâ Eccleſiâ, Evangelium Chriſti » prædicando, & prædicationem ſignis confirmando annuntiavit, &

Digitized by Google

vit, & viginti-quinque annis ipſius urbis Papatum tenuit. «
Deſtinavit autem prædicatores in partibus Occidentis, beatos «
ſcilicet Savinianum, & Potentianum atque Altinum, *qui de-* «
ſignati ſunt à domino Jeſu Chriſto inter ſeptuaginta duos diſcipu- «
los, Senones; qui ibi eamdem urbem metropolim Chriſto «
domino ſubdiderunt: etiam Carnutum, & Trecas, atque Au «
relianum urbes inſignes prædicaverunt; tandemque apud «
Senones cum multis aliis ſociis martyrio paſſi ſunt pridie Ka- «
lendas Januarii; & eamdem urbem martyrii ſui confeſſione «
illuſtrem fecerunt. Item miſit beatus Petrus apoſtolus Metis «
ſanctum Clementem Romanæ reipublicæ Patricium; Tullen- «
ſibus ſanctum Manſuetum, Scotorum genere natum, fide & «
doctrinâ præcipuum. Remis autem direxit ſanctos Sixtum & «
Sinicium; Catalaunis ſanctum Memmium; Treveris quoque «
& ei vicinæ Coloniæ ſanctos miſit Eucherium, Valerium at- «
que Maternum. Cum his & alios multos miſit qui luce veri- «
tatis, infidelitatis tenebras in reſiduis partibus depulerunt.] «

Gaufridus à Collone tabulâ 2, fol. 16 verſo: [Quibus au- «
ditis ſancti viri (Savinianus, &c.) retractantes ſecum ea quæ «
priùs à Domino audierant: *Euntes in mundum prædicate Evan-* «
gelium omni creaturæ: recolentes etiam linguarum omnium «
peritiam ſibi & aliis diſcipulis unctione ſancti Spiritus attribu- «
tam non fecerunt animas ſuas pretioſiores ſeipſis, &c.] In- «
ſignem ſuperius locum Nicolai de Lira citavimus, qui licet recentior, cùm Senonis moram traxerit, ibique plura antiquitatis rudera, vetereſque membranas, ut ſatis innuit, evolverit, teſtis eſt omni exceptione major, & cui Diſſertator venerabundus aſſurgat, jamque pœniteat in hac objectione nihil Pariſienſi doctore, nihil cordato viro, nihilque veri (quod ambit) amantiſſimo dignum è jejuno penu deprompſiſſe.

OBJECTIO QUINTA.

Ætas auctoris Actorum ſancti Saviniani.

Hîc iterum more ſuo fœdè impingit imponitque Diſſertator, nec ſinceræ fidei ſe prodit his verbis ejuſdem §. 4 ſuæ 2 Diſſertationis: *Deinde certum eſt non ſolùm ab anno Chriſti* 847, *ſed etiam ab anno* 878, *quo Joannes VIII primatem conſtituit Senonenſem epiſcopum, vixiſſe qui hæc Acta litteris commenda-*

Digitized by Google

vit. Jam conqueſti ſumus quòd vera Saviniani Actá, quæ Senonis veterrima patent, diſſimulata ſeu ſuppreſſa fuerint à Diſſertatore, & ſermonem panegyricum in quo ſolo *primatis* fit mentio nobis obtruſerit jurgandi gratiâ. Nec tamen culpandi Petrus de Natalibus, Surius, aliique quibus forſan Actus illi ſpurii, vel, ſi mavis, adventitii, fucum induxêre. Sed vix ignoſcenda labes illa Launoio, qui tabularium Senon. penitius vidit. Verùm iſthæc miſſa ſint. Non potuit vir æquus, & probè ſciens Acta ſancti Saviniani, ſive quæ germana ſcimus, ſive quæ ſpuria, illis affingere mendacii larvam, & ex eis inferre ætatem auctoris qui illa conſcripſit, nactus occaſionem ea criminandi, aut in nova tempora rejiciendi, ex iis quæ Petrus, & poſt eum Surius 31 Decembris afferunt de tranſlatione corporis beatorum illorum martyrum in cœnobiticam Baſilicam ſancti Petri Vivi à Venilone Senonum præſule anno 847: nulla enim hujus tranſlationis fit mentio in Actis illis cum genuinis tùm adſcititiis, quæ ſingula legi, & hîc ſunt ad manum. Hiſtoria tranſlationis hujus certa eſt, quam referunt omnes chronographi Senonenſes veteres & moderni, & codices Viviani, quæque feſtivitatem peculiarem habet in antiquis Miſſalibus, libris & Breviariis Eccleſiæ matricis, & in novo reformato, ex quibus fontibus hausêre recentiores, ut Petrus in Catalogo lib. 2, cap. 25, & Surius citatus; non autem ex Actis, in quibus ne verbum quidem hujus tranſlationis: ſed obvia quæque & ſine delectu placent adverſario, ut jure vel injuriâ perſtrepere poſſit. Apud Gaufridum à Collone, qui vera Saviniani Acta compendiosè redegit in Chronicis ſuis, tab. 2: meminit quidem tranſlationis hujus in eadem tabula, ſed prudens monet non eſſe locum illius ibidem referendæ, ſed ad annum
» 847: [Sanctorum igitur Saviniani ſociorumque ejus ſanctiſ-
» ſima corpora per bonæ memoriæ domnum Venilonem ar-
» chiepiſcopum Senonenſem tranſlata fuerunt de primo loco, in
» quo jacuerant in monaſterio S. Petri Vivi; ubi ob merita ſan-
» ctorum per Dei miſericordiam, infirmi recipiunt ſanitates, juſti
» celerem effectum bonis ſuis deſideriis acquirunt, peccatoreſque
» ſe ibidem veraciter humiliantes, veniam conſequuntur. Et
» hoc melius loco ſuo & tempore declarabo. Hæc tranſlatio
» facta fuit anno ſexto regni Lotharii, Ludovici & Caroli fi-
» liorum Ludovici piæ recordationis & auguſtæ, anno Domini
» 847.]

Digitized by Google

Frivolum eſt, nec tanti viri calamo dignum, quòd notatum voluit, licet paucis: *Prætereo Ceullonem pro Venilone acceptum, ſi anno 847 tranſlata fuiſſe Saturnini, & aliorum corpora aliunde confirmentur.* Vidit enim *Ceullonem* pro *Venilone* ſcriptum merum eſſe operarum vitium. Deinde pari noxa ipſe peccavit: nam apud Surium, unde tranſcripſit, & ille ex catalogo Petri de Natalibus, *Cevillonem*, non *Ceullonem* offendes, ſaltem in codice meo. Tandem gravius ipſe deliquit, ſi ſcribarum errata in ipſos autographos ſcriptores eſſent refundenda, cùm in citata ejus perioche *Saviniani* legendum ſit, non *Saturnini.* Nec forſan erraverit amanuenſis aut typotheta, ſed Diſſertator, cui frequentior Actorum ſancti Saturnini memoria, quæ fomes peccati ubique ſuarum Diſſertationum.

Quod verò circa tranſlationem ipſam fingat ſe eſſe perplexum, luſus eſt adhuc calami contra mentem aberrantis. Nihil ſiquidem evidentius in hiſtoria Senonenſi, & veterum ſcriptis ac recentiorum. Eam quotannis prædicat jugi cultu Eccleſia Senonenſis ab octingentis annis. Eam in ſuis chronicis cuique perſpicuam voluêre Odorannus, Clarius, Robertus Antiſſiod. Gaufridus Hyron, Gaufridus à Collone in tabulis ſuis chronologicis, & in libello peculiari de ſacris Reliquiis Vivianis, Tavellus, Buretellus, Coquinus, Cotronius, Gallia Chriſtiana cum primigenia ſub Claudio Robert, tùm quæ ſecundis curis auctior prodiit ſub Sanmarthanis, ut taceam inſigne fragmentum hiſtoricum illius inter Acta ſanctorum Benedictinorum eruditiſſimi Mabillonii ſæculi 4, parte 2, tomo 4, pagina 578. Hæc omnia (ſi Cotronium excipias) legit oculatiſſimus Diſſertator; ſed gentilitiâ labe hærere maluit in re ſibi compertiſſima.

OBJECTIO SEXTA.

Tempore Lotharii, Ludovici & Caroli Imperatorum.

Hîc nodum quærit in ſcirpo Diſſertator, & grande piaculum putat *Imperatoriam* dignitatem Ludovico ſecundo filio adſcriptam fuiſſe, vel à Petro de Natalibus, aut Surio, ſi ſincerè Diſſertator exſcripſit; aut ab alio cujus mihi nomen ignotum, & ejus opera. Omnes enim auctores noſtri Senonici cùm MSS, tùm excuſi, quorum mihi copia fuit, qui huic tranſlationi

Digitized by Google

chronicas notas affixère, hunc *Imperatoris* titulum conſtanter ſilent, ut videbimus ; quem forſan ut jurgiorum & ſuæ criticês fomitem adamavit Diſſertator, ſed quem nullo veterum teſtimonio fultum ſatiùs rejeciſſet. 1°. Non occurrit in veterrimo Lectionario Viviano, quod novis apicibus reſtitu-
„ tum fuit curâ Roberti Francorum regis anno 1024 : [Ha-
„ bita eſt autem hujus tranſlationis feſtivitas tempore quo
„ nobiliſſimis Francorum ſceptris tres incliti principes auguſtæ
„ recordationis Hludovici Cæſaris poſteri Hlotarius ſcilicet,
„ itemque Hludovicus & Karolus præerant ; anno quoque re-
„ gni ipſorum ſexto, anno verò ab Incarnatione Chriſti octin-
„ genteſimo quadrageſimo-ſeptimo, Indictione decimâ.] Eadem de verbo ad verbum repetit Breviarium vetus ſancti Petri Vivi pag. 175 partis æſtivalis. 2°. Odorannus, Clarius, & Gaufridus, omnes Viviani cœnobitæ, & inſignes Chronologi ejuſdem tranſlationis honorificè meminerunt ad annum 847, ſed nullâ imperatoriæ dignitatis factâ mentione : nec etiam Robertus Præmonſtratenſis ad ſanctum Marianum aſceta, qui
„ tantùm hæc habet : [Huic etiam archiepiſcopo (Veniloni)
„ beati martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus
„ & Serotinus ſe revelare dignati ſunt, qui eorum corpora de
„ Eccleſia & loco in quo ſepulti erant, in Baſilicam ſancti Pe-
„ tri Vivi cum honorificentia multa tranſpoſuit.] 3°. Gaufridus à Collone in libro de ſacris Reliquiis ſancti Petri Vivi anno 1298 conſcripto, pag. 49, *regni* meminit, non *imperii*
„ horum trium fratrum : [Horum verò ſacratiſſima corpora per
„ prudentem virum Venilonem Senonenſ. archiepiſcop. tem-
„ pore Anaſtaſii abbatis tranſlata fuerunt in monaſt. ſancti Pe-
„ tri Vivi, anno ſexto regni Lotharii, Ludovici & Karoli fi-
„ liorum Ludovici auguſtæ recordationis.] Ad hos fontes qui primarii ſunt hiſtoriæ Senonenſis animum juxta & calamum admoviſſet vir ſincere cordatus & veri cupidus ; non ad peregrinas & exoticas recentiorum auctorum, ſi qui ſint, pericopes. Apud quos tamen præſtat indoles criminandi, obvia placent non quæſita, nec ad trutinam perpenſa, notha non genuina ; quibus non poterat adhuc infelicior, aut à veritate quàm hîc eſſe remotior Diſſertator : cui tamen quaſi inſigniter victori placuit epinicion iſtud & ridiculum epiphonema eodem
„ §. 4 : [Hic Ludovicus Imperator numquam fuit, ſed Ca-
„ rolus imperium Occidentis adeptus eſt circa annum 875 : ſi

quæ igitur ad annum 847 gererentur in imperio, horum « Actorum auctor neſcit, quomodo quæ apoſtolicis temporibus « geſta ſunt in Eccleſia Dei, noſſe potuerit.] Iſthæc non tan- « gunt noſtratis hiſtoriæ ſcriptores, ut vidimus. Sed ſi in re ſeria ludificari fas eſſet, citra tamen diſpendium veritatis, majora reponerem ipſe, diceremque: Qui potuit reſcire Severus de *ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ*, contra majorum placita, qui tam fœdè peccavit in eodem genere argumenti, nec ipſo diſſentiente Diſſertatore, ei addictiſſimo.

Primò enim jejunè ſcripſit de Maximini perſecutione contra miniſtros Eccleſiæ, quam generalem fuiſſe ait Euſebius ipſi ſolus auctor, tum in chronico à Diſſertatore citato, tum in lib. 6 Eccleſ. Hiſtoriæ cap. 28 editionis Valeſianæ, malè apud illum & quoſdam alios, cap. 21. In priori loco ſic Euſebius: *Maximinus adverſus Eccleſiarum ſacerdotes perſecutionem facit:* quæ propoſitio generalis eſt. In altero loco: *Qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri (Imperatoris) in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitatâ, ſolos Eccleſiarum antiſtites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici juſſit.* At Severus cuncta diminutè ſcribit, nec ullum ſuæ opinionis vadem exhibet; ex quo facilè conſequitur (ut etiam ex mox dicendis) eum plura ſenſui ſuo indulſiſſe, minuſque veritati conſuluiſſe. Sic enim: *Interjectis deinde annis octo & triginta pax Chriſtianis fuit, niſi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum clericos vexavit.* Jejuna, inquam, narratio, & Eccleſiæ ſplendori, quæ numquam glorioſius rutilavit, quàm præſidum ſuorum cruore minus propitia. Cur auctoris ſui verba diſpunxit, & *ſacerdotes* & *antiſtites* tacuit? Cur *nonnullarum* contra fidem Euſebiani codicis commentari voluit? Hæc vel imperitiæ in hiſtoria quam exponendam ſuſceperat, vel præcipitis calami labem inurunt, nec tam leviter, ut dixi, diſſentire potuit Diſſertator, qui corrigendum in hoc Sulpitium ultro fatetur pag. 85, ſeu §. 14: *Si quid hic in Severo ſupplendum ſit, per antiquiorem & rei intelligentiorem Euſebium ſuppleatur.* Pari cautelâ Gallicanæ Eccleſiæ decori providiſſet, ſi auctorem ſuum in recenſione quintæ perſecutionis ſub Marco Aurelio pejus aberrantem ſic ad ſaniora reduxiſſet, ut accidit illuſtriſſimo viro Franc. Boſqueto qui de eo ſcripſit, ut jam laudavimus: *Ille breviori modo ſcribendi minus ſcripſit, quàm ſenſit.*

Secundò cæcutire dicendus eſt Severus cum agones Eccleſiæ ſub Licinio recenſet his verbis : *Inter perſecutiones non computatur, adeo res levioris negotii fuit, quàm ut ad Eccleſiæ vulnera perveniret :* ſiquidem tam à vero receſſit, quàm ab Euſebio, cui ſoli tamen viſus eſt hærere, & cui contraria prorſus ſcribit. Pauca delibaſſe ſufficiat ex cap. 8, lib. 10 Hiſt. Ecleſ. „ [Chriſtianos omnes domo ſuâ expellit (Licinius) . . . . . . „ Poſt hæc cunctos in urbibus militantes, niſi dæmonibus ſacrificare mallent, exauctorari & honore militiæ ſpoliari jubet. . . . . . Lege latâ prohibuit ne quis miſeris in carcere detentis alimenta humaniter ſubminiſtraret. . . . . . Fuit hæc „ profectò lex palam impudens & omnium immaniſſima. . . . . „ Quin & legi adjecta erat pœna, ut qui reis ſtipem dediſſet, „ pari cum reis ipſis ſupplicio plecteretur. Quid referam exilia „ ab iſto humani generis hoſte innocentibus irrogata ? Quid „ nobiles & præcipuæ dignitatis viros in carcerem abductos, „ quorum uxores ætate florentes per vim ab ipſis abſtractas, „ ſceleratis quibuſdam mancipiis conſtuprandas dabat ? Quid „ mulieres nuptas & virgines recenſeam, quibus ille decrepitus ſenex illudens, libidinem ſuam explevit. . . . . . denique „ eo furoris proceſſit ut epiſcopos etiam adoriretur, & ex illis probatiſſimum quemque ſtructis per præſides ſuos inſidiis „ interemit. Modus porrò cædis, quo illos ſuſtulit, novus planè, „ nec umquam ante auditus. Sed quæ ad Amaſiam & reliquas „ Ponti urbes perpetravit omnem crudelitatis modum tranſcendunt. . . . . . Quidam verò novum mortis genus pertulerunt, „ corpore in multas partes fruſtatim conciſo, & poſt atrox hujuſmodi atque horrendum ſpectaculum, ut piſcibus cibum præberent, in altiſſimum mare projecti. Poſt hæc igitur Dei cultores fugam inire denuò cœperunt. Iterum agri, iterum ſolitudines, iterum montes ac ſilvæ famulos Chriſti ſuſcepêre.]

Hæc omnia Severo præ oculis erant, cùm ſynopſin ſuam hiſtoricam accuraret, ut mirari ſubeat quâ fronte ſcribere potuerit poſt tantum ſævitiæ cædiumque : *Inter perſecutiones non computatur, adeo res levioris negotii fuit, quàm ut ad Eccleſiæ vulnera pervineret ?* Si Launoii vota aliò collimaſſent, quàm ut ſibi nomen quæreret confutando primarias miſſiones, & ſedium noſtrarum origines ; nec commoda ſibi viderentur Severi deliquia ; quàm hic egregiè vapularet, & in Morboniam ageretur ab eo, poſt ejuſmodi noxas in hiſtoria, omnium præcipua,

prorſus lethales. Sed fama nominis, præceps ad novitates animus; & quidam amicitiæ plauſus cordis intima palpans, virum veritati celebri ſacramento devotum humana paci coegerunt: interim faceſſant hæc Severi minus ad amuſſim perpenſa, pudeatque Diſſertatorem in ejus verba juraſſe, quæ digna obelo manuque cenſoriâ non diffitetur his verbis: *Conſentio ut ſi quid Severo ſit addendum, Euſebii operâ & ſtudio addatur* §. 14. Quibus mederi deberet eodem morbo laboranti, cùm primorum martyrum Galliæ epocham Marci Aurelii temporibus affigit. Sed cur non erraret ſub Aurelio, uti deliquit ſub Maximino & Licinio, qui ſub Tito & Trajano deflexit adhuc ab orbita communi, qui tamen duces habebat viarum peritos, & omni exceptione majores?

Scribit Severus ad imperium Titi conflagraſſe Templum Hieroſolymitanum: cujus incendium eo reluctante contigiſſe docet nos Joſephus, cujus auctoritas, ex regulis Diſſertatoris præſtare debet aſſertis à Severo plura vel immodicè vel tenuiter exſcribente. [Fertur Titus, inquit Severus, adhibito conſilio, prius deliberaſſe an Templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur ædem ſacratam ultra omnia mortalia illuſtrem, non debere deleri: quæ ſervata Romanæ modeſtiæ teſtimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. At contra alii, *& Titus ipſe evertendum Templum imprimis cenſebant*, quo plenius Judæorum & Chriſtianorum religio tolleretur, &c.] Quibus contraria prorſus & verbis diſertis ſcribit Joſephus lib. 7 de Bello Judaico cap. 9 & 10: [Militum quidam non expectato cujuſquam edicto, neque tantum facinus veritus, ſed divino quodam motús impetu, à contubernali ſuo ſuſtollitur, & ex ardente materia raptum ignem in feneſtram inſerit auream, &c.] *Abſens* (inquit Baronius ad annum Chriſti 72) *dum hæc agerentur, Titus erat, qui his acceptis ad locum properat, utque reſtingueretur incendium jubet, clamat, urget inſtatque; nec ob clamitantium ſtrepitum valuit exaudiri*, &c. Hæc ex Joſepho. Sed cùm ſuo ſenſui cuncta permittit Severus, tam fallit quàm fallitur, & eâ ſupinitate ob quam pudibundus ipſe Diſſertator, erranti conſentire nolit: *Hic Severum præſtare non eſt animus, contra Joſephum qui id melius noverat*, §. 11 ſecundæ Diſſertationis.

Turpiter adhuc imponit Trajano quem edixiſſe ſcribit, ne ulterius in Chriſtianos ſæviretur, refragante Euſebio, & ipſo

Trajani edicto, ut norunt omnes præter Severum, à quo iterum recedere cogitur Diſſertator, ne lippis & tonſoribus ludibrio ſit : *Si quid excitata per Trajanum perſecutionis minus perfectè tradiderit, id ſuppleant antiquiores Severo ſcriptores Tertullianus & Euſebius, qui hanc perſecutionem melius repræſentarunt* §. 12.

Hæc contra Severum & Diſſertatorem retorta aptius forſan ad cap. 3, dicerentur, ubi ſiſtendi Severi, & in jus vocandi ſeſe forſan dabit occaſio ; ſed cùm potiſſimùm hujus Diſſertationis argumentum ſit ſingularis illius ſenſus de primis in Gallia martyrum cædibus ſub Aurelio, quem Diſſertator, ut ſingularis audiret, majori noxâ ſtudioque nominis propagavit, quique auſus ſit auctorem Actorum ſancti Saviniani ſuggillare ex ſuperaddito *Imperatoris* titulo Ludovico fratri Lotharii & Caroli Imperatorum ; inſontem tamen talis nuncupationis, quæ nec in Actis illis, nec apud chronographos Senonenſes reperitur, ut mox dicebamus, his verbis exprobrans: *Si quæ ad annum* 847 *gererentur in imperio, horum Actorum auctor neſcit; quomodo quæ apoſtolicis temporibus geſta ſunt in Eccleſia Dei, noſſe potuerit?* Cui ne eſſet impunè, debebatur hæc talis reſponſio : quomodo Severus qui tam longè abfuit ab ætate Marci Aurelii, qui nullos exhibet ſuæ ſententiæ patronos, qui plures legerat & inſignes ſibi contrarios, quos inter Joſephus, Irenæus, Tertullianus, Plinius, Euſebius, &c. potuit ſcire quo primùm tempore viſa ſint in Galliis martyria, & quæ ſub Aurelio gerebantur, qui tam inſcitè crudéque allucinatus eſt circa geſta Titi, Trajani, Maximini, Licinii, &c. in iis præſertim quæ ſacra Judæorum & Chriſtianorum frequentiſſimos agones ſpectabant? Nihil illi gratis imponitur, quem ferulâ ſuâ dignum caſtigavit ipſe Diſſertator, ut vidimus. Nec proinde ſatis umquam mirabuntur docti viri & cordati, & à quibus procul exulant ſtudia partium, cur uni ſolique ſic cœcutienti, & poſt tot lapſus intra ſpeciem hujus argumenti, malè tuto viæ duci, prona tamen adhæreat tota Launoii caterva ? Hæc frequens occurrit admiratio, nec importuna cenſeri debebit, quibus ratio prævalet & amor veri.

Sed paulò longius digreſſi, in rem notabimus quod licet in Actis ſancti Saviniani Ludovico tribueretur *imperatoria* dignitas, ſeu nomenclatio, quam etiam regibus Hiſpaniæ familiarem fuiſſe norunt omnès, ut Anglis & Francis etiam noſtris; hujus nuncupationis

nuncupationis culpandus non eſſet auctor à Diſſertatore tam erudito, quem candoris potiùs quàm ſcientiæ defectu notarem. Siquidem ipſe Ludovicus Germaniæ rex vocatur *Imperator* à Rabano in epiſt. ad Notingum Veronenſem electum, quo tempore vapulabat miſer Goteſcalchus, hæreſis prædeſtinatianæ poſtulatus: *Nuper quando ad sereniſſ. Imperatorem Ludovicum in tranſitu expeditionis hoſtilis in pago Logana veniſti, & ibidem mecum loquutus de hæreſi, quæ quidem de prædeſtinatione, &c.* Et Childericus Chlodovæi 2 filius, ſtatim in initio Actorum ſanctæ Othiliæ, quæ quidam à doctiſſimo Ruperto Tuitienſi ſcripta cenſent: [Temporibus Hildrici Imperatoris » erat quidam dux illuſtris, nomine Aldaricus, qui etiam alio » nomine Edichin dicebatur . . . . . in palatio prædicti Impe » ratoris, honore Majoris domûs ſublimatus erat.] Hildricus » hic non eſt alius quàm Childericus Francorum rex; quo extincto Liuthericus pater Adalrici, & Erchinoaldi filius, Majordomûs effectus eſt. Octo aut novem priùs annis quàm imperaret Carolus magnus, anno videlicet 23 regni ſui, qui cum Chriſtiano 791 concurrit, *Imperator* dicitur in charta Bettonis Lingonenſis epiſcopi, data eodem anno, *regnante domino noſtro Karolo Imperatore.* Apud Petrum Damiani initio cap. ſexti Opuſculi 47 Stedelandus Galliciæ rex, dicitur *Imperator.* Apud Spelmanum in editione ſua Conciliorum Angliæ, Edgarus rex in Conſtitutione ſe Anglorum *Imperatorem* ac dominum dicit. Et apud eumdem in Excerptis Egberti Eboracenſis cap. 7, ubi dubio procul de rege gentili ſermo habetur: *Ut cuncti ſacerdotes precibus aſſiduis pro vita & imperio domini Imperatoris & filiorum & filiarum ſuarum ſalute orent.* Huc advolet tota Launoii ſchola, & in his ab eo objectis infidelem juxta & infidum miretur præceptorem, quibus tamen & ſimilibus næniis avet obſtrepere; & quæ magis probantur ab aliis, infulcare. Pene exciderat è memoria quòd hæc *Imperatoris* appellatio videtur fuiſſe communis & uſitata regibus Francorum, ſi quis attendat ad hæc Rigordi verba, anno 1185, ubi Eccleſia ſancti Dionyſii in Francia ſic commendatur: *Quæ corona regni Francorum eſt, & regum ſeu Imperatorum ſepultura.* Quin ipſi Carolo Calvo fratri Ludovici, de quo nata hæc Diſſertatoris objectio, *Imperatoris* titulus jam ab anno 844 conceditur in charta 74 Tabularii Bellilocenſis apud Beſlium in regib. Aquit. pag. 3: *Regnante domino noſtro Carolo rege vel Imperatore Francorum, ſive*

Aquitanorum, Garrulſo abbate, anno 844 Diſertè tamen fatetur ipſe Launoius eodem §. 4, pag. 63: quòd *Carolus imperium Occidentis adeptus eſt circa annum* 875; & tamen ante annos plus 30 in charta probè conſignata jam ei Imperatoris nomen inditum erat. Sed faceſſant procul hæc leviuſcula, & celeberrimi doctoris nomine non digna. Piget ad ulteriora progredi, & obſervare non magis culpandam *Imperatoris* appellationem in regibus, quàm *regis* in Imperatoribus, quæ frequenter tamen occurrit apud auctores primæ & mediæ ætatis: nec imperitiæ damnatur, qui ſynopſim Dorothæi Tyri presbyteri nomine inſcriptam olim evulgavit, cùm de Trajano Imperatore ſic ſcripſit: *Creſcens cujus apoſtolus Paulus in poſteriore ad Timotheum meminit, Chalcedone, quæ in Galliis eſt, factus epiſcopus, Evangelium Chriſti prædicavit, & ſub Trajano rege martyrium ibidem ſubiit, & ſepultus eſt.*

OBJECTIO SEPTIMA.

Ex corruptis ſancti Saviniani Actis prodiiſſe Acta ſanctorum Agoardi & Agliberti.

Præceps hîc fuit Diſſertatoris calamus, & in ſe parum æquus, ſed à ſua criticandi methodo numquam alienus, proferre plura, pauca probare. Diſſertationis ſuæ §. 5 ſcripſit horum martyrum Acta, qui Criſtolii in Pariſienſi tractu paſſi ſunt, ex corruptis Saviniani Actis prodiiſſe. Iſta vidimus quàm integra ſint puraque labis, & in quibus Diſſertator cæcutiit. De prioribus tacerem, niſi quòd invicem ſibi ſint adjumento, mutuóque robur impertiant. In his igitur adverſarius non fallere minus quàm falli pronus, non ſecus quàm in aliis aberravit à vero, & ſi quid ſibi viſum eſt in illis obelo dignum, gratis illud aſſerit, nullo ſponſore tutus: ſed ſinè teſte nihil volo tale.

I. Probet doctor Navarræus recentia eſſe Agoardi & Agliberti Acta, & ſola ſui nominis famâ deſtrui poſſe vetuſtiſſimam Pariſienſium traditionem, cui ſuffragantur tot antiqua Martyrologia, Chronicon vetus ſancti Petri Vivi, Acta ipſa ſancti Saviniani, cujus beneficio illi claruerunt in ipſo ſtatim veræ religionis exortu, & aliæ veterrimæ Senonum membranæ, quæ omnia ſilentio præteriiſſe placuit Diſſertatori, ut in ſolo ſiſteret

teſtimonio monachi Præmonſtratenſis in Chronico Autiſſiodorenſi, qui præclaros hos martyres ſanctique Saviniani diſcipulos eo vivente paſſos aſſeruit : cujus ſententiam magis commendat criticus noſter, quàm impugnet his verbis §. citato : *Scio quidem Robertum Autiſſiodorenſem ea narrare quæ corruptis Agoardi & Agliberti geſtis colorem inducant, ſed ſomniis perſimilia ſunt.* Nullibi tamen exhibet illa ſomniantis mentis deliria ; nuſquam probat in quibus Acta ſint corrupta ; & ſi Roberto quoſdam in aliis rebus levioris oſcitantiæ nævos exprobret (de quibus nec nos diffitemur) ut ejus auctoritatem elevet, cùm de martyribus Criſtolienſibus poſt alios optimæ notæ ſcriptores qui ſibi prævii fuêre, loquitur ; actum profectò de ſuis Severo Gregorioque, quibus tot inſiti nævi, tot maculæ graves, tantique ſupereminent contra veritatem obices (quod jam ægrè ſupra tetigimus) ut poſteriori quamvis ſanctiſſimo vix parcere potuerint cordatiſſimi duo viri Hilduinus & Baronius apud ipſum Diſſertat. pag. 210 ſecundæ Diſſertationis : [Hæc & alia plura auctoris Gregorii Turon. ſimplicitati multa tam facilè admittenti donanda ſunt : prout etiam Hilduinus excuſat, ſic dicens : Cæterùm parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi Gregorii Turonenſis epiſcopi, qui multa aliter quàm veritas ſe habet æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis & ſimplicitatis voto litteris commendavit.]

2. Si Robertus, quod non legitur, martyrum Criſtolienſium cædem ſub Nerone conſignavit, & quæ ſunt eorum martyrii appendices, ſed non ſomnia ; quod ad libitum prætermiſit Uſuardus, qui de iiſdem ſufficientia ſcripſit ; nuſquam benè ſenſatis perſuaſerit Diſſertator ſe ſolo munitus, nulloque veterùm juxta & recentiorum, qui ſapiat apud eruditos, teſtimonio tutus ; doctiſſimum illum ſancti Mariani monachum, nemine ſibi inter antiquos præeunte, illud aſſeveraſſe ; cùm ei clariſſ. vir Nic. Camuzatius panegyricum iſtud lemma affixerit : *Eum copioſiſſimâ ſacræ profanæque hiſtoriæ ſuppellectile inſtructum fuiſſe cenſeo, ſincerè & ex bona fide ſingula narrare, veritatis (quam hiſtoriæ animam nemo neſcit) tenaciſſimum, &c.* Et in eadem incidere potuerit (ut mihi certum) vetuſtiſſima rerum Senonicarum rudera, quibus olim incubuit auctor chronici MS Viviani (Cl. V. Jacobo Sirmondo per triginta annos familiaris, mihique tandem ab eo prope octogenario reſtituti) & poſt eum Gaufr. à Collone in tabula ſecunda, quæ ſic miniatis lit-

Digitized by Google

teris inſcribitur : *Secunda tabula intitulatur per nomen ſancti Petri apoſtolorum principis ; per nomen ſancti Saviniani protomartyris Galliarum, & primi Senonenſis archiepiſcopi. Inſuper & per nomen Claudii Romanorum Imperatoris, cujus tempore Petrus venit Romæ.* Hæc tabula, quæ longius excurrit, ſequentes complectitur Imperatores Romanos ad Trajanum excluſivè. Sic igitur in ea de martyribus apud Criſtolium paſſis.

» [Delegavit poſtmodum beatus Savinianus Aurelianis ſanctos Altinum & Eodaldum. Ibi ſanctus Altinus multos baptizavit, & eis Eccleſiam in honore ſancti Stephani conſecravit, & in ea miniſtros Eccleſiaſticos ordinavit : poſtea Carnutum venit, ubi ſimiliter multos baptizavit, & eis Eccleſiam intra muros civitatis in honore Dei matris & Virginis dedicavit, ibique miniſtros Eccleſiaſticos ordinavit. Quod audiens Quirinus, ſanctos in carcerem miſit, ubi multas conſolationes fidelium habuerunt. Mortuoquè Quirino, ſancti à carcere liberantur : & poſtmodum Pariſius devenerunt, ubi multos baptizantes ad Dominum converterunt. Deinde ad vicum qui Criſtoilus dicitur pervenerunt, & multos baptizaverunt, & eis Eccleſiam dedicaverunt. Hoc audiens Agrippinus præſes duos nobiles ad fidem converſos, ſanctos videlicet Agoardum & Aglibertum cum multis aliis martyrio coronavit.] Hæccine *ſunt ſomniis perſimilia*, mi Launoi ? Nonne ipſe malè tunc affecti capitis debilia perpeſſus es, cum Roberto eadem quæ chronicon illud ſcribenti, ſcilicet diſcipulos Saviniani Carnuto Lutetiam profectos primùm ibi Chriſti fidem annuntiaſſe ; tum Criſtolii cætera ſui apoſtolatus munia peregiſſe ; auſu tamen temerario (ne quid tuis commentis deficeret) contrarium imponis ? Sic enim ille fol. 32 verſo editionis 1608 apud Trecas, loquens de Altino & Eodaldo Saviniani ſociis : [Hinc » ad urbem Lutetiam, quæ & Pariſius, properant, ubi dum ſalutis effundunt monita, plures convolant ad baptiſma. Porrò inde digrediuntur ad vicum cui nomen Criſtoilum, ibique cum innumerabili multitudine Aggoadum atque Glibertum ſummæ eminentiæ viros, titulo Chriſtianitatis inſigniunt : quibus annitentibus, fanum quod erat ibi antiquiſſimum, funditùs evertunt. Quâ re pervulgatâ, à Pariſiorum præſide lictores miſſi ſunt, qui ob vindicandam Deorum injuriam prædictos viros cum illa multitudine credentium obtruncarunt.] Tu verò eâ quâ in tuis Diſſertationibus ſinceritate

polles, ſic monacho illi probè ſincero imponis, ut palmare tibi hoc conficias argumentum: *Quis prudens & attentus crederet in vico Pariſiorum, priuſquam in urbe, prædicatam & ab innumeris utriuſque ſexûs hominibus ſuſceptam Chriſti fidem eſſe? Id tamen credendum eſſet, etiamſi Dionyſium Pariſiorum apoſtolum à Clemente miſſum fingeremus. Et ſanè in veteribus ſanctorum Actis interpolatum nihil eſt quod meo judicio facilius diſſuatur.* Dixi ex hujuſmodi hallucinationibus palmare argumentum conficere ſibi Diſſertatorem; familiaris illa ſibi methodus, & cuivis obvia libellos ejus legenti: ſed ne vapulet apud cordatos & æqui amantes vir aliàs ſummè laudandus, ſomno tunc oppreſſum dixerimus, & quæ ſic ſcripſit, *ſomniis perſimilia eſſe.* Nam ei ſua reddimus.

3. Vis adhuc, lector, ſiſtam tibi hominem ſtertenti ſimillimum? Immanem illam Chriſtianorum utriuſque ſexûs, peneque innumerabilium ſtragem Criſtolii factam non admittit; ratus inde ſequi, velut quid incommodum, prædicatam non prius fuiſſe fidem Pariſiis, cùm tunc nullam ibi cædem contigiſſe legatur, ubi vellet frequentiores fuiſſe populi Chriſtiani ſynaxes, quàm Criſtolii; quaſi non decuiſſet vicum in territorio Pariſienſi præferri urbi primariæ: ſed in ea potiùs conventus fidelium pro rebus ſacris tunc temporis (ſub Nerone ſcilicet, ut ſupponit) celebratos fuiſſe, & intrà ejuſdem urbis pomœria martyrum cædes viguiſſe. Verùm in his omnibus peccavit aut ſomniavit Diſſertator. Primam labem & certè pudendam modò deterſimus. Nam poteratne fœdius imponi Roberto Præmonſtratenſi, qui ex Actis Martyrum Criſtolienſium diſertè ſcribit, ut vidimus, fidem priùs Pariſienſes edoctos fuiſſe, quàm Criſtolium ſe reciperent diſcipuli Saviniani? Mihi pro reverentia Pariſienſis doctoris convenientius incumbit dicere nuſquam illum legiſſe martyrum illorum Acta, nec ipſa Sancti Saviniani authentica ſuperius à nobis aſſerta (in quibus eadem de prius converſis ad Chriſtum Pariſienſibus) nec ipſum Roberti chronicon, quàm vigilantem ſuique compotem, tanto ſeſe polluiſſe erorre cujus, ad penam libri ab omnibus eſſet accerſendus.

Altera Launoii labes; contradictionis ſibi notam inurit, ut Robertum, immò Uſuardum & martyrum Acta reprobet, qui pene innumeros utriuſque ſexûs Chriſtianos Criſtolii mactatos fuiſſe conſtanter aſſerunt, vult ille cædem hanc *ſomniis per-*

ſimilem eſſe, quæ in pago contigerit, & non Pariſiis, ubi ſynaxes agi ſolitæ, ut retur, & frequentior Chriſtianorum concurſus, tamquam in urbe primaria, quam (niſi me tanti viri ratiocinatio fallit) cum Lugduno confert, *ampliſſima*, inquit, *Galliarum civitate*: ſed ad hominem reſpondere placet, in prima Diſſertatione §. 5 contrarium docuiſſe de ipſa Lutetia, quæ cum (ut opinatur) tempore Chlodovæi magni vix Baſilicam intra mœnium ſepta, ex ejus conceſſione, habuerit, gratiam illam flagitante Amelio urbis antiſtite; quî potuit cædium tempore, & primo patientis Eccleſiæ ſæculo locum obtinere ſynaxibus agendis idoneum. Sed audiendus ipſe Diſſertator, qui carmine Fortunati bis in eadem pagina repetito mirificè
„ delectatur, quod tamen perperam intellexit: [Id enimverò
„ Fortunatus confirmat duobus in locis, & primo quidem lib.
„ 1 Poematum cap. 4 loquutus de Baſilica quam Amelius Pariſienſis epiſcopus ædificavit:

„ *Qui cupis egregii ſtructuram noſcere Templi*
„ *Tam pia non patiar vota latere tibi.*
„ *Longius hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,*
„ *Ut plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.*
„ *Exiguam dederat hic præſul Amelius arcem,*
„ *Chriſticolam populum nec capiente loco.*

„ Hæc de Amelio Clodovæo æquali, qui datâ per Chriſtia-
„ num regem libertate Pariſiis Baſilicam extruxit: *ſed antea*
„ *ſynaxes agebantur extra urbem.*] Hæc ibi Launoius, cui gentilitio fato fas eſt contrarium aſſerere, cùm illud ſuis votis arridet, ut in hac Diſſertatione.

Hæc lubrici calami indoles, & variandi genius non minùs elucet in ea quam hîc nobis exhibet Pariſiorum urbis ſpecie primis æræ Chriſtianæ annis; lectori perſuaſum eſſe volens ampliſſimæ tunc civitatis ambitum, & populorum frequentiam habuiſſe, ut in ea potiori jure martyrum ſtrages ageretur, quàm Criſtolii. Sed iterum bonus dormitat Homerus. Nam ſincerè vigil ſic aliter ratiocinatur cap. 10 ſuæ Diſpunct. contra epiſt. D. de Marca. *Ex quo Cæſar Lutetiam incendit, & hocce pacto de ſtatu urbis dejecit, non potuit ſtatim in perfectam urbem reſtitui. Profectò nondum erat reſtituta tempore Juliani Imperatoris, qui Lutetiam vocat urbeculam, & Ammianus, qui tunc floruit, caſtellum Pariſiorum.*

Digitized by Google

At ſi vigili quàm ſtertenti præſtet dare fidem, jam non repudiandus auctor chronici ſancti Mariani, nec Acta Criſtolienſium martyrum ut interpolata cum injuria ampliſſimæ Pariſiorum civitatis, levique manu ad ſaniora reducendus Diſſertator, & per ſemetipſum corrigendus. Dux ſibi ipſe conſtituendus eſſet, niſi caſus iterum in præceps timeretur. Eo conſentiente & ritè expergefacto, Lutetia tunc erat urbecula & caſtellum tantùm Pariſiorum dum imperaret Julianus; eo favente, Chriſtianorum ſacra & ſynaxes agebantur extra urbem, dum rerum potiretur Chlodovæus primus inter Chriſtianiſſimos reges ſacris undis intinctus, qui Amelio facultatem impertiit Templi conſtruendi, ſi Superis placet & Launoio (ſed hujus aſſertionis quantùm ad chronicas notas, ne me credas, lector, vadem aut obſidem) item prius affulſerat Pariſiis, quàm Criſtolii lumen fidei, ut perhibent Acta Saviniani Criſtolienſia, & Robertus S. Mariani monachus; tandem ex Uſuardo à Diſſertatore laudato pag. 66 ſecundæ Diſſert. in meo codice, cæduntur Criſtolii Agoardus & Aglibertus, *cum aliis innumeris promiſcui ſexûs*. Ex hac adverſarii confeſſione quid colligere poſſit lector æqui verique ſtudioſus, niſi peracta fuiſſe prope Pariſios quantùm ad martyrum internecionem, quæ in cæteris imperii Romani locis, ubi tum Chriſti fides emergebat, contingere ſolebant? Scilicet Chriſtianorum Pariſienſium & cæterorum in vicinis locis commorantium, qui jam Chriſto nomen dederant religioſos conventus apud Chriſtolium, ut tutam ſuis ſacris ſtationem celebrari ſolitos, ibique *paganorum induſtriâ* cuncta luſtrantium detectos, præcipiti ſtrage omnes periiſſe. Nihil amplius Acta germanæ fidei, non aliter Uſuardus, & poſt ipſum Robertus; ante omnes id prædicant membranæ Senonenſes, ut vix perſuaderi poſſit quibus gratum erit Launoii ſenſa conferre cum his omnibus veritatis indicibus, tantam hîc, ut alibi, infulatum doctorem ſui nominis celebritati dicam intuliſſe. Vides, lector, quibus machinis impetatur Saviniani apoſtolatus, & invidioſa primigeniaque miſſionum apoſtolicarum in Gallia, quam ſuo & ſuorum ſanguine conſecravit, epocha. Fraudibus & ſophiſmatibus, ut jam conqueſti ſumus, tumet adverſariorum conflictus, ut veritas juguletur: ſed *claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt*, ut præfatur Hieronymus in Jeremiam, & hac pericope Diſſertatori familiaris. Non hæc animo dicas intentandi; nam cum eodem lib. 1 contra Pela-

gianos : *Non de adverſario victoriam, ſed contra mendacium quærimus veritatem.*

Dixi quod carmen Fortunati *perperam intellexit*. Nec enim de Amelio pariſienſi loquitur, ſed de Burdegalenſi Fortunatus, ut Brouverus ſuis ad eum notis prudens agnoſcit. Nec cohæret chronologia Chlodovæi, qui obiit anno quingenteſimo undecimo, ut volunt quidam, quo prima ſynodus Aurelianenſis habita fuit, cui Heraclius Pariſienſis epiſcopus ſubſcripſit, poſt quem immediatè ſedit Probatius, tum Amelius pariſienſis, qui cum Patribus Concilii 2 & 3 Aurel. conſedit, eiſque ſubſcripſiſſe legitur. Quo invincibiliter demonſtrato, quî potuit Pariſienſis epiſcopus Amelius à Chlodovæo magno facultatem impetrare Dionyſio memoriam erigendi intra Lutetiæ ſepta, quæ Chriſtianorum ſynaxibus uſui eſſet, longioris extra urbem itineris pro ſuis ſacris tædio affectorum; cùm jam à 24 annis Chlodovæus obiiſſet? Deinde num regnante Childeberto primo, religioſiſſimo principe, anno ſcilicet 534, quo fides ubique Gallorum florebat, nulla Pariſiis pro ſacris conventibus Eccleſia, cùm olim anno 362, plurium epiſcoporum ſynodus ibidem coacta ſit contra Ariminenſem conventum: quo certè tempore plures Eccleſias intra urbis pomœria jam conſtructas, nec paganos auctoritate & potentiâ Chriſtianis præiviſſe certo certius eſt. Ad Launoii flexus & mæandros redeat oratio.

Scio Diſſertatorem cum nobiliſſimo pugile manus intra ſpeciem hujus argumenti conſeruiſſe, clariſſimo ſcilicet Hadriano Valeſio, opinantem martyrum cædes intra urbis Romæ, & cæterarum imperii pomœria contigiſſe, ſed validiſſimè repulſum tandem ſiluiſſe. Plura congeſſit Valeſius hîc profutura, ſed omnibus obvius eſt eruditiſſimus ſcriptor, & ab omnibus litteratis ſummè laudandus. Tertia Launoii labes, & quam mero partium ſtudio contraxit, prodit hominem non magis adhuc ſibi conſtantem. In illo §. 5, de quo agimus, laudat Uſuardi martyrologium ſic ſcribentis : *XXIV Junii, in territorio Pariſiacenſi, vico Criſtolio, paſſio ſanctorum Agoardi & Agliberti cum aliis innumeris promiſcui ſexûs.* Sibi favere credidit Uſuardum, quia tacuit nomen Neronis, quod à Roberto Autiſſiodorenſi expreſſum fuiſſe vult inſinuare; ſed perperam, quod legenti certiſſimum rit. Hoc Uſuardi ſilentio delectatus, ex quo tamen nihil confi ere poteſt, illum ingenioſè laudibus effert, nec ei patitur præferendum eſſe Robertum, à quo tamen non diſſentit,

qui

qui non alia quam ſibi prævius Uſuardus ſcripſit, nec Neronem nominavit, quidquid ibi cæcutiat aut allucinetur Diſſertator: *Contendo*, inquit, *vehementiſſimè aſſerendæ veritatis, & deſtruendæ falſitatis regulas non pati, ut hic auctor* (Robertus) *Uſuardo veteris hac in re traditionis cuſtodi præferatur.* In §. præcedenti pari effato palpaverat illum, nec tuto honore Adonis Viennenſis archiepiſcopi, licet in Saviniani epocha ambo conveniant, ut vidimus: *Quod autem Ado hos duos martyres*, Savinianum & Potentianum, *ab apoſtolis miſſos dicat in martyrologio nihil moramur. Corrigendus eſt per Uſuardum Pariſienſem monachum*, &c. Quibus vides ex ſententia Launoii nihil Uſuardo defuiſſe, ut per eum certa de Criſtolienſibus martyribus traditio figeretur: quam cùm diſertis exprimat verbis in martyrologio, certiſſimam habet adverſarius, hoc tantùm excepto quod Imperatoris nomen taceatur. Sed ſi Neronem reſpuat, quia non apparet in contextu; nullus alius imperaverit Cæſar, cùm Criſtolii ſævitum fuit in noſtros, eò quòd nullum nominavit Uſuardus: & ſub qua temporis nota conſignare volet Diſſertator cædem Criſtolii factam, quam non negat; negabimus nos illam accidiſſe, eâ quam nobis obtrudit ratione ducti, quòd nullius Imperatoris nomine annotetur: aut ſi fabuloſa ſit ex tali reticentia, peccavit Uſuardus, qui ſuis illam faſtis inſeruit, & lectoribus ſuis impoſuit Launoius, qui *vehementiſſimè contendit aſſerendæ veritatis, & deſtruendæ falſitatis regulas*, quibus ſe totum devovet, *non pati*, ut Robertus Autiſſiodorenſis *Uſuardo veteris hac in re*, ſtrage ſcilicet Criſtolii factâ, *cuſtodi præferatur.* Quàm bellè ſibi concinit cap. 16 ſuæ Diſpunct. *His ſe rebus abſurdis implicant, qui non amore veritatis, ſed ſolâ contradicendi libidine ſcribunt*: & quàm egregiè noſtris ſe rebus adjungit §. itidem 16 ſuæ 2 Diſſert. *Alia ſunt partium ſtudia, alia veritatis: hæc animis hominum lucem, illa cæcitatem important.* Aliud exhibemus hujus cœcitatis exemplum.

Miraberis lector, ſi tibi ſint ad manum Diſſertatoris noſtri lucubrationes (nam mihi ſoli fidem habeas, nolim) quàm ſtupenda nonnumquam cœcitate laborent viri aliàs oculatiſſimi, cùm ſcribendis ad ſaturam libellis, & dilatandæ nominis famæ, quàm veritati, ſtudioſius incumbunt. Jam ſcripſiſſe me memini, quòd multâ prole fœcundus fuerit Diſſertator, ſed quæ ſolo vagitu notabilis, ſtatim periit in cunis. Hic fatigandi præli pruritus, & quà ſe novitatis ardor prorupit, plures torquen-

Digitized by Google

di, non ſivit hominem eam ſuis operibus limam acuere, quâ tanto opifice digna forent. Præceps animi impetus cuncta corrodentis obfuit illi ſeriæ meditationi,quam in eo deſiderant multi, & in eo præſertim Miſſionum apoſtolicarum, quod præ cæteris ardentius ambivit, argumento. Tota tumet his queſtibus hæc mea qualiſcumque lucubratio: ſed ignoſcat lector, ſi in gratiam Saviniani, cujus ſub regimine Petri vindicandi mihi partes obtigêre, & cujus Acta Diſſertator ſcribit corrupta fuiſſe, ſuamque Criſtolienſibus maculam indidiſſe, ne peſſum eat Severi epocha tam ambitioſè defenſa; paucis adhuc demonſtrem non hìc audiendum eſſe ſcriptorem, qui tam à ſe quàm à vero diſſentit.

Mox vidimus eum primas Uſuardo detuliſſe, ut fido cuſtodi traditionis, quæ hactenus invaluit de Pariſienſium martyrum promiſcui ſexus internecione Criſtolii factâ, quæ miram Senonenſibus ſancti Saviniani geſtis auctoritatem conciliat. Ei confirmandæ profert bonâ fide Diſſertator martyrologia Pariſienſis & Romanæ Eccleſiæ idem cum Uſuardino habentia: ſolam excipit temporis notam, & nullam ipſe conſignat. Non diffitetur etiam Robertum Autiſſiodorenſem illud martyrium recenſentem, *ea narrare quæ corruptis Agoardi & Agliberti geſtis colorem inducant*; quamvis illud ſomniando ſcripſerit adverſarius, ut ſtatim patebit. Quis hìnc certum non habeat, non dubitaſſe Launoium de immani illa apud Criſtolium carnificina. Et tamen dum in conſequentibus illo §. ſtilum acuit, jam non ſui memor, nec *Uſuardi, veteris hac in re traditionis cuſtodis*, nec Pariſienſis & Romani martyrolog. quibus nihil opponit; fabuloſam putat horum martyrum hiſtoriam, dum quæ recenſuit Præmonſtratenſis monachus: *Somniis*, inquit, *perſimilia ſunt; & priſcâ traditione, quæ à tempore Caroli magni recenſeatur ad Gallicana Eccleſiæ primordia, carent. Hæc figmenta ex eorum officina prodierunt, qui poſt illud Caroli tempus, cùm revocatam à Decio ad Domitianum Dionyſii epocham viderent, Potentiani & Saviniani miſſionem revocarunt ad apoſtolos, ne quid metropoli deperiret. Quin etiam non revocarunt modò, ſed effecerunt etiam ut per Potentiani & Saviniani diſcipulos in vicis Pariſiorum, & in ipſa urbe Chriſtiana fides annuntiaretur.* Viden hominem ſuis ipſummet ſomniis excitatum pavidumque, ac nullo reſiſtente, pugnantem. Totam hanc inſomniorum ſuorum tragœdiam, neutiquam conſcio Præmonſtratenſi monacho excitavit, apud

Digitized by Google

quem, ſi benè legeris, nihil offendes, lector, tali cenſura dignum. Finxit Diſſertator *figmenta*, quibus vel ſe deluſum voluerit; nam nihil ab Actis, nec ab ipſo Uſuardo (quem mirè collaudat) diverſum exſcripſit doctus cœnobita, cujus ex integro contextum dedimus ſupra, quem ſi legiſſet Diſſertator, ſibi peperciſſet ab ira, nec nos ad pios commiſerationis affectus provocaret. Non piget repetere decretorium tantæ rei momentum.

Hinc ad urbem Lutetiam, quæ & Pariſius, properant, ubi « dum ſalutis effundunt monita, plures convolant ad baptiſma. « Porrò inde digrediuntur ad vicum cui nomen Criſtoilum, « ibique cum innumerabili multitudine Agoardum, atque Gli- « bertum ſummæ eminentiæ viros, titulo Chriſtianitatis inſi- « gniunt: quibus annitentibus, fanum quod erat ibi antiquiſſi- « mum funditùs evertunt. Quâ re pervulgatâ, à Pariſiorum « præſide lictores miſſi ſunt, qui ob vindicandam deorum in- « juriam prædictos viros cum illa multitudine credentium ob- « truncarunt.] En Roberti *figmenta*, vel ſi mavis, ſomnia Lau- « noii, cui ſatis non fuit impoſuiſſe Roberto, quaſi ſcripſerit fidem priùs inclaruiſſe Criſtolii, quàm Lutetiæ; cui ſuppoſitioni quidquid habet argumentationis aut argutiarum ſuperimponitur: ſibi item contraria dixiſſe, ſcilicet uno in loco ſynaxes fidelium extra urbem peragi ſolitas, uſque ad Chriſtianos natales Chlodovæi magni; & in hoc §. 5 contendere quòd intra Lutetiæ ſepta celebrari debuerint: Uſuardum commendare, ut dignum traditionis cuſtodem, quæ martyrum Criſtolienſium hiſtoriam ad ſuam uſque ætatem poſteritati conſignauit; & eodem calamo ac temporis momento illam inter figmenta & ſomniantium deliria recenſere: ei, inquam, ſatis non fuit ore ſatyrico pugnantia ſecum exhalare, niſi (qui unus eſt de locis ſuis communibus, & frequentiſſimus) fictitii ſynchroniſmi ſui larvam imponeret nobiliorum Eccleſiarum prælatis & clericis, læto hoc celeuſmate ſibi gratulatus, Senones ſuggillans & Pariſinos pag. 68: *Ii ſunt conatus & conſilia obſcurorum hominum, qui excitata inter ſedes ſuper acceptione fidei æmulatione, pleriſque veteribus ſanctorum Actis vim intulerunt.*

Ne ſtili forſan acrioris expoſtuler, mihi pronius incumbit, meæque erga piiſſimos Launoii manes gratitudini convenientius, ut dicam hanc illuſtriſſimo Gallicano clero toties inflictam, digniori cenſurâ, & nobiliori alterius calamo propul-

Digitized by Google

ſem. V. C. Hadrianus Valeſius adverſarium noſtrum nondum humanis ereptum ſic excepit cap. 10 prioris partis ſuæ Defen-
» ſionis, &c. Scripſerat Diſſertator : [Severus in lib. 11 Hiſto-
» riæ, cum dicit ſub Aurelii Antonini filio perſecutionem 5.
» agitatam, ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius
» trans Alpes Dei religione ſuſceptâ, ex ſeipſo non dicit. Tra-
» ditio eſt quam Severus derivat ex Euſebio, Euſebius ex mar-
» tyrum hiſtoriis (falſa hæc omnia) quæ ab æqualibus, aut
» tempore proximis conſcriptæ fuerant. Id nuſquam negabit
» qui chronicon & hiſtoriam Euſebii evolvet. Gregorius quo-
» que à ſemetipſo nihil dicit ; calculo tantùm ſuo confirmat
» beati Saturnini hiſtoriam, quæ ab auctore æquali vel ſubpari
» ſcripta fuerat. Itaque Severo & Gregorio de re tam veteri
» non credimus, niſi quatenus uterque æqualium vel ſuppa-
» rium auctoritate fulcitur.]
» Ad quæ Valeſius, & in rem noſtram egregiè : [Benè ſe res
» habet : ſed cur, Magiſter Johannes, non profers verba Eu-
» ſebii ? Cur non laudas & exhibes veterrimas illas incorruptaſ-
» que paſſionum hiſtorias, ſi haſce hiſtorias Euſebius, Euſe-
» bium Sulpitius Severus eſt ſequutus ? Nam certè gratis tibi
» non credimus, ne jurato quidem. Cedo locum ex hiſtoria
» Eccleſiaſtica, vel ex chronico excerptum, in quo Euſebius
» disertè tradat, *ſerius trans Alpes* (hoc eſt per Gallias, Hiſ-
» panias ac Britannias) *Chriſtianam religionem ſuſceptam, ac ſub*
» *Aurelio Antonini filio primùm intra Gallias martyria viſa eſſe.*
» Euſebius quidem in lib. 5 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ martyrum
» Viennenſium ac Lugdunenſium, Marci Aurelii Veri Auguſti
» principatu cæſorum, fusè meminit ; ſed etiamſi nullorum prio-
» rum in Gallia martyrum mentionem fecerit, non tamen af-
» firmat hos primos omnium Gallicanorum martyrum fuiſſe, &
» ſerò trans Alpes Chriſtianam religionem receptam eſſe. Si
» nuſquam Euſebius ſcripſit quod in hiſtoria ſacra Sulpitii Se-
» veri invenimus ; quâ ratione Severus dicetur ſequutus Euſe-
» bium in his quæ nuſpiam tradidit Euſebius : aut cur non po-
» tius dicetur fundus aut auctor eorum quæ primus litteris
» mandavit ? Alioquin ſi tuâ reſponſione uti volumus, latiſſi-
» mam ad quaſvis fabulas admittendas feneſtram aperiemus.
» Si quid recens auctor prodiderit, affirmabo eum à vetuſtiore
» id ipſum accepiſſe, illum ab alio priore, hunc à ſuppari vel ab
» æquali ſcriptore. Sic ingenioſâ tuâ gradatione ſemper à re-

Digitized by Google

centibus auctoribus ad ſuppares æqualeſque aſcendemus ac « perveniemus : nec quidquam erit tam abſurdum & falſum, « quod non æqualibus aut ſupparibus feratur inniti ; & qui le- « ges tuas verum à falſo ſejungendi obſervare debueras, ipſe « deſtrues. Jam verò paſſionem ſancti Saturnini martyris quis « non videt metiendam eſſe auctoritate Gregorii ? Cùm & tan- « tummodo *fideli*, vel potius infidâ atque fallaci *recordatione* ful- « ciatur, & ſanctum Saturninum *ſummum Tholoſæ ſacerdotem* no- « mine, epiſcopo Narboni metropoli ſubjecto, haud conveniente « appellet ; quaſi non ſufficeret *ſacerdotem* dixiſſe, quo tunc « nomine epiſcopi deſignari conſueverant. Quare me judice « non falletur qui paulò ante Gregorii ætatem hanc paſſionem « conſarcinatam eſſe putaverit ; cujus tu auctorem *ante annos* « *mille & ducentos* 4 ſæculo vixiſſe, & æqualem Diocletiano « vel certè ſupparem fuiſſe in Diſcuſſione tua aſſeris gratis.] « Hæc Valeſius. Et in eodem cap. *Pudet me tua cauſſa, Launoi Magiſter, pudet me, inquam, & tædet tot nugarum tuarum, & tantæ in violandis tuis legibus inconſiderantiæ . . . . . . Vides ergo, Magiſter Johannes, quàm diligenter ſcribas, quàm tibi conſtes, quibus fundamentis, aut potius quàm tenui tibicine opiniones tuæ obſervationeſque fulciantur.* Hæc pauca tanti viri effata ſuffecerint, ne me ſtudio partium ad criminationem adductum cenſeant alii. Sed in his tandem aliquantulùm immorari libuit, ut advertere poſſint Launoii clientes quanto veritatis diſpendio, & quàm præcipiti novandi pruritu ſtudeant homini, cui nec in his ratio, nec auctores ſuffragantur. Præ me fero (quod veri amor fateri me cogit) plures ejus ſtudioſos, & qui libellis ejus mirificè delectantur, vel eos ſeriò non perlegiſſe, aut cum auctoribus quos inſectatur, non contuliſſe. Verus tamen criticês genius id prærequirit, certaque methodus inveſtigandæ veritatis & falſitatis deſtruendæ (ſi æquus arbiter ſedere velis) ut ſcriptorem quantumvis apud te famâ nominis & auctoritate polleat, ſeriùs evolvas, cuncta perpendas ad æquam judicii trutinam, in ejus doctrinæ textuumque fontes oculorum aciem intendas ; & pari conatu quid contra eum reponant alii, non perfunctoriè rimeris. Qui Diſſertatoris lucubrationes ad hanç judicii, ab omni partium æmulatione defæcati, limam expenderit, ipſum profectò pudebit famoſo nomini aut amicitiæ, veri injuriâ tamdiu litaviſſe.

His palam fit quàm inutiliter, & vanis ictibus in Saviniani

miſſionem ferociat Diſſertator; licet non tam ei quàm Dionyſio & Juliano Cænomanenſi infenſus, & quàm longius, & in Morboniæ ſuæ Cherſoneſum ejiciendi qui dictata ejus auſcultant, quem vident fictis tantùm & volaticis commentationibus, quod rei eſt laceſſere. Cenſuram hanc ultra probabunt ſequentia.

OBJECTIO OCTAVA.

Concilium Francoford. Guibertus abbas Novigentinus, Melchior Canus.

Licet in §. 4 ſecundæ Diſſertationis, quo ætas miſſionis ſancti Saviniani peculiariter impetitur, locum afferat Diſſertator ex lib. 1 §. 3 ſub finem; Opuſculi Guiberti abbatis Novigent. De Sanctis & Sanctorum pignoribus, inutilem tamen hanc allegationem, nec Saviniano nocivam, ſolus probat ejus contextus: » [Ab inertibus & antiquitatem primorum epiſcoporum ſtultè » affectantibus ſcriptoribus pene omnes ſanctorum hiſtoriæ de» trimentum acceperunt. Quod inter alios Guibertus Novigen» tinus abbas, qui ad annum 1130 floruit, lib. 1 de Sanctis & » Sanctorum pignoribus teſtatur: *Certè cùm plures ſanctis ſuis » ſummas antiquitates attribuant, moderno tempore eorum ſcribi vi» tas expoſtulant; quod à me profectò ſæpe petitum eſt.*] Totum perlegi abbatis illius Opuſculum, in quo nulla prorſus de affectato apoſtolorum ſynchroniſmo, & ſedium epiſcopalium antiquitate mentio, nullus de corruptis martyrum Actis queſtus, nulla de interpolatis aut temerè confictis ſanctorum legendis animadverſio: ſed in id unum provehitur cenſura Guiberti, ne indebitus falſis aut ſuſpectis ſanctorum reliquiis cultus exhibeatur. Cum nihil Launoio ſuccurreret, quo libellos ſuos in Bibliopolæ ſui commodum ſaginaret, aut ſciret ſuæ criticês fucos novatoribus arridere, non ægrè fuit ſibi ſtudentes talibus illuſionibus irretire. Nec ſemel locum hunc Guiberti laudavit; ſed ne penuriâ ſibi ſolitâ laboraret, quâ ſeſe dedit occaſio ad nauſeam propinavit.

Non minus à vero deflexit, cùm toties nobis oppoſuit canonem 42 Concilii Francofordienſis, quod octavo ſæculo deſinente, celebratum fuit: *Ut nulli novi ſancti colantur aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur: ſed hi ſoli in Eccle-*

ſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum & vitæ merito electi ſunt : Quaſi ſaluberrimum illud ſacri conſeſsûs oraculum, vel minimum attingeret hanc de ſedium noſtrarum natalitiis quæſtionem ? Nùm *novi* ſunt ſancti quos hìc Chriſto, vel Petro, aut ſaltem Clementi coævos ſupponimus, ut eos à Diptycis noſtris canon Francofordienſis ablegét, aut recèns in viarum compitis titulos erigimus, quibus ante Marci Aurelii tempora poſitos fuiſſe probavimus ſupra ? Hanc Diſſertatoris ἀβλεψίαν nova critica demiretur, & tandem ſtupeat viro tam plura comminiſcenti pronam tamdiu ſe fuiſſe. Quos tamen in hujus Eccleſiæ ſacrario, in quo Savinianus & inclita Senonenſium martyrum cohors corpore ſimul & virtutum apice ſupereminent, jugiter apud nos obſtrepentes audimus, hæc ſola nobis obtrudunt Launoii Bucolica, Guiberti, Cani, Patrumque Francofordiæ conſidentium oraculis plena. Par de citatione Melchioris Cani cenſura, quâ toties Diſſertatori luxuriari libuit, quæ tamen merum eſt indigentiæ ſuæ aſſutamentum, & probandæ theſi prorſus ἀδιάφορον. Mihi nunc ad manum ex ipſius Diſſertatoris cap. 14. ſuæ Diſpunctionis contra D. de Marca : [Hic (Canus) *in libri* 11 *de Locis cap.* 6 dolenter « hoc dico potius, quàm contumelioſè, multò à Laertio ſe- « verius vitas philoſophorum ſcriptas, quàm à Chriſtianis vi- « tas ſanctorum ; longeque incorruptius & integrius Suetonium « res Cæſarum expoſuiſſe, quàm expoſuerint Catholici, non « dico res Imperatorum, ſed martyrum, virginum & confeſſo- « rum. Illi enim in probis aut philoſophis, aut principibus, nec « vitia, nec ſuſpiciones vitiorum tacent ; in improbis verò co- « lores virtutum produnt. Noſtri autem plerique vel affectibus « inſerviunt, vel de induſtria quoque ita multa confingunt, ut « eorum me nimirum non ſolùm pudeat, ſed etiam tædeat. « Hos enim intelligo Eccleſiæ Chriſti, cùm nihil utilitatis at- « tuliſſe, tum incommodationis plurimùm.] *Et poſt alia pauca:* « [Certum eſt autem qui fictè & fallaciter hiſtoriam Eccleſia- « ſticam ſcribunt, eos viros bonos atque ſinceros eſſe non poſ- « ſe, totamque eorum narrationem inventam eſſe, aut ad quæ- « ſtum aut ad errorem ; quorum alterum fœdum eſt, alterum « pernicioſum.] *Et poſt alia* : Quaſi verò ſancti Dei homines « noſtris mendaciis egeant, qui tam multa vera pro Chriſto « geſſerunt.] Quid hoc verborum ſatellitio læditur Savinianus, «

Digitized by Google

aut quid in ejus miſſionis decora Canus obmurmurat ? Quid hîc de cathedrarum noſtrarum encæniis, aut de primorum præſulum antiquitate ?Ne γρὺ quidem. Taceo quod Canus canos non habeat Diſſertatoris regulis convenientes, ut de corruptis ævo Caroli magni Eccleſiarum codicibus, ſi qui fuerint, judicium ferat, quod veri aſſerendi falſique deſtruendi norma ſit à quovis tenenda. Hoc unum lectorem rogamus, ut nobiſcum adverſario ſuccenſeat, aut ſtupeat ſaltem, tot in orbe Chriſtiano matrices Eccleſias ſuggillari, probris onerari, & per omnes libellorum ſuorum paginas (uti jam vidimus) contumelioſè traduci ex illis & ſimilibus ſententiis irrationabiliter (ſi voci parcas) citatis; aut, quod pejus eſt & Diſſertatori frequentiſſimum, ſe ſolo nulloque vade, in hæc calamo ſuo non digna proruere. Præ me fero, & pene juratus aſſevero inter tot Launoii centones, quos ubique gentium diſperſit, hujus de quo quærimus argumenti, nullum à ſe textum auctorum diſertè probéque citatum; nullum qui vel ſpecie tenus ſtatum ſeu ſcopum quæſtionis attingat; multa quidem eruditioni ſuæ conceſſa, ſed ad pompam, & infidè congeſta. Mirum tamen pluribus viſum eſt quod in ea ſui caligine radios emiſerit, & nominis famam, non ea ſcribendi felicitate, quæ cæteros nobis auctores conciliat, quibus candor animi, eruditio certa, & ſincerus veritatis amor cordi ſunt : ſed quorumdam theorematum delectu, quibus impenſius favit, quæ cum exotica, ſingularia, & avitæ traditioni ut plurimùm inimica ſint, eos ſibi devinxit, quibus pari voto excidium antiquitatis arridet. Sic affecto nihil quidem occurrit quo ritè probaret animi ſui ſenſa : ſed quædam compegit quæ ſuaderent percitis ardore novitatis, aut jam aliàs in patrios uſus ægrè propenſis.

OBJECTIO NONA.

Interpontificium.

Nullibi minus aberravit à vero Diſſertator, cæterique qui contra venerandam fidei noſtræ trans Alpes canitiem duriùs invehuntur, quàm in hoc præſulum Interpontificio. Probat illud, inquiunt, quòd par apud plures, ſaltem nobiliores orbis Eccleſias, non ignobilis pruritus fuerit, & deſiderium vehemens figere ſibi pro primario ſuæ civitatis antiſtite virum, qui vel Chriſto

Digitized by Google

Chriſto familiariter adhæſerit, aut ſaltem ex ipſo apoſtolorum collegio diſtractus fuerit; quo facto vel ficto, longum videas Interpontificium & ducentorum fermè annorum ad uſque Decii tempora ſeſſionis hiatum; ut olim ſcribebam ad Cl. V. Joannem le Riche Senonenſem canonicum & cantorem. Non ſibi defuit critica novantium ex illo ſpecioſo commento, nec ſcivit elabi, quo ſaltem jejunè reficeretur; ita ut alicubi dixerit Diſſertator gratiſſimum iſtud Lugdunenſibus oraculum: *Sola in ſerie præſulum ſuorum non aberravit Eccleſia Lugdunenſis.*

Fateor plurium Eccleſiarum elenchos hiulcos eſſe, nec jugi pontificum ſerie cohærentes: noſtratium tamen non paucas advertes, quas *Galliæ Chriſtianæ* ſcriptores exhibent, in quibus neceſſariis tantùm à ſe diſſident intervallis antiſtites, ſi tam rationis numeros quàm Arithmeticæ calleant Diſſertator & ejus collegæ. Inter earum ſedium prælatos, qui ſic à ſe ſerie non dehiſcunt, jure numerandi Senonenſes, ſi quam ex pluribus tabulis Chronologicis ſuperius exhibitis nomenclaturam dedimus, recta cenſeatur. Verùm ſi nonnihil adhuc hæreant in ea recentiores Chronographi; & in gratiam etiam aliarum Eccleſiarum apud quas hiatus ille certò dignoſcitur, veram illius cauſam hîc promimus.

Certum eſt ex Euſebio lib. 8 cap. 2, & 3 Hiſt. Diocletianum anno imperii 19 codices omnes Eccleſiarum flammis damnaſſe, & ubique quâ ſævire potuit ferale Cæſaris edictum, concrematos eſſe: *Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani, cùm menſe Dyſtro, quem Romani Martium vocant, appetente die feſto Dominicæ Paſſionis, propoſita ſunt ubique imperialia edicta, quibus Eccleſiæ quidem ad ſolum uſque dirui, ſacri verò codices flammis abſumi jubebantur.* Sed ne quis hæc Euſebii verba de ſolis Scripturis divinis intelligenda putet, ob ea quæ eodem cap. 2 ſcribit oculatus teſtis Euſebius: *Divinas & ſanctas Scripturas medio foro in rogum impoſitas oculis noſtris aſpeximus.* Hîc laudandus, qui tum florebat Arnobius lib. 1 adverſus Gentes: [Sed « neque hæc omnia conſcribi, aut in aures omnium pervenire « potuerunt geſta gentibus in ignotis, & uſum neſcientibus « litterarum: aut ſi quæ ſunt litteris conſcriptionibuſque man- « data, malevolentia dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt « hanc intercipere veritatem, & conſimilium his hominum inter- « polata quædam & addita, partim mutata atque detracta ver- « bis, ſyllabis, litteris, ut credentium tardarent fidem, & geſto- «

» rum corrumperent auctoritatem.] Hæc quidem de corruptis potius, quàm crematis libris Arnobius, ſed quæ parem fere jacturam demonſtrent. Nec eorum tamen conflagrationem ſiluit, de qua conqueritur lib. 4 ſub finem: *Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, &c.* per quæ ſuperius edictum probè deſignat. Plurium martyrum noſtrorum Acta tunc periiſſe non obſcurè Gregorius Turonenſ. innuit lib. de Gloria martyrum capp. 40, 51, & 64. Præterea temporum edacitati, bellorum infeſtationibus, fami blattarum & tinearum, & fortuitis conflagrationibus, de quibus apud noſtrates & antiquiores hiſtoricos queſtus frequentior, noxam hanc imputamus.

Nec minus inanitas illa tabularum Eccleſiaſticarum probanda videtur ex atrocitate perſecutionum, cum vix poſſent reperiri qui ad ſacras infulas rapi ſe ſinerent, aut rapti palam prodirent, eo præſertim tempore, quo in ſolos Eccleſiarum præſides, ut ſcribit Euſebius, inquirebatur ad necem; quorum quidem pacificè nonnumquam occumbentium obſcura vel nulla fuerit memoria in ſacris codicibus(qui nulli tum exarabantur) ſed in ſolis fidelium animis pio traduce propagata. Hæc interrupta præſulum ſucceſſio potuit etiam contingere ex ipſa paganorum vexatione prohibentium, ne quis eligeretur, ut grex paſtore deſtitutus, ſtatim peſſum iret, ut diſertis verbis annotavit Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. 1, cap. ultimo, de Turonum civitate, quæ poſt mortem Gatiani *diu & per* 37 *annos*, inquit, *ſine ſacerdotali benedictione fuit, impedientibus paganis.* Simile deflet ſedis Remenſis Interpontificium Flodoardus, lib. » 1, cap. 5 Hiſt. & cum eo alii: [Frequentibus perſecutionum » procellis intonantibus, Eccleſiæ puppis noſtræ jactata, diver- » ſiſque oppreſſa fluctibus, quoniam vix caput attollere pote- » rat; quantò ſedes ipſa tempore rectore vacua digno reſede- » rit, haud facilè panditur; adeo ut poſt præmiſſos fidei noſtræ » patres Sixtum atque Sinicium, unum dumtaxat præſulem in- » venimus Amantium ad imperium uſque Conſtantini.] Et ne ſim nimius, hæc Remenſium & Turonenſium nota vexatio ab idololatris inflicta parem cæterarum, ut plurimùm, Eccleſiarum ſortem indicat, ſed quæ earum antiquitati nullum prorſus obicem ponat, ſi res ad rationis amuſſim expendatur, & quæ

Digitized by Google

de ſua Turonenſi nos docet Gregorius, attendantur; ex cujus verbis mox relatis fit certum Turonicæ ſedis natalem (de cæteris par ratio) non fuiſſe poſt cædium tempus; ſed in Gatiano, vel etiam anteriori longè præceſſiſſe, qui licet placido funere poſt plures regiminis annos quieverit, nullus ei tamen, metu paganorum ſuffectus fuerit, ut ait Gregorius, aut de ſuffectis nulla ſibi indicia patuerint.

Hanc etiam rationem laudavit Diſſertator in ſua de primo Cænomanenſi epiſcopo Juliano Diſſertatione: *Chriſtiani cùm eſſent pauci, vix ullus erat qui creari vellet, aut poſſet epiſcopus, & ne ullus crearetur, infidelium optimates ſuis minis & ſuppliciis impediebant.* Qui tamen aſſumebantur, eis integrum non erat, nec tutum *epiſcopos* vocari, ſed ſingulari ſuos inter teſſerâ notabantur, quales nunc dierum antiſtites Catholici, qui degunt in locis, in quibus libera non eſt veræ fidei & Romanæ profeſſio. Authenticum hujus rei argumentum habetur in hiſtoria præſulum Virdunenſium, & apud Vaſburgum archidiaconum in ſuis Antiquitatibus Galliæ Belgicæ, & in MSS. cod. abbatiarum ſancti Vitoni Virdunenſ. & ſancti Petri Catalaun. in quibus expreſſum habes nullum illius ſedis antiſtitem per ducentos & amplius annos (notat Interpontificium illud Claudius Robert) voluiſſe dici epiſcopum, metu perſecutionum; quo tamen tempore octo ſediſſe pontifices tandem compertum eſt ſub beato Richardo abbate ſancti Vitoni apud Virodunum, cujus olim Eccleſia ſedes erat epiſcopalis. Iſthæc etiam graphicè delineavit doctiſſimus Hugo Menardus vir, ſi quis alius, emunctiſſimæ naris, & in diſcernendis veterum monimentis aſſiduus, qui Viroduni cùm eſſet, hæc quæ ſequuntur ſcripſit lib. 1 Obſervat. ſuarum ad martyrol. Benedictinum pag. 149, & ſeq. ad fidem veterum codicum, quos legit & probavit; & ſepulchralium lemmatum, quibus huc uſque tempus pepercit. Agitur de dicto Richardo, qui obiit anno 1147: [Inter præ- « cipua ædificia quæ conſtrui juſſit Richardus abbas, ſunt Cryptæ « Eccleſiæ; & ejuſdem Eccleſiæ amplificatio. Cum autem huic « ædificio incumberetur, inventa ſunt corpora multorum epiſ- « coporum Virdunenſium, quæ levari juſſit & decentiori in « loco reponi. Invenit & alia octo corpora ſanctorum epiſco- « porum ejuſdem civitatis, qui retrò Altare majus ſepulti erant. « Horum elevationem quò celebrior eſſet, in diem ſequentem « diſtulit. Sed eadem nocte unus ex illis epiſcopis, pontificiis «

Digitized by Google

» ornatus inſignibus *Paronomario* monacho apparuit, qui dixit
» ei ſe à Deo & ab aliis epiſcopis miſſum; ut ipſi præciperet,
» ut abbati diceret, ne inde ſua corpora moveret, quia à Deo
» ſtatutum erat, ut in eodem loco ſupremum expectarent ju-
» dicium. Monachus petiit ſignum, quo probare poſſet ejuſmo-
» di revelationem eſſe veram. Epiſcopus hoc ei ſignum dedit;
» nempe quod eorum manus dexteræ invenirentur incorruptæ,
» ſuper pectus poſitæ, chirothecis albis ornatæ. Poſtera luce
» manè monachus abbatem Richardum adiit, eique revelatio-
» nem manifeſtavit. Qui Miſsâ ritè celebratâ, cum monachis
» ad locum acceſſit, apertiſque epiſcoporum ſepulchris, omnia
» quæ à monacho acceperat, vera eſſe expertus eſt; & Deo
» gratias agens, ſepulchra claudi juſſit. Ne verò tantæ rei me-
» moria periret, ſuper hæc ſancta corpora ædificium quoddam
» erigi inſtar epitaphii juſſit: *Hi autem epiſcopi ſub nomine Se-*
» *natorum tempore perſecutionis ducentos & quadraginta annos ſibi*
» *invicem ſuccedendo Eccleſiam Virdunenſem rexerant*, omneſque
» in eodem loco ſepulti fuerant. Eorum adhuc ſepultura viſi-
» tur in cœmiterio antiquo, quod eſt inſtar horti retrò majo-
» rem Eccleſiam ejuſdem monaſterii. Ibi eſt ingens lapis de-
» cem pedum longitudine, & ſeptem altitudine, novem co-
» lumnis ſuffultus, in quo per circuitum hi verſus inciſi ſunt.

» *Cominus aſtantes agnoſcite quique fideles,*
» *Octo Senatores hæc hic complectitur ædes.*
» *Quos Virduna ſedes meruit ſibi præſidiantes.*
» *O quantus locus es, qui tot ſervas tibi patres!*
» *Per quos tutus ades, per quos gratiſſimè fulges.*
» *Ergo ſuas plebes ſalvent hûc convenientes:*
» *Laudibus inſtantes ſervent hic & undique fratres.*

» Sub novem iſtis columnis humus lapidibus eſt ſtrata, in
» quibus per circuitum hi verſus ſunt inciſi.

» *Templum Richardus abbas hoc amplificando,*
» *Octo pontificum fodiendo juncta ſepulchra*
» *Reperit hic ſubtus, quorum ille decentius horum*
» *Sedem mutavere decreverat. Obruit hinc nox.*
» *Hæc Paronomario fratri tunc reddita vox eſt:*
» *Dicas ut noſtris permittat ſedibus abbas*

Digitized by Google

Expectare diem Domini : ſibi ſigna ſequentur, "
Nulla corruptas noſtras putredine dextras, "
Noſtris pectoribus verum poſitis manus ipſa "
Ornatus albis manè invenies chirotecis. "
Latus analogium tumulum tunc addidit abbas, "
Ne quiquam hanc terram pede calcent invercundo. "

Hæc viſa Menardi calamo digna, nobis iterum dignius arrident; quod præter hujus theſis argumentum de difficili prælatorum inſtitutione tempore cædium, mirè probent hiatus illos ſeu Interpontificia, ut vocant, non eſſe ſemper certiſſima ſigna veræ vacationis in cathedralibus Eccleſiis; cùm plures antiſtitum reverâ ſederint, quorum ideo poſt mortem obſcura manſerit memoria, quæ jam dum viverent ſilentio premebatur. Quæ pro Senonicis noſtris præſulibus (ſi quidem eorum tabulæ verè dehiſcant) ideo mihi maximè commoda videntur, quod in veteri chronico MS ſancti Petri Vivi Senonenſis quid ſimile legitur, ex quo Robertus monachus Autiſſiodorenſis hæc habet in chronico ad annum 1068 : [Sub hoc tempore venera- "
bili Richerio Senonis præſidente, dum reædificaretur Eccle- "
ſia, quæ in principio Chriſtianæ fidei à ſancto Saviniano in "
honore ſancti Salvatoris ſacrata eſt, in qua etiam idem "
martyr, aliique innumeri ſucepto martyrio ſunt ſepulti, re- "
perta ſunt in ipſis Eccleſiæ fundamentis ſepulchra plena ſar- "
cophagis, & loculis ſaxeis, plumbeis, gypſæis ſectiſque ac com- "
planatis lidoriis, quæ omnia plena erant corporibus honeſtiſ- "
ſimè palliatis & aromatizatis, quodque mirum eſt, quibus de- "
erant capita : quædam etiam in pedibus habebant ſandalia, "
&c.] Nunc redeo. "

Verùm ſpecioſa nobis ipſique Gregorio fieret objectio, cur de Turonenſi Gatiano, Saviniano, Potentiano Senonicis, Urſino Bituricenſi, Eutropio Santonenſi, cæteriſque inſignium Eccleſiarum primipilis & patriarchis memoria ſubſtiterit; ſecus de primis eorum ſucceſſoribus, quorum vix nomina ſublegeris? Hinc enim ſuſpicione ſuaderi putant de affectato apoſtolorum ſynchroniſmo, quo bellè confićto, ſibi criticos omnes devinxiſſe putat Diſſertator.

Reſponderet ipſe, ſi theſis hæc noſtra fortuito caſu ſibi ſapuiſſet, ut omnia ſemper ancipiti aleâ luſit, longè potiorem primorum antiſtitum illorum ſortem fuiſſe, quàm poſterorum

qui, turbatis adhuc Eccleſiæ rebus, ſederunt : illos enim ut primicerios & fundatores, ut à prima ſede legatos, & ab apoſtolis ſolemni inauguratione initiatos, ut celeberrimos martyres, quales noſtri Senonici, ut gratiarum omnium chariſmatibus inſigniter auctos, ut martyriis & memoriis ad quas frequens concurſus fieret, decoratos (qualis iterum ipſe Savinianus, Columbæ virginis & martyris, toto orbe Chriſtiano celeberrimæ cœlitis, peregrinatione & ad ipſius tumulum & titulum accurſu ſub Aureliano Cæſare nemini Gallorum non notus) ut tandem opitulationum gratiâ & ſignorum magnificentiâ commendatiſſimos jugis ſemper memoria proſecuta eſt ; nec ita uno in loco flamma deſævit ſub Diocletiano, quin alicubi vanus foret perſecutionis illius tragicus fomes, quò reſarciretur plurium Eccleſiarum clades, præſertim quantùm ad ipſos ſalutis noſtræ prodromos & anteſignanos, quibus apud poſteras ætates commemorandis nullâ codicum ope, ſed ſolâ traditione opus erat.

Huic opi ferendæ ſola ſuffeciſſet Roma, ſi Gregorium Turonenſem audiamus jam citatum. Ad eam enim exemplaria Actorum vitæ & paſſionis martyrum deferebantur, ut ad præcipuum totius Chriſtianæ religionis penum aut armamentarium, ex quo iterum, ut è fonte rivuli, in aliarum Eccleſiarum commodum perennarent. Hinc Irenæus lib. 3 contra Hæreſes cap. 4, Romanam Eccleſiam vocat *Depoſitorium dives totius veritatis.* Sit tibi, lector, ad manum Gregorius, Diſſertatori noſtro Theſeus, qui cap. 51 & 64 teſtatur *Acta Gallicanorum martyrum in Italia à Gallis quaſita & inventa, miſſa eſſe in Gallias.* Sed cùm etiam Romæ non minùs acriter ſævitum fuerit, non inde potuit tota reſurgere Gallicanorum martyrum hiſtoria : quin ipſe conqueritur Gregorius eodem lib. de Gloria martyr. cap. 40 ipſa etiam Romanorum martyrum Acta minùs integrè ad nos fuiſſe tranſmiſſa : *Multi quidem ſunt martyres apud urbem Romam, quorum hiſtoria paſſionum nobis integra non ſunt delata.* Inde contigit, ut in præſulum noſtrorum cenſualibus tabulis (ſi Tertullianicum iſtud verbum arridet) quaſdam videas adhuc maceſcentes & jejunas, alias incremento majori ditatas, prout eruditorum labor, qui in veſtigandis antiquitatis ſcriniis toti deſudant, hiatibus illis ſuccurrit. Novis enim acceſſionibus quotidie creſcit ſacra hæc litteraria ſuppellex, & ex ipſis martyrum noſtrorum Cryptis & ſpeluncis nova jugiter emer-

gunt rerum noſtrarum documenta, totque phœnices mireris è Diocletianeæ conflagrationis cineribus reſurgentes, quot eruta reperimus antiquæ rei monimenta. Nec credendum primi temporis Chriſtianos, quibus minùs pronum erat codices tradere quàm ſanguinem, occultandis Eccleſiarum membranis ſuperſediſſe, quarum ope ſequuturis ætatibus affulgeret priorum notitia.

Sed novis per Hunnos & Danos procellis agitatâ Galliâ, de quibus Haritgerus in Actis Leodicenſ. epiſcop. *Eccleſiarum totius Galliæ memoriam abolevit facta per Hunnos ſubverſio*, chartis iterum noſtris inflicta clades, de quâ ne longiùs à noſtris Senonenſibus divagemur, ſic Gaufridus de Collone in proemio Tabul. ſuarum chronologicarum anni 1294: [Videns præ- « deceſſorum ſcripturas ſuper nominibus, Actibus, & ſepultu « ris archiepiſcoporum Senonenſium longævis temporibus jam « tranſactis editas, adeo ut abſque difficultate valeant recog- « noſci: & quia ſic vobis placuit, domine Prior, de prolixis, « veteratis, confuſiſque noſtri cœnobii libris quædam utilia « breviſſimè colligendo ſcripturas prædictas prolixas & veteratas, « prout ego parum ſciens potero, renovabo. Sunt verò quidam « de prædictis pontificibus, quorum Actus & ſepulturæ propter « litterarum vetuſtatem, & propter paganorum Wandalorum, « Nortmannorum, & quorumdam peſſimorum Senones inhabi- « tantium negligentiam & deſtructionem: inſuper per deſtru- « ctionem ignium, quibus Senonenſis major Eccleſia combuſta « fuit, & monaſterium ſancti Petri Vivi, in cujus cœmiterio « prædicti pontifices Senonenſes ſepulturas eligere conſueve- « rant, concrematum, poſſunt minimè reperiri. Et ſunt nonnulli « ſancti martyres, confeſſores, virgines, pontifices, decani, ar- « chidiaconi, archiclaves, præcentores, canonici, preſbyteri, « barones, milites, clerici, laici, abbates & monachi memoriæ « digni, quorum ſepulturæ honore carent congruo deſtructio- « bus ſupra dictis. Fundamentum verò veritatis & fidei, quo « prægaudet in Galliis Senonenſis mater Eccleſia per ſanctiſ- « ſimos pontifices & martyres Savinianum & Potentianum in « Franciam aſportatum, Trecis, Aurelianis, Carnoto, & Pa- « riſius per eoſdem ſanctos & ſuos condiſcipulos ac ſocios di- « vulgatum, & per cæteros ſucceſſores ſuos pontifices enutri « tum, & maximâ fidelique conſtantiâ conſervatum, & quo- « modo prædicta Senonenſis mater Eccleſia per ipſos fundata «

Digitized by Google

« fuerit, præſenti libello ſatis breviter declarabo.] Similes caſus deflendo præiverat Gregorius Turonenſis, & quod mireris, vir in ſuis præſertim oculatus, plures in patria ſua probitatis eximiæ viros reveretur, ſibi tamen ſolâ traditione notos, jam caducis ætate ſuâ codicibus, aut prorſus nullis : *Sunt ibi illuſtrium meritorum viri, quorum nomina ignota nobis ; ſcripta tamen, ut creditur, retinentur in cælis.* Notet interim ſchola Launoii dignum ejus præceptore, Gregorium dico, pro traditionibus oraculum : & ex eo, ſimilibuſque tanti ſcriptoris effatis ſciat cordatos viros, verique & æqui amantes, aliis etiam traditionibus ſubſcripſiſſe, Launoii ſatellitio deſtitutis, tribus inquam conditionibus illis (de quibus tam ſæpe ſupra) quarum defectu proſcribendum putat quidquid à majoribus ad nos tranſmiſſum fuit.

Ex dictis certiſſimum ſit interciſas illas quorumdam præſulum noſtrorum tabulas vanum eſſe de ſerius ſuſceptâ Dei religione momentum : & qui theſin hanc utrinque pro ſtudio partium inter doctiſſimos agitarunt, hæc calami crepundia miſſa fecêre.

OBJECTIO DECIMA.

Sanctus Gregorius Turonenſis, & Scriptor Anonymus paſſionis ſancti Saturnini.

Non ſatis eſt ſemel monuiſſe Gregorii Turonenſis auctoritate, quam venditant adverſarii, nihil lædi Saviniani decora, & ejus ad Senonenſes adventûs ætatem. Quæ verba ejus nomine inſcripta critici nundinantur, ſolos illos ſpectant ſeptem viros, quorum nomina apud auctorem Anonymum vitæ & paſſionis ſancti Saturnini Tholoſani martyris & epiſcopi redundant, & à quodam feriato ſcriptore in Gregorii textum irrepſerunt lib. 1 Hiſt. Francorum, cap. 28, quæ ſic habent : » [Hujus tempore (Decii) ſeptem viri epiſcopi ordinati, ad » prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis » ſancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim : ſub Decio & » Grato coſſ. ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac » ſummum Tholoſana civitas habere cœperat ſacerdotem. Hi » ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus epiſcopus, Arelatenſi» bus Trophimus epiſcopus, Narbonæ Paulus epiſcopus, Tholoſæ

Digitized by Google

loſæ Saturninus epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius epiſc. Arvernis «
Stremonius epiſc. Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus epiſc.] «
In quo verborum complexu nulla prorſus de Saviniano mentio.

Ubi notandum (ſi non ſit aſſuta Gregoriano textui illa pericope) non facile creditu notum non fuiſſe Gregorio Savinianum, quem Senones, Pariſini, Aurelianenſes, Carnutenſes, Trecenſes, &c. primum ſuæ fidei præconem, parentem & anteſignanum agnoſcunt; & quem ipſe novantium primipilus contra Samblacatum ſcribens, talem extitiſſe non diffitetur, ſuperiùs à nobis citatus. Nec enim umquam putaverit Gregorius, rerum Eccleſiæ Gallicanæ non ignarus, priùs invectam Lutetiæ Dei religionem, quàm Senonis urbi primariæ, & ſuffraganeas civitates metropoli præiviſſe. Ipſo fatente Launoio ſuæ Diſpunct. adverſus D. de Marca cap. 10 ſub finem:
[Decreverunt apoſtoli magnas priùs quàm parvas urbes ad «
fidem informari. Qui ſucceſſerunt apoſtolis, eodem fere ſpiritu «
ducti ſunt . . . . . Ex quo Cæſar Lutetiam incendit, & hoc- «
ce pacto de ſtatu urbis dejecit, non potuit ſtatim in perfectam «
urbem reſtitui. Profectò nondum erat reſtituta tempore Ju- «
liani Imperatoris, qui Lutetiam vocat urbeculam, &c.] «
Nihil ſimile de metropoli Senonum, cujus decora amplitudo, populorum frequentia, & quòd ſæpius eſſet Imperatorum regia, Petro præcipua fuère in votis, ut ad eam primariò Savinianum delegaret. Illud idem confirmat in Diſſert. de primo Cænomanenſi epiſcopo, pag. 223 mei Codicis: *Præterea videtur abſurdum & ab apoſtolicis in prædicando Chriſti Evangelio moribus alienum, ſub ectam metropoli civitatem tot annos ante metropolim veram Dei religionem ſuſcepiſſe.* Diu igitur Senonum fides præceſſerat, nec ejus ætati quidquam nocuit Gregorius, nec ipſe auctor Anonymus, quorum hîc verba, ut inutilia nobis, non afferrem, niſi quibuſdam, qui nullibi non blaterant, præſtigiæ forent. Putant enim ex his apud Gregorium verbis nullibi Gallorum fidem patuiſſe (ſi Lugdunum & Viennam ſemoveas) ante ſeptemvirùm illorum, quos ſub Decio adventaſſe credunt, ætatem, & per nonaginta plus minùs annos, qui à primo Marci Aurelii principatu ad Decianum excurrunt, totam uſquequaque Galliam ethnicam remanſiſſe. Ridiculum oppidò commentum exploſimus ſatis, nec Severo minùs quàm nobis adverſum; cui Marci Aurelii cædes memoranti nuſquam venit in mentem per hæc verba: *Tunc primùm in Galliis viſa*

ſunt martyria, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ, ſolos ſpectare Viennenſes & Lugdunenſes: ut proinde jam ab eruditorum, qui Severo ſtudent, conceſſibus exulare cogatur Gregorius, & in ſe diviſus Diſſertator, qui utrique obſequitur, hoc Evangelico ſe percuſſum ſciat edicto: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.*

Pluribus jam laceſſitus fuit à nobis hic Gregorii ſenſus, & reſumendus eſſet promiſcuus iſte conflictus, niſi prolixitati caveretur. Quæ ſparſim & quà ſeſe dedit occaſio diſcuſſimus, paucis & ad hominem cominus perſtringenda levi manu, & per *ἀνακεφαλέωσιν*.

I. Certum eſt nihil de Septemviris illis per ſe definiviſſe Gregorium hoc lemmate controverſo; qui alibi vere ſuus & ſibi conſtans contraria docuit, ut vidimus. Vis tota centonis illius, ſi quam habet, ex Anonymo ſcriptore paſſionis ſancti Saturnini deſumitur, & quam unicam, ut obſidem ſuæ fidei indicat Gregorius. At ſcriptor ille nullius nominis nec forſan meriti, nemini notus, qui ſpuria ſcribit & exotica de oratione Saturnini proximè plectendi, quæ Chriſtianæ charitati & præceptis Evangelicis vulnus infligunt, cujus etiam verba malè ſibi cohærent, ut ab alio potiùs interpolata videantur: cùm aliis notæ melioris auctoribus totus opponatur, ſibi viæ ducem adſciſcere debuit, aut indigitare fontem, ex quo hauſit. Solus excurrit inter ſalebras, & tantùm vulgi rumore ducitur; quem ſi traditionem dixeris, tribus à Diſſertatore conditionibus ſeu regulis deſtitutam admittere non debuit ſchola Launoii.

II. Præterea piaculum indigens in ea eſt, quidquam admittere etiam ſolemni traditione ventilatum, niſi per idoneos teſtes, infit Diſſertator, ad originem revocetur: ſic enim contra D. de Marca pag. 84: *Certa & vera non eſt traditio, niſi qua per idoneos teſtes ad originem revocetur.* Sed qui ſunt teſtes in hiſtoria Saturnini, quorum ope ſeptemvirûm illorum miſſio ad Decii tempora revocetur? Nulli prorſus; nulla proinde traditio, cui ſoli videtur inniti ſcriptor Anonymus. Et hîc iterum mirari ſubeſt, quàm ancipiti ſemper aleâ ludat adverſarius, qui licet traditionibus ſit lethaliter infenſus (ut ſe talem conſtanter exhibet) niſi ſcriptores habeant ſibi coætaneos & ſubpares, qui nullâ temporis intercapedine à ſe dehiſcant; ubi tamen advertit (quod aliàs notavimus) conditionem illam merè fictitiam nullibi ſuccurrere ſibi, & nominatim in hoc ſimiliter

confiƈto ſeptem præſulum in Gallias adventu ſub Decio, qui ſibi inſigniter probandus erat, ut primarium totius diſputationis momentum (illa ſcilicet Gregoriana pericope ex hiſtoria Saturnini deciſa, quotidianis criticorum ſuſurris auribus noſtris perſtrepens) ad nudæ traditionis nunc, ut aliàs, præſidium recurrit hoc miro verborum apparatu, ſive epinicio ſub finem cap. 13 ejuſdem Diſpunctionis : *Interim auctor vetuſtiſſimus*, * *& Gregorius ſine difficultate ulla loquuntur ; nec loquuntur in lingua populi & populi, ſed in lingua traditionis primæ, quam ut à majoribus acceperunt, ſic & poſteris tradiderunt.*

* *Scriptor Actorum S. Saturnini, in cujus ætate quàm ingenuè ſolacíſat.*

Prona hîc & venerabunda ſubſiſtat ſchola Launoii, & doctoris ſui manibus devotiſſimè litet, & nos veritati, quæ vel ipſos hoſtes propitios habet. Totus ille, quantus ſit, novantium turbo meram nobis traditionem objicit, eamque *primam*, quæ ab ipſis prodeuntis Eccleſiæ primordiis, & à majorum candidiſſima fide, nullo ſcriptorum (qui quadringentis prope annis poſthumarunt) ſtipata ſatellitio nuda proceſſit. Ergo quid importunè nobis, ô critica, Gregorium obtrudis, virumque (frugi certè & per omnia bonum) nundinatim & per compita provehis, ad cujus aſpectum tota contremiſcat majorum religio, hæreant docti pariter & indocti, nutent omnium Eccleſiarum cardines, & per diſtenta vento Anonymi oracula, quibus quandoque dormitans Turonenſis alter conſenſerit Homerus. Abeat nunc in fumos quidquid in noſtris traditionibus fides ſanum, religioſum pietas, & longo gentium uſu firmatum avita ſanxit auctoritas. Videat nunc lector, quod in hac quæſtione toto orbe famoſa, & ſtudiis omnium agitata jus partibus dicit ſola traditio ex ipſa Launoii conceſſione : *In lingua traditionis prima, quam ut à majoribus acceperunt*, *Gregorius & ſcriptor Anonymus*, *ſic & poſteris tradiderunt.* Hîc tamen noſtris cautum eſt rebus (& hîc tota quæſtionis ſolutio) quod inter utramque traditionem, eam ſcilicet quam amplectimur, & Gregorianam, illud diſcriminis inſit, quòd prima ſacrâ Scripturâ, patribus inter antiquiores celeberrimis, ut vidimus, & eruditiſſimis aliis primæ, mediæ, & infimæ ætatis ſcriptoribus, ratione demum, quam poſt Scripturæ placita brevi proferimus, tutam ſe videat : altera verò ſolis, præter Gregorium, Anonymi viſionibus innitatur ; donec poſt tempora Caroli magni (mutatæ tunc originis vitium in nos perperam refundunt) cœpit novitas parturire fabulas & commenta.

Stet igitur auctorem Anonymum, ad quem incautè Gregorius offendit, ſolitarium excurriſſe, & unicè vulgi rumorem, famam, inquam, popularium, quæ Tertulliano teſte,

Tam ficti pravique tenax, quàm conſcia veri.

ſecutum eſſe. Stet adhuc Launoium poſt operoſam libellorum congeriem, quâ ſuorum prælique ſudoribus non pepercit, ut Gregorio ſibique nomen faceret, & poſt quæſitiſſimas jurgandi artes, nec intemeratum à conviciis calamum, hûc tandem deveniſſe, ne conſcientiæ diris diu vapularet, ut totum diſputationis hujus pondus, & aſſertæ nobis veritatis victoriam ſoli traditioni deberi fateatur. Verſa, lector, & reverſa centones illius, occurrent non pauca, quibus tandem ad nos prudens aut imprudens acceſſit. Et cùm ſola ſibi ſuccurrat traditionis auctoritas (ſi certam haberet) quid tanto verborum ſtrepitu & convitiorum apparatu in nobiliores orbis Eccleſias invehitur, quibus præter veræ traditionis ſubſidium tot eruditiſſimi ſcriptores ſuffragantur? Quod aliud primariò ſuæ fidei momentum Senonenſis adſcivit de Saviniano ſibi miſſo à Petro, quàm quod nunc his quæ agitamus verbis Launoii patrocinium, ille quærit Gregorio & Anonymo ſcriptori, ne ſuccumbant? Ipſam ſcilicet traditionem, ſolam, nudam, nulloque auctorum ad eorum tempora famulatu ambitam.

Hæc igitur in eum regerenda clauſula §. 6 ſuæ primæ Diſſertationis: *Hæc eſt vis veritatis, ut licet obſcuretur aliquando, extingui tamen non poſſit.*

I I. Probè ſcripſerat doctiſſimus Petrus de Marca Tholoſanus archiepiſcopus, duplicem tempore Gregorii invaluiſſe ſententiam de miſſione Saturnini in Gallias; primam tempore Decii, quam ex vulgi rumore concinnavit ſcriptor Anonymus: alteram pluſquam centum quinquaginta annis ante Decium, & à diſcipulis apoſtolorum miſſum eum perhibentem, ut ſcribit Gregorius cap. 48 lib. primi Miraculorum. Primæ non adhæret eruditiſſimus antiſtes ratus Anonymo illi, obſcuro ſcriptori, & ex ſola vulgi loquacitate ſcribenti vix fidem deberi, eò vel maximè quòd ſolus ab orbita communi deflectens neminem nactus ſit ſibi ſecundum, niſi unum Letaldum Cænomanenſem monachum, qui eo ſexcentis circiter annis poſterior fuit. Ad hæc quid reponat Diſſertator, ut oſtendat canonicum fuiſſe

Digitized by Google

rumorem illum, quo unico fulcitur ſcriptor Anonymus? Miraberis, lector, nec facilè credes doctorem Pariſienſem & magni nominis, virum nullibi notum cum duobus evangeliſtis contuliſſe, ejuſque fidem cum ea (cujus Spiritus ſanctus ſe vadem exhibet) qua Scriptura ſacra cuique credenda proponitur. Hic viri, cætera Catholici, lapſus mentem rebus ſuis malè tutam propeque deſperantem præ ſe fert. Sed audiendus & à ſeipſo plectendus cap. 11 Diſpunctionis contra epiſt. D. de Marca: [Significat (*de Marca*) à vetuſto ſcriptore (*Anonymo*) non verè collocatum eſſe ſub Decio Saturninum; quia cùm illius hiſtoriam contexuit non ex vetuſtis paſſionis Actis, ſed *ex fideli recordatione* contexuit; quaſi verò fidelis hæc recordatio falſam epocham ſuggeſſiſſet? Evangeliſtæ ſunt duo Lucas & Marcus, qui ex fideli tantùm recordatione, ſcilicet aliorum traditione Evangelium ſcripſerunt; & tamen Lucæ & Marco non minùs quàm Matthæo & Johanni creditur, ut Theodoretus obſervat in præfatione religioſæ Hiſtoriæ. Vetuſtùm igitur hiſtoriæ Saturnini ſcriptorem in conſignanda illius epocha non erraſſe dicemus, niſi erraſſe doceatur per auctores qui rem melius noverint æquales, vel tempore proximos.] Non hîc in cauda venenum, ſed in capite tuæ pericopês, ô Magiſter. Verùm, eo nunc benevole prætermiſſò, quid porrò æquius, quàm hæc tua poſtrema verba tibi reddere, ſana certè puraque labis: [*Vetuſtum hiſtoriæ Saturnini ſcriptorem in conſignanda illius epocha erraſſe dicemus, niſi non erraſſe doceatur per auctores, qui rem meliùs noverint, æquales, vel tempore proximos.* Teſtem ei adſciſcere non potes Gregorium ejus ſubparem, qui Decianam illam epocham refert ad ſolam illius fidem, ut ex contextu manifeſtum fit: & ſi ab ejus obitu ad hanc uſque diem quotquot litterati ſcripsêre, de ſeptemviratu illo, quem ſub æra Deciana conſignant, non aliter ſcripſiſſent, quàm Gregorius; adhuc ſolus audiret ſcriptor Anonymus, & de cæteris proverbio locus eſſe poſſet: *Omnes cecinere cantum cuculi.*

Porrò Theodoreti locus hîc citandus, ut cuique palam ſit quàm iniquè Diſſertator Lucam & Marcum commiſerit cum Anonymo ſcriptore, qui ducentis circiter annis (niſi plures excurrerint) ſeptemvirûm ſuorum ætate poſterior fuit, & incerto tantùm rumore, mutabilitati obnoxio & corrumpi facili abuſus fuerit: Lucas verò & Marcus (ſalvâ ſancti Spiritus

Digitized by Google

interius moventis & dictantis auctoritate) ab iiſdem acceperint quæ ſcripſerunt, qui Chriſto mortali jugiter adhæſerunt:
„ ſic Theodoretus [Fidô digni Evangelicæ doctrinæ Scripto-
„ rés ſunt, non ſolùm Matthæus & Johannes primi & magni
„ Evangeliſtæ, qui Domini videre miracula, ſed etiam Lucas
„ & Marcus, quos qui ab initio viderant, & Verbi miniſtri
„ fuerant, non ea modò quæ paſſus eſt, & quæ fecit Domi-
„ nus, ſed ea etiam quæ aſſiduè docuit, accuratè docuerunt.
„ Nam & beatus Lucas, qui ſpectator non fuerat, in principio
„ Operis ſui dicit ſe ea narrare de quibus certior factus ſit.
„ Et nos licet audiamus eum illa non vidiſſe quæ narrat, ſed
„ hanc doctrinam ab aliis accepiſſe, non minùs illi & Marco
„ credimus, quàm Matthæo & Johanni. Fidem enim dum nar-
„ rant, merentur ambo, *ut ab iis edocti qui viderant.*] At nullos teſtes oculatos habuit Hiſtoriographus Saturnini. Præterea quàm longiſſimè diſtet humana fides à divina nec ipſe neſcit neophytus Chriſtianus. Unde Diſſertator ibidem & fere pœnitens : *In rebus tanti ponderis duo tantùm adhibenda eſſe genera teſtium, & qui viderunt ipſi, & qui à videntibus audiverunt:* quod in Anonymo non occurrit.

IV. Sed hîc detegenda Diſſertatoris induſtria, qui vellet aliis perſuaſum eſſe ſcriptorem illum Saturnino coævum fuiſſe, aut paucis ſubparem, ne teſtis pereat auctoritas. §. 1 ſuæ Diſſert. primæ : *Hic Anonymus auctor qui ante Gregorii ætatem vixi, tempore proximus erat Saturnino, cujus vitam litteris mandavi.* Eadem alibi paſſim. Poſtulabat hujus dignitas argumenti, nobis auctores proferret tanti ſenii aſſertores; alioquin ama dandus ille in Morboniam, & plectendus cum aliis anathem te ſuo, cùm ſine vade, inquit, & ſponſore tam exotica pro runtur. Gratis enim conceſſo quòd Saturninus Gallis non notuerit, niſi regnante Decio, falſum adhuc erit ei temp proximum fuiſſe ſcriptorem ſuum Anonymum, qui vixiſſe potuit, niſi ætate Hieronymi, qui 167 annis poſt Decium ol ſanctus enim Exuperius Tholoſanus antiſtes, cui Comme rios ſuos in Zachariam prophetam obtulit Hieronymus, & non ſemel ſcripſit, ab illo laudatur Anonymo; quem etiam iis laudibus evehat, quæ ſolis cælitibus ſoleant impendi, que ipſi Saturnino martyri putet æquiparandum, non de tali, ſed ab humanis diu erepto dicendus eſt ſcripſiſſe qu
„ quuntur : [Poſt cujus obitum (Sylvii epiſcopi) ſanctus

perius in ſummum ſacerdotium cooptatur; vir abſque ullius « prædeceſſorum injuriâ, abſque ullius qui id temporis Eccle- « ſias regere videbantur, invidiâ; non ſolùm nulli ſecundus, « verùm etiam ipſi beato martyri (Saturnino) virtutum meri- « tis comparandus:] quæ ſcriptoris Anonymi verba certum eſt « non legiſſe Diſſertatorem, aut errori lethaliter indulſiſſe. Quot enim priùs ſucciſas auctorum periodos ſibi ſublegunt, ſi ſpecioſè faveant; & quæ præcedunt aut ſequuntur in reliquo contextu, nec oculis luſtrant: ipſe præ cæteris Diſſertator ſic peccavit, non ſine veritatis injuriâ. Cùm igitur quàm longiſſimè diſtent à ſe Saturninus, & ſcriptor Actorum ejus, nullum ab ætate ficta, niſi fictitium ſubſidium comparare ſibi potuit adverſarius; nec facilè ſuadebit Gregorium mutaviſſe ſententiam ad unius fidem hominis, cui nullæ ſuppetunt dotes legitimi teſtis, aut conditionum aliqua, quas verò ſtatuendo prærequirit. At cùm ab Anonymo diſſentit Gregorius ſupra citatus, traditionem ſequitur, quam omnium Eccleſiarum probat conſenſus, ratio ſuadet, auctoritas evincit.

V. Præter menda ſuperiùs oſtenſa, quæ lethale vulnus infligunt Actis illis ſancti Saturnini, & Gregorium ſimplicitatis incuſant, ſi, eo auctore, in ejus textum irrepsêre, quod non credimus; proniùs adhuc ad ruinam vergunt, & fictitia putantur, quòd Surius ingenuæ pietatis & cultioris litteraturæ ſcriptor, qui Acta illa ad fidem veterum codicum MSS evulgavit, ea nullibi recenſuit, nec à ſe viſa teſtatus eſt; aut ſi in quibuſdam Gregorii codicibus apographis reperit, ut paſſim nunc circumferuntur; ut interpolata nulliuſque fidei, quantùm ſaltem ad controverſam illam periochen, ſpreviſſe credendum eſt. Nihil habet Diſſertator quod replicet, niſi ſuo more divinans periiſſe codicem quo Gregorius eſt uſus; & nos pari licentiâ fideque majori reponemus Gregorianum codicem non alia complexum eſſe, quàm Surianos probæ ſenectutis & nemini ſuſpectæ. Et interim ne quid rebus noſtris diſpereat, advertemus pro recipiendis Eccleſiarum traditionibus, etiam nullo ſcriptore conſpicuis, iis iterum ſuffragari Diſſertatorem, cùm aliter periclitanti Gregorio ſubvenire nequit, eum ſcilicet (ſuppoſito quod in illius codice deſiderarentur etiam illa verba Anonymi, contra quæ hîc inſurgimus) uſum eſſe traditionibus Eccleſiarum Turonenſis, Pariſienſis, Arvernenſis & aliarum: *Fatebimur ea quia in manu-ſcriptis atque editis apud Su-*

Digitized by Google

rium exemplaribus non extant, Gregorium exemplari ſuo addidiſſe, quo in rerum ſtatu ex receptis ſuo tempore Turonenſis, Pariſienſis, Arvernenſis & aliarum Eccleſiarum traditionibus Gregorium addidiſſe contendemus. §. 3 primæ Diſſertationis. Quibus traditionibus nullos ſcriptores ut comites adjungit, qui à tempore Gregorii *ad primam rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continuâ ſerie reducantur.* Sect. 3 tertiæ Diſſertationis quam regulam fingere potuit adverſarius, ſequi numquam: & hînc, æquiſſime lector, me toties clamitantem legis, quàm iniquis velitationibus inſurgat in avitæ fidei primordia, & Eccleſiarum noſtrarum antiquiſſimos ortus, quibus conſtans & ſolemnis traditio favet, quam hîc admittere cogitur adverſarius.

V I. Ad Gregorium redeamus, & inſontem prævaricationis & mutatæ ſententiæ demonſtremus, ſi certum ſit (de quo dubitant non pauci) libros Miraculorum & de Gloria Confeſſorum tempore præceſſiſſe libros Hiſtoricos. Satis ſuperque ſuperius innotuit illum fixiſſe ſub Clemente, aut ſub ipſis apoſtolorum diſcipulis adventum in Gallias ſanctorum Urſini, Eutropii, Saturnini, &c. & vadem ſibi traditionem adſciviſſe. Certum illud eſt ex ejus verbis à nobis non ſemel laudatis. Ea dixit Gregorius, ut ferebat ſui ſæculi traditio, & communis gentium fides. Nullibi retractâvit verbis diſertis quæ prudens ſcripſerat, nemine cogente, nulliſque partium ſtudiis præventus. Ut vel minimùm ſuaderi poſſit aliò poſtea deflexiſſe, aliud eâ traditione quæ tum currebat, fortius aut præſtantius ex eo nobis objiciendum fuit. At ipſa ſcriptoris Anonymi verba quæ laudat meram traditionem innuunt nullis adjutam auctoribus æqualibus aut ſaltem ſubparibus: quî potuit igitur fieri, ut Gregorius ſolam traditionem edoctus, ſive quam præ ſe ferebat communis Galliæ ſenſus de miſſis à Petro primis prædicatoribus noſtris; & quam cernebat oculis in ipſis Eccleſiarum tabulis; ſive quam apud Anonymum legebat, & ex qua non certior factus (cùm verum ſit in ſola *recordatione*, ſeu vulgi rumore ſtare illius ſententiam) à primario ſuo ſenſu deſciverit, cui toties ſuffragium dedit? Sint Hiſtoriarum libri poſteriores ejus curæ, in quibus emendaverit quæ priùs ſcripſerat in libris Miraculorum (quòd ægrè conſenſerint plures inter litteratos doctiſſimi) hujus inſolitæ mutationis meminiſſe debuit in hiſtoriis, rationem promere, citare ſcriptores aut antiquiſſimæ notæ monimenta, quorum ope melius profecerit; primæque traditionis vitium detegere, nec calamo magis
adhuc

adhuc præcipiti omnium Eccleſiarum Galliæ fidem damnare. Nihil horum prorſus Gregorius, ut iterum mihi certo certius videatur nuſquam ab eo admiſſam fuiſſe inſulſam illam ſcriptoris Anonymi pericopen, de qua ſcriptor eruditus S. J. Petrus Halloixius, qui ſcita Gregorii ex profeſſo recenſuit: *Reſpondeo hanc auctoritatem ſuâ ſponte corruere* : & quem prius hoc pumice terſerat: *Dico eidem Gregorio Turonenſi non magnopere cordi fuiſſe, præſertim in primis Imperatoribus, diſtinguere accuratè tempora, ſed adeo illa confudiſſe, ut miſcuerit & conturbarit ea quæ facta ſunt ſub Antonino Pio, cum iis quæ ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho, & L. Vero ejus filio, & cum iis quæ ſub horum ſucceſſore Commodo, & quæ ſub aliis uſque ad Decium acciderunt.*

Quibus familiaris eſt lectio Gregorii, facilè concedent, ſi ſtuduit Anonymo illi, virum illum ſuâ facilitate notiſſimum, hæſiſſe quidem primæ ſuæ ſententiæ de Galliarum converſione primo Chriſti ſæculo, in quam totus pene conceſſerat orbis; ſed ut omnia ſine delectu convaſabat, obviam ſibi Saturnini hiſtoriam, plurimis licet mendis conſpurcatam, non repudiaſſe; ſicut Acta Pilati tot fabularum feraciſſima complexus eſt, ut operum ſuorum decus eximium. Plura ſunt quæ fidem illius elevare poſſint, aut (quæ mihi votorum eſt ſumma) ſanctiſſimum antiſtitem excuſare: ſed à nobis non ita pridem perpenſis ſuperſedemus.

OBJECTIO UNDECIMA.

Sulpitius Severus.

Claudit agmen qui præire debuerat adverſariorum noſtrorum primipilus; vel, ſi mavis, origo mali, & unicus quem Saviniano jure poſſis objicere. Quidquid hactenus in hoc opere ſtudioſè congeſſimus, armamentarium eſt contra Severum, & inſtructa ſuis machinis acies, quâ tutas ſub illius vexillo Launoii phalanges explodere poſſis. Præſtat tamen ex illa congerie ſeligere pauca jam ſuperiùs expenſa, & Severo preſſiùs inhærere, ut fortior evadat virtus unita.

I. Primum quod mihi reſumendum occurrit, ipſe eſt ſtupor animi jugiter hærentis & ſciſcitantis, quo fato ſcriptor notæ vulgaris, qui pauciſſima de rebus noſtris evulgavit, & ad plurima graviter offendit, ſibi nomen fecerit inter quoſdam ſincerè

doctos, & quos ſola novitatis labes infecit. Ex eis quæ Severus in Eccleſia meruit, nihil detractum velim: ſed non eâ celebritate floruit, quâ cæteris qui cùm ætate tum doctrinâ præceſſerunt, officere poſſit. Eo ſolo nominatiſſimus fuit hoc ſæculo, quòd ſingularis audiit apud omnes in hoc argumento, ſcribens lib. 2 Hiſtor. quæ retulimus ſtatim ab initio examinis auctorum qui ei adverſantur, & hîc repetenda: *Sub Aurelio deinde Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias viſa martyria, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Quibus verbis, ſi attendas ad ea quæ toto diſputationis decurſu probavimus, & ſi quid ratio conferre poſſit ſubſidii, certum eſt Martinianum illum cœnobitam erraviſſe; nec diſplicebit conjectura, ſi dicatur ex lectione Euſebii lib. 5 Hiſt. cap. primo, in quo prolixo verborum apparatu de cæde martyrum Lugdunenſium in illa quinta vexatione generali diſſeritur, extra quam lectionem excurrere Severo non licuit, auctorum defectu, qui de cæteris martyribus Gallicanis ſingulariter & accuratè ſcripſerint, eum occaſionem ſumpſiſſe illa nobis verba delineandi, quæ nonnihil negotii faceſſivêre. Celebris illa Viennenſium & Lugdunenſium martyrum ad Aſianos epiſtola, quæ publicum fuit quintæ perſecutionis monimentum, & immanis Chriſtianorum ſtrages paucos intra dies Lugduni peracta, ex quibus undeviginti millia ſtatim periêre, quorum ſanguine Rhodanus & Arar diu rubuerunt, quo gentilium horrendo furore priùs ſævitum non fuerat in aliis urbibus Galliæ, mihi facilè perſuadent Severo fuiſſe ſatis, ut atrocitatem illam prioribus intra nos longè acerbiorem, primam numeraret, non attentâ ratione temporis, ſed immanitatis. *Illuſtria* enim, inquit D. Boſquetus Montiſpeſſulanus epiſcopus, *& in omnium oculis martyria intellexit Severus*; & ut egregiè Milletus jam citatus advertit, illa contigerunt & perpetrata ſunt imperatoriâ animadverſione, atque odio publico, perrigante nobiliſſimas urbes Chriſtianorum ſanguine, Rhodano atque Arari confluentibus altiùs de nova cruentorum torrentium acceſſione. Erant illa martyria quidem eo nomine prima, quia præcipua, foro, theatris, arenis frequentioribus, bacchante licentiùs, multoque crudeliùs quàm antea, ferro. Non autem omnium omnino prima, ſi de quavis Chriſtiani hominis interfectione martyrioque ſermonem eſſe factum intelligas.

II. Juvat etiam annotare gratam & in votis Severo fuiſſe

brevitatem, quâ cuncta compendio ſcripſit. Decem Eccleſiæ plagas generales ita recenſuit; ut nullius martyris etiam gentilis ſui nomen expreſſerit, immò nec ipſam Lugdunenſium ſtragem, quam ſpectabat oculis apud Euſebium: nec mihi de petitione principii lis movebitur, ſi dicam non ignota ſibi fuiſſe Senonenſium, Criſtolienſium prope Lutetiam, Arvernorum & id genus ſimilium martyria, quæ nullis forſan Cæſarum edictis, ſed ſolis gentilium privatis odiis acciderunt: ſed quòd ſpecialis eorum mentio aliena eſſet à præſcripta ſibi methodo ſcribendi, quam ingenuè ſatis agnoſcit idem Boſquetus, noſtris licet votis non ſuâ ſponte propenſus: *Ille breviori modo ſcribendi minùs ſcripſit quàm ſenſit*; ut qui probè noſſet apertiſſimam ſibi omnium Galliæ Eccleſiarum faciem, & avitæ traditionis publicam fidem, antiquiſſimas martyrum ſuorum memorias, & eoſdem apoſtolicos viros, primoſque fidei noſtræ prodromos, quos ipſe Gregorius ei ſuppar recenſuit, tamquam à Petro vel Clemente miſſos, ut vidimus. Quî enim cæcutiret in Gallia ſua Severus, qui de Orientalibus tam multa diſſeruit? Verum properanti, ſtrictimque quæ præcipua ſunt percurrenti, minùs condonandum quod ingrato ſilentio ſic nocuit veritati.

III. At dices: Eſto tacuerit Sulpitius peculiares Eccleſiarum noſtrarum vexationes, qui ſtuduit brevitati; cur de veneranda fidei noſtræ canitie minùs ſenſit, dum ſcripſit: *Serius trans Alpes Dei religione ſuſcepta*? Et hîc lapis offenſionis & petra ſcandali, ut hìnc à ſuis etiam derelictus ſit Severus, nec ſegniter iſtud obſervandum. Præceps ſemper ad calamum Diſſertator, quo tempore de hac Severi exotica phraſi magis intumuit, finitam ejus epocham quam ſub Aurelio conſignat, acriter defendit: at ubi vidit auctori ſuo periclitanti nihil ſuccurrere, eumque cùm ſacræ Scripturæ teſtimoniis & placitis Patrum, tùm traditione jugique populorum conſenſu pene obrui, *indefinitam epocham* ingenioſè confinxit, quâ ſciſſus inhumanè Severus, jam non eſt ille Severus Launoio tam charus, aut idem certè, ſi velis, ſed quem ſui pœnituerit, & qui ad veritatis & avitæ traditionis partes tranſierit. Procul hìnc calami blandimenta; verborum præſtigias & fucos odi. Paucis, lector, rem acu tanges.

Vidit Diſſertator non poſſe defendi Severianum illud de ſuſceptâ tardiùs in Galliis fide; cui effato cautum eſſe volens illud *ſerius* per indefinitam epocham ſic explicavit, ut velit nullam

Digitized by Google

prædicatæ nobis fidei & ſuſceptæ præſtitutam fuiſſe temporis notam à Severo, nec contrarium fore veritati, quòd Petrus aut Clemens noſtri curam geſſerint, modò citius cis Alpes, & in Italia quam trans Alpes, & in Galliis fidei lumen affulſerit. Hæc illa celebris *indefinita* Severi *epocha* primamſeu finitam omnino deſtruens, quam veriſſimam quidem amplectimur, ſed omnibus Diſſertatoris conatibus exitialem. Ex ejus dictatis lepidum illud criticês oraculum oſtendimus ſupra : ex quibus hoc unicum decidam, quod habet ſub finem §. 16 ſecundæ Diſſertationis; ubi difficultatem de ſacris miſſionibus in Gallia, tot contentionibus agitatam ſic definit, ut diſcrimen illud Evangelii prædicati inter *ly priùs cis Alpes*, & *ly poſteriùs ſeu ſeriùs trans Alpes*, in ſola prioritate rationis, ut loquuntur philoſophi, & reſpectu unius ad alterum, ſeu *comparatè*, ut ſcribit ipſe, conſiſtere dicat : eo fere modo, quo fluvius qui plurimas regiones alluit, eas priùs lambit quas origini ſuæ proximas habet, quàm remotiores cùm » maria ſubit. [Poſtremò dum *religionem Dei trans Alpes ſeriùs* » *eſſe ſuſceptam*, ait, *comparatè* loquitur, quod verba ipſa ſatis » declarant : ſcilicet cis Alpes priùs viſa ſunt martyria, quia cis » Alpes priùs ſuſcepta eſt Dei religio : ſeriùs verò trans Alpes » viſa ſunt martyria, quia trans Alpes ſeriùs ſuſcepta eſt Dei » religio. Hoc autem obſervaſſe, quidquid ex antiquioribus » Severo, æqualibus vel tempore proximis auctoribus oppo ni- » tur, diluiſſe eſt.] Nullum ſincerius effatum, in quo jam pacificè degat tota novantium turba, & hoc uno veritatis ſymbolo ad unitatem redeant ſtudiis utrinque pugnantes æmuli. Stet nunc ſecurus ſub æra Petri Savinianus, martyrem ſuum & primum præſulem ſacrâ principis apoſtolorum inauguratione inſignem complectatur, ut olim Senonenſis Eccleſia; hoc Diſſertator edicit, jubet Launoius. Nec enim cuiquam noſtrûm venit in mentem primas apoſtolici laboris Romæ negare, fidei primordia regionibus cis Alpes ſitis invidere, Latio Galliam præferre

Jam monitum lectorem voluimus illam Severi opinationem non ſemel faceſſiviſſe Launoio negotium; nec temerè dicetur ſaltem ex modò præmiſſis, animo, non ſcripto, pœnituiſſe eum, quòd theſin hanc probandam præceps ſuſceperit, quam, niſi doloſis artibus ſuadere non potuit. Quis enim putaverit doctiſſimum virum liberâ mente & ſibi relictâ ſic deſipuiſſe, ut præter allegata quæ palinodiam notant, eo ſe polluerit animi flagitio

Digitized by Google

in gratiam Severi (quod jam non paucis proſecuti ſumus) ut ſic ſcriberet §. citato : *Hinc fit, ut quo tempore Chriſtiana fides emergere & exiſtere cœperit, ſatis compertum ſit ; ſed quo tempore, quibus annis nuntiata primùm, & Gallorum animis inſtillata fuerit, incompertum* : quaſi genuinum diſcrimen iſtud ſit, & tanti doctoris judicio dignum, quo procul faceſſere veritas jubeatur, *fidem emergere & exiſtere* : &, *fidem animis inſtillari* : quaſi, inquam, fides animis inſtillari poſſit, & non eſſe fides ? Non advertit Launoius quod in theſi præcipuum eſt, ſcilicet miſſos citiùs quàm velit, in Galliam apoſtolicos viros ; nam ſemel admiſſo, quod Petrus & Clemens, de quibus potiſſima quæſtio, ad nos fidei præcones direxerint, ruit tota Severi & Gregorii ſtructura : at dum conſentit (quod tamen fabuloſum eſt, nec rationi conſentaneum) ſtatim ab ortu Eccleſiæ prædicatam Gallis Dei religionem, ſed non ſuſceptam, miſſos fuiſſe fidei noſtræ patres & anteſignanos fateatur neceſſe eſt ; quibus tum Galliam ingreſſis ; quis de eorum regreſſu & inutili proventu vel ſemel meminit ? Nullus, ſi Superis placet, ne Severus quidem nec Gregorius. Hactenus comperi neminem qui ad hæc Launoii ſcabroſa animum intenderit, aut qui libellos ejus ex integro ſerióque pervolverit. Hærent omnes qui ei ſtudent in magnificis elucubrationum ejus delineationibus, nec ulteriùs rimantur ; quibus perſpicua foret viri indoles pugnantia ſecum jugiter ſcribentis.

IV. Severum amplius non moror ſtantem à partibus noſtris, quâ recuſum vides à Diſſertatore, à quo non potuit pejus defendi. Non magis ei ſuccurrit alia methodo, §. eodem. Dixerit ipſe, contra nuperam Diſſertatoris explicationem, reverâ ſuſceptam ſeriùs in Galliis Dei religionem, ac tùm primùm viſa ibidem martyria, id eſt, ſub Marco Aurelio, quo tempore cæſi Lugdunenſes : illud ſano judicio non potuit aſſerere Severus ; & hîc ipſa Diſſertatoris verba reddimus ei patrocinantis: *Religionem Dei*, ait (Severus) *non ab uno tantùm vel altero, ſed ut par eſt credere, à pluribus clam & paulatim ſuſceptam ; alioqui ſuſcepta religio multitudini Chriſtianorum qui ſub Marco Aurelio paſſi ſunt, non quadraret.* Certum eſt tunc dierum & ſemper etiam, cùm acriùs in noſtros debacchatum fuit (quod notatum ſupra §. 7.) ut ſcribit Tertullianus in Apologet. & Leo magnus ſerm. 1 in Natali Apoſt. in tantùm excreviſſe Chriſtianorum numerum, ut ipſis Imperatoribus & orbi Romano formidini

eſſet, & præſertim in Gallia, de qua & non ſolum de Lugdunenſibus ſcribit Euſebius in chronico : *Plurimi in Gallia glorioſè ob Chriſti nomen interfecti, quorum uſque in præſentem diem condita libris certamina perſeverant.* Eadem fere Proſper in Chronico, & Beda lib. de ſex ætatibus, ad Gallos nominatim intendens. Et de ſolis Lugdunenſibus ſub eodem Aurelio qui renuntiatus fuit Imperator anno Chriſti 161 ſeptimâ Martii, jam vidimus undeviginti millia uno perſecutionis turbine fuiſſe ſublata, ut referunt Euſebius aliique, nec ſiluit Gregorius Hiſt. l. 1, cap. 27 : *Tanta ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas ex ſanguine Chriſtiano flumina currerent* : quorum *nec nomina, nec numerum* fatetur ſe potuiſſe colligere. Alibi Galliarum non minori ſtrage ſævitum fuiſſe colligere licet ex ejuſdem Gregorii verbis lib. 1 Hiſt. cap. 26: *In Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cæleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter uſque hodie retinentur.* Interim adverſus Launoium obſerva paſſiones illas non exſcripſiſſe Gregorium, nec plurium illorum martyrum meminiſſe, ut certum ſit Gregorii ſilentio (quod ubique palmare ſibi putat argumentum Diſſertator) nihil lædi veritatem hiſtoriæ, cùm de ea tacet Turonenſis.

His præmiſſis de innumera propemodum Chriſtianorum in Gallia multitudine, antequam rerum potiretur Aurelius, conveniendus eſt contra Severum Diſſertator, & dicendum uberrimum illum fidei proventum, & ingentem apud nos fidelium acceſſionem, partum eſſe plurium annorum, & cui ſexaginta qui à primo Chriſti ſæculo ad Aurelii faſces excurrunt, non ſuffecerint, quâ ratione ſenſum Severi nobis aperuit Diſſertator, ſcilicet quòd *clam & paulatim* ſuſcepta fuerit Dei religio: verba ſunt ejus, Iniquum equidem puto commentarium illum & Scripturæ ſacræ pro nobis §. 10 laudatæ contrarium : ſed quid intereſt veritati, ſi mentiatur iniquitas ſibi ? Quod furtivis & lentis molitionibus aggredimur, & tamen in immenſum opus excreſcit, qualis illa Chriſtianorum congregatio ſuo numero Cæſari *ſtupenda*, ingentem poſtulat temporis moram ; & quamlibet jejunè conceſſeris, ſi ſis homo, ad extrema ſaltem primi ſæculi tempora pervenies, quibus ſcilicet ſub Clemente miſſum Photinum, qui nonagenarius plexus eſt, quidam autumant, ſed paulò indulgentius. Nam quidquid dicat adverſa-

Digitized by Google

rius, aut properam admittere debet cum ſacra Scriptura fidei promulgationem, quod negat : aut ſi pedetentim irrepſiſſe putet, plurimos annos concedat neceſſe eſt tantæ multitudini fidelium ; & utrubique primam Chriſtianæ ſalutis æram in Gallia faſtis noſtris conſignabit. Eam cum ſacris litteris ſupponimus, quia *velociter currit ſermo ejus* : at eam ſibi incommodam ratus Diſſertator, cogitur tamen admittere, cùm lentos progreſſus, multiplici tamen, & *ſtupenda* acceſſione notabiles aliter ſalvare non poſſit, niſi tempori donet, quod velocitati curſus Evangelici non concedit.

V. Ut Saviniano propius inſiſtamus, & ne fraudetur ſponte conceſſis à Diſſertatore, nobis hîc dicendum incumbit, quòd in §. 7. ſibi convenientiùs ſedem fixiſſet. Ut indefinitam admittit epocham Severi, nullus ambigit ſtatim ab ipſis Eccleſiæ cunabulis fidem in Gallia *prædicatam* fuiſſe, ſed non *ſuſceptam*; ridiculum illud, at utiliſſimum nobis, ut vidimus : prædicari ſtatim non potuit, niſi per miniſtros ab ipſis Apoſtolis delegatos : nec inficiatur Diſſertator : *Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur*? Ergo miſſi illi apoſtolici viri, quamvis rebelles Evangelico lumini nacti ſint gentilium animos, ut gratis nec minùs falsò ſupponit. Quid igitur illi Galliam ingreſſi? Num, ut dicebamus, pedem retulêre, & ad mittentes Romam regreſſi? De his hiſtoriæ & ratio ſilent. Immò manſiſſe, & in aſſignatis ſibi ſedibus martyrio functos eſſe non diffitebitur adverſarius, qui primos illos prædicatores, niſi martyres vix agnoſcit, ut præmiſſa luculenter ex eo probant, & beatiſſimam illam ſanguinis lauream Saviniano nominatim obtigiſſe ſcribit. Hoc tantùm inquirendum reſtat, num inter illos primos Evangelicæ meſſis operarios accenſeri debeat Savinianus. At quid jam incommodum Diſſertatori aut ſuo ſyſtemati contrarium, ſi annumeretur, qui miſſos aliquos primitus fuiſſe disertè fatetur, quamvis otioſos perperam ſupponat ; cùm ei inſigniter præ cæteris Acta germana, martyrium, & ipſa conſtans traditio ſuffragentur? Hæc ad hominem & pro rei veritate certiſſima ſunto, cui nuſquam venit in mentem ſuum de Severiana pericope commentarium, *prædicatam* ſcilicet ab initio fidem ; ſed non *ſuſceptam*, telum fore contra ſe retorquendum.

VI. Tandem, hæc omnia non ſint quæ hûc uſque de Severi ſenſu ſincerè diſputavimus, teſtes nobis laudare debuit, quorum ope tanta novitas ſuaderi potuerit, de quorum tamen

ſilentio continua nobis in hoc opere expoſtulatio fuit. Gallos accire non potuit, quos præter Irenæum, Victorinum martyrem, Ræticium, Phœbadium Aginnenſem, & Hilarium qui ſibi nullibi favent, nullos habuit: & inter externos, qui de rebus noſtris diſſeruêre, ſolum Euſebium Cæſarienſem apud quem nihil offendes de ſuſcepta tardius apud nos Dei religione, ſed plura quæ contrarium edoceant. Si Severus ſic ſolus excurrens ſtaret à partibus noſtris, nullam ejus fore ſententiam conclamaret Diſſertator, diceretque de eo ut ſufficiens eſſet ad aſſerendas primas omnium Chriſtianæ reipublicæ antiquitates, & deſtruendam eis oppoſitam falſitatem, quod toties nobis oppoſuit ut inconcuſſum dogma, præſertim §. 3 ſecundæ Diſſert. *Refellat auctoritate eorum qui Gallicanæ Eccleſiæ primordia melius calluerint, antiquiorum, æqualium, aut certè ſuppariam, quibus ſolis hac in re ſuffragium deberi, & audientiam contendimus.* Pares nobis objiciat Severus convellendo Eccleſiarum omnium ſenſui, qui ſeipſo anteriores, aut certè æquales, aut tandem ſubpares dicant viſa primùm ſub Aurelio Gallorum martyria, *quibus ſolis hac in re ſuffragium deberi & audientiam contendimus.* Nullos umquam vidit aut videre potuit Severus, antiquiores ſe aut æquales qui quinto Chriſti ſæculo floruit, & Marcus Aurelius ſecundo.

Nec dicat Diſſertator Severum habuiſſe *deſcriptas à ſynchronis martyrum hiſtorias*, ad quod probandum eum inducit hæc ſcribentem: *Extant etiam mandata litteris ejus temporis martyrum paſſiones, quas connectendas non putavi, ne modum excederem.* Nam hîc etiam fraudi plurimùm indulſit, quaſi verbis iſtis ſpectaſſet Severus quintam ſub Aurelio vexationem, quæ ſoli Diocletianeæ convenire antecedentia produnt: [Poſt eum (ait « Severus) interjectis annis fere quinquaginta, Diocletiano & « Maximiano imperantibus acerbiſſima perſecutio exorta, quæ « per decem continuos annos plebem Dei depopulata eſt; quâ « tempeſtate omnis fere ſacro martyrum cruore orbis infectus « eſt. Quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque « avidiùs tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm « nunc epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis um- « quam magis bellis exhauſtus eſt mundus, neque majore um- « quam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum ſtragibus « vinci non potuimus. Extant etiam mandatæ litteris præclaræ « ejus temporis martyrum paſſiones, &c.] Ut ſupra, quæ de « ſolis martyrum agonibus ſub Diocletiano, non autem ſub Au-

relio,

relio, innuit Severus. Sed quid Diſſertatori proficeret in hac-celebri quæſtione, cui ſe totum devovit, niſi fictis uteretur, veri præſidio deſtitutus.

Deinde ſi codices habuit Severus fidei ſuæ vades, de quo multus ambigo; qui de rebus noſtris nihil præter illam pericopen ſcripſit, nulloſque totius orbis martyres recenſuit, ſi Petrum & Paulum excipias: probet defuiſſe Oroſio ejus ſynchrono, quem variâ eruditione inſignem celebrant nominatiſſimi Patres, qui primi ſæculi miſſionibus noſtris & cædibus martyrum favet impenſiùs. Probet defuiſſe Juſtino, Irenæo, Tertulliano, cæteriſque ſuperiùs recenſitis, qui ævo Caroli magni anteriores (quo corruptas ingenioſè fuiſſe Eccleſiarum membranas diu criminatus eſt) propugnatæ veritati patrocinium dedêre. Stet ergo monachum illum Turonenſem, cui novitas & fœdi lapſus (Belarminum adi) nomen fecêre, audiendum non eſſe; cùm præſertim in hac ipſa perſecutionum generalium recenſione, quæ vix paginam unam excedit, turpes allucinationes & parachroniſmos involvat, qui fidem omnem alteri detrahant, & quibus egregiè vapularet alius, Launoii amicitiâ aut vadimonio non tutus.

Occurrit monachus alter, Letaldus Cænomanenſis, ſed quem dignum non putem, qui ſingulari titulo nobis objiciatur, cùm nihil à Severi ſenſu & Gregoriano ſcripſerit diverſum, & ab eorum tramite longiùs adhuc aberrarit, nihilque Saviniano noceat, cujus nec meminit umquam. Undecimo ſæculo vixit, & ideo minùs idoneus, ſi Diſſertator audiatur, qui de rebus octavo ſæculo anterioribus teſtimonium ponat. Et ipſe conſentit Launoius in Diſſert. de primi Cænomanorum præſulis epocha, ſcribens de eo quod non ſit laudandus, *quòd circa annum MXX de Juliano multa narret, quæ omni carent patrocinio majorum.*

Xx

Digitized by Google

APPENDIX

§. PRIMUS.

DUM iſta prælo ſubjiciuntur, venit in manus meas hoc anno 1687 tomus primus *novæ Bibliothecæ auctorum Eccleſiaſticorum, &c.* auctore L. Ellio Dupin Pariſienſi Theologo. In cujus egregio Opere Gallico idiomate conſcripto, quidquid in veterum Eccleſiæ Patrum doctrina putat ſuâ cenſurâ dignum, ad criticês regulas & amuſſim expendit. Nulla ſibi de Saviniano Senonenſi controverſia: ſed occaſione Dionyſii Areopagitæ notas ingerit, cùm ejus & Irenæi Lugdunenſis opera diſcutit, quæ licet nihil ab aliorum dictatis, qui in eodem præluxère argumento, diverſum habeant, vulnus tamen Saviniani epochæ infligerent ob celebrem eruditiſſimi viri elucubrationem, niſi ſtatim his paucis occurreretur.

Paginâ centeſimâ & ſequenti in Notis ad incudem Launoianam elaboratis, notam de duobus Dionyſiis quæſtionem refricat, ſed nullis novis acceſſionibus locuples; ac ſuppreſſis iis quæ communem ſententiam mirè commendant argumentis. Illud præ cæteris miraberis, lector, cui jam ſuperiora noſtra forſan patuêre, quòd certiſſima ſibi putet rationum momenta, quæ pars eruditorum melior toties exploſit, & de quibus alii ancipites ſaltem fuêre: ut ſalvâ nobilis ſcriptoris reverentiâ poſſit cum Dialecticis opponi, quod quæ litis deciſiva cenſet, mera ſint petitio principii. Ipſe ſit ſibi teſtis, quem idcirco præſtat audire à nobis latinè redditum.

» [Iſtud (*duos fuiſſe Dionyſios*) invictiſſimè probat pater Sir-
» mondus in ſuâ Diſſertatione: poſt quem dominus Launoius plu-
» ra ſcripſit Opuſcula, ut eidem opinioni faveret; ut quæ falſa
» retulit Hilduinus, quibus commune placitum propugnabatur,
» deſtrueret, cæteraque tandem convelleret eidem aſſerendo

paſſim obvia. Quibus adjici debent quæ in eamdem rem « ſcripſit P. Morinus initio libri de ſacris Ordinationibus. «

Quamvis de his ſiluerim in textu, operæ pretium duxi ea « virorum illorum eximiorum quæſtionis momenta paucis hîc « perſtringere, in gratiam eorum quibus nondum palam fuêre. « Primum eſt, quòd certum ſit (*miraberis, lector*) tardam præ « cæteris orbis regionibus apud Gallos fuiſſe Evangelii promul- « gationem, & nullas apud eos fuiſſe martyrum cædes, priuſ- « quam imperaret Valerianus, ut expreſsè ſcribit Sulpitius Se- « verus, qui ſæculo 4 floruit. Verùm ſi ſanctus Dionyſius Areo- « pagita in Galliam penetraſſet, ſtatim ibidem convaluiſſet re- « religio, & amplè ſævitum nondum Cæſare Valeriano. *Legi* « *tima conſecutio, & ſignanda meliore lapillo. Pergit*: «

Secundò, certum eſt (*& iſtud quærimus*) apud Gallos « Chriſtianæ fidei notitiam Photino deberi: nullibi Gallia- « rum tunc ætatis veræ religionis lumen affulſiſſe, ſi Lugdu- « nenſium & Viennenſium tractus exceperis: nec alibi imperan- « te Marco Aurelio, quid minimum Chriſtiani ſanguinis fuſum: « nullas proinde tunc dierum Eccleſias Galliam habuiſſe præ- « ter illas duas. Nullæ ſiquidem aliæ memorantur ab Euſebio: « & par de cæteris extra fines illarum martyribus ſilentium apud « eumdem: ut etiam in epiſtola Lugdunenſium, cùm ſcribunt « ad Aſianos de ſuis martyribus, quos *Protomartyres* vocant. «

Tertiò, Gregorius Turonenſis lib. 1 Hiſt. cap. 28 vadi- « monio tutus veteris ſcriptoris paſſionis ſancti Saturnini, ſcribit « Dionyſium & collegas Galliarum apoſtolos in eas veniſſe ſub « Decio circa annum 250, ut fidem poſt Irenæi necem pene ſo- « pitam excitarent. «

Quartò, Innumera proſtant antiqua martyrologia, quæ « ſub diverſis diebus natales conſignant cùm Dionyſii Areo- « pagitæ, tùm Pariſienſis Gallorum apoſtoli: in quibus etiam « non eadem vitæ & martyrii utriuſque geſta. Eo pariter ſpe- « ctant, quæ in vetuſtioribus Breviariis, Miſſalibus & Eccle- « ſiarum Diptycis enarrantur: necnon probant veteres Litaniæ, « in quarum ſerie Dionyſius Gallis apoſtolus poſt martyres ſub « Aurelio cæſos recenſetur. «

Quintò, Scriptor vitæ ſancti Fuſciani, Fulbertus Carnu- « tenſis, & Lethaldus duos admittunt Dionyſios. «

Sextò, Eorum opinio, quibus unicus arridet Dionyſius, « nono tantùm ſæculo emerſit, & de quo ſilet monachus ille, «

Digitized by Google

» qui anno 750 geſta conſcripſit Dionyſii Francorum apoſtoli.
» Qui primus omnium meminit Hilduinus, fabulis tumet &
» mendaciis, ſcriptumque laudat cujuſdam Viſbii, dubio pro-
» cul ſuppoſititium. Quo vili parente gloriantur, qui geminos
» confundunt Dionyſios.] Hæc Ellius Dupinius, ſeu Launoius compendiosè redactus; quæ ſingula ſuperius non levi pumice deterſimus.

Si plura, aut ſaltem meliora priori ſuccurriſſent, viro cæterà doctiſſimo, & quem apprimè ſagacem cernimus in ejus *novæ Bibliothecæ* fabrica, non tacuiſſet; cui fuit animus neotericum & amicum dogma totis conatibus illuſtrare. Verùm admirationi noſtræ non indignabitur, quòd bono publico deditus, & celebri inauguratione veritati devotus; in quo præcipuus ſcribendi character laudatur, quo ſingula ritè diſcernat, nihilque intactum relinquere velit, quod veris aſſertionibus officere poſſit; quo cuncta diſcutiat utrique parti propitia, & judex æquus edicat nullo litigantium ſtudio præventus; ea tamen conſtanter tacuerit quæ favent Areopagiticis, & nobiliſſimo argumento tamdiu famoſo, nec veritati minùs quàm patriæ gratiſſimo jure ſuffragantur. Illud etiam poſtulabat ſcopus à ſe intentus, & à quo non multùm aberravit, cùm Patrum ſcita libroſque tuetur, objectis quidem, ſed oppidò belle diſpunctis quæ videbantur adverſa, ut v. g. in examine epiſtolarum Ignatii Antiocheni, &c. Æquitati igitur conſuluiſſet vir rerum noſtrarum ſcientiſſimus, ſi lapidem non moviſſet qui toties nobis adverſantes contrivit; aut iterum lite motâ, nullum cauſæ offendiculum ſtruxiſſet, ſed utrique parti jus dixiſſet. Hujus fama ſcriptoris, quam apud me integram habet, hos mihi curſim animos indidit, ne ſub illius celebritate nominis vapularet Saviniani epocha, quæ periclitaretur in Dionyſio, niſi præſto eſſem lectori obnixè rogato, ut ad ſuperiora momenta, quæ fusè dedimus, oculos intendat, & ea, quæ hîc paucis ſubjicimus, ſeriò perpendat.

Quidquid ex Sirmondo & Morino colligere potuit, ad ſola Launoii effata reductum voluit, cùm ait: *Operæ pretium duxi ea virorum illorum eximiorum perſtringere litis momenta, in gratiam eorum quibus nondum innotuêre.* Quæ Launoii machinamenta, quæ mox ex eodem Dupinio recenſuimus, ſufficienter exploſa ſunt in hujus Operis decurſu, & patronorum ſuorum amicitiæ vel nomini quàm veritati litavit impenſiùs, his de

Sirmondo verbis uſus : *Probat invictiſſimè pater Sirmondus.* Si tota armorum Sirmondi panoplia viget in relatis ab Ellio ſub ſpeciali nomine Launoii, uti certè fatendum eſt ; quid monſtri nobis objicit & terriculamenti præter *Severum 4 ſæculo florentem* ? At num juſta videbitur eruditorum omnium expoſtulatio, virum ſiſtere redivivum, tot cladibus attritum, obrutum, ſepultum ? Ei parentavimus ſupra, & in mortuum ſævire, nefas.

In eo tamen, ut in altero Goliath, tota criticorum phalanx aleam pondusque belli vigere voluit, & in eo ſolo (ſi verum ſit epinicion Ellii) *invictiſſimè probat* Sirmondus, aliique duo celebris illius triumviratus, ſeram nobis Evangelii tubam intonuiſſe. Ex ſola enim Severi pericope ſic argutè concludit Dupinius : *Verùm ſi ſanctus Dionyſius Areopagita in Galliam penetraſſet, ſtatim ibidem convaluiſſet religio, & amplé ſævitum, nondum Cæſare Valeriano.* Nihil certius : ſed nec peccabit dialectica nec ratio, ſi dicamus ad ſenſum Areopagiticorum : *Cùm penetraverit in Galliam Dionyſ. Areopagita à Clemente miſſus, ſtatim ibidem religio convaluit, & amplè ſævitum ante tempora Valeriani.* Quid enim incommodi, vir erudite, aut *novâ* tuâ *Bibliothecâ* indignum, ſi Severo valere juſſo, tot inſignes veritatis pugiles præferantur, Irenæus, Juſtinus, Tertullianus, Theodoretus, Epiphanius, Hilarius, Chryſoſtomus, Zozimus, Innocentius Romani pontifices, Oroſius Severo coætaneus, & alii à nobis ſincerè relati, qui Chriſtianæ religionis ortum apud Gallos ipſi naſcenti Eccleſiæ coævum fuiſſe palam confitentur, ſi fateri velis rationem aliquid obtinere poſſe ex Patrum ſcriptis dialecticè & probè deductam. Et quàm ſibi parum in hac cenſura conſtiterit inſignis Bibliothecarius, infra videbimus, cùm epiſt. 66 Cypriani (quæ de Marciano Arelatenſi) auctori ſuo vendicat adverſus Launoium, ubi (pag. 483, col. 2 in examine Operum Irenæi) famoſiſſimam illam Gregorii Turonenſis periodum de ſeptemviratu miſſo ſub Decio, quâ nihil auribus noſtris frequentius, jam in fumos abire ſinit, quamvis eam hîc contra Pariſienſium fidem, ut ineluctabile Launoii telum objiciat.

Quod ſecundo loco ſubjicit Dupinius *ut certum*, ſcilicet Photino deberi Chriſtiana Gallorum initia, nec tunc extra fines Viennenſium & Lugdunenſium fidem irrepſiſſe, aut alibi ſæviiſſe gentilium odia, & nullibi Galliarum (ſi tractus illos

Digitized by Google

exceperis) ſtructas Eccleſias, mera ſunt, ut dicebam, petitio principii, & montium partus ex inclito cum argumento infitiali connubio. Perperam tamen ſilentii expoſtulatur Euſebius, ut pene ad ſaturam demonſtravimus ſupra; & advertere noluit doctor inſignis ad ea quæ laudavimus Euſebii loca, aut Galliam Romanis germanam & celeberrimam poſuit extra Garamantas & Indos. De ſeptem epiſcoporum miſſione, quam admittit numero ſequenti, tacuit Euſebius, nec meminit Severus aliique; igitur finxit eam Gregorius. Quis hoc dicet? Nec enim Ellius parentem illius agnoſcit Anonymum ſcriptorem Actorum ſancti Saturnini; non hîc quidem num. ſequenti, quo eum vadem fuiſſe Gregorii ſcribit: ſed pag. 483, ubi Gregorium ipſum narrationis illius auctorem eſſe contendit, ſolam Anonymo concedens Saturnini Tholoſam uſque profectionem.

Si ante Photinum, qui obiit anno Chriſti 179, nullus in Gallia ſedit epiſcopus, quia nullius ante eum meminit Euſebius (hoc enim Ellio & nuperis criticis argumentum) vana igitur fuerit Gregorii recenſio de ſeptemviris illis ſub Decio miſſis, cùm nullius eorum in Gallias adventum notaverit Euſebius, cujus mors poſtrema Turonenſis fata præceſſit ducentis quinquaginta quatuor annis. Nec teſtis idoneus erit Gregorius ad regulas Diſſertatoris expenſus, pluſquam trecentis & triginta circiter annis dum ſcriberet, ab illa ſub Decio miſſione diſparatus. Nec vas erit ſcriptor vitæ ſancti Saturnini, ipſi Gregorio pene coævus, ut vidimus, & qui præterea ab Ellio reſpuitur, qui de ſeptemviratu Deciano fabulam, Gregorio propriam, putat ex ſupra dictis & infra dicendis. Verùm tamen eſt, ſilente Euſebio, & jam exploſo Gregorio, fidem in Galliis citiùs aut ſeriùs nuntiatam fuiſſe per Trophimum, Martialem, Dionyſium, Saturninum, Gatianum, Paulum & Stremonium, & illud admittit criticorum nobiliſſimus apex. Stabit igitur ex ſcriptorum ſilentio dubias non eſſe noſtras origines, nec neceſſariam fuiſſe, ut vellet Ellius, manum Euſebii, ut obſtetricaretur ſacris partubus Gallicanis. Ei ſolùm intima fuit Orientalium Eccleſiarum cura, ſibi præſertim vicinarum; & de noſtratium ejus ſilentio non perperam queritur Henricus Valeſius, vir omnium conſenſu laudatiſſimus, qui ad Cap. 27 Hiſt. Eccleſ. libri 7 Euſebii ſic habet: *Euſebius nihil de Xiſti martyrio nec in Chronico, nec in Hiſtoria Eccleſiaſtica dicit, quod valdè miror; & multò magis mirarer, niſi ſcirem Euſebium in re-*

Digitized by Google

bus per Occidentem geſtis, negligentiorem fuiſſe.

Si dicas non defuiſſe Gregorio codices ipſi rerum origini coævos: ſtatim, quæ ſupra, reponam, illud forſan gratis aſſeri, & pariter non defuiſſe Irenæo, Juſtino, Tertulliano, &c. mox à me laudatis, qui de rebus noſtris præſtantiora ſcripsêre, quàm Severus & Gregorius; licet eos, ut nec hi duo poſtremi, ſuos non indigitaverint: non defuiſſe item Oroſio, non Uſuardo, non Adoni, non Bedæ cæteriſque martyrologis, à nobis pene ad invidiam exhibitis, quorum fuit prudentiæ ſingularis monuiſſe lectas à ſe vetuſtiſſimas chartas, Eccleſiarum membranas & dipthyca, ipſoſque rerum fontes, ex quibus veritas ad poſteros perennavit. Ipſorum verba dedimus, ad quæ lector recurrat; nam iſthæc omnia iterum ad incudem referre piget.

Verùm eadem Dupinio, quæ Launoius, refricanti, jubet ratio eadem iterari reſponſa, aut ad ea lectorem remitti. Sed tanti viri gratiæ concedendum (ut ad noſtras demùm partes tranſeat) illud ei reponere (licet jam expenſum) quo Launoius occinere nobis viſus eſt, & à Severo deficere. Hîc, lector, attende. Sufficiebat Ellio dixiſſe primum fidei præconem in Gallia fuiſſe Photinum: ſic enim invehebat ex Launoii dictatis nullos apud nos anteceſſiſſe martyres. Sed placuit illi hic inutilis pleonaſmus: *Nec alibi imperante Marco Aurelio quid minimum Chriſtiani ſanguinis fuſum.* Nam ei tunc venit in mentem quod de Eutropio ſcripſit Gregorius, nullibi retractans, nec in hiſtoriis quæ ſic habet lib. primo de Miraculis: *Eutropius quoque martyr Santonicæ urbis à beato epiſcopo Clemente, ut fertur, directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratiâ conſecratus eſt.* Deſiit Clemens cum primo Chriſti ſæculo, cui ſucceſſit Anacletus anno 101. Hoc Turonenſis oraculum pronus accepit Diſſertator, & ne totus extorris fieret Severus, ad indefinitam, quam agitavimus, epocham bellè confugit; tandem confeſſus (quod Ellio non occurrit) ſaltem ſub Clemente prædicatam alibi, quàm Viennæ & Lugduni, fidem in Galliis, & cruentatam. Vix plura non avet Savinianus. Hæc porrò ſunt Launoii verba §. 10 ſuæ primæ Diſſert. novi criticorum lycæi tholis appendenda.

[Neque etiam video, cur hæc de Eutropio hiſtoria (*apud* « *Gregorium*) adverſetur ſancti Saturnini hiſtoriæ, quam miris « & falſis modis invadit. In ſancti Saturnini hiſtoria dicuntur «

Digitized by Google

„ ſeptem epiſcopi ſub Decio Romà in Gallias veniſſe : in ſancti „ verò Eutropii hiſtoria dicitur Eutropius à Clemente miſſus „ Santonas acceſſiſſe. In his duabus hiſtoriis quæ pugna inter „ ſe? quod diſſidium ? Omnino nullum ; etiamſi Decio Cle- „ mentem, aut Clementi Decium æqualem fuiſſe arbitraretur. „ Hanc pugnam adornat falſa illa hypotheſis, quâ cenſor jam „ innuit Gregorium in ea fuiſſe ſententia, ut crederet ante im- „ perium Decii ſuſceptam non fuiſſe in Gallia Chriſti religio- „ nem : ſed §. 7 hæc calumnia repulſa eſt.]

Fateatur igitur Ellius ex conceſſione Gregorii & Launoii cæſos in Gallia martyres 150 annis priuſquam imperitaret Decius, & 70 ante Marcum Aurelium. Quod ſi in Aquitania prædicavit Eutropius, & martyr occubuit deſinente primo ſæculo, aut ſtatim incipiente ſecundo; quid tandem in Saviniani canos inſurgent, de eo ſilente Gregorio, & reformatâ ab ipſo Launoio Severi epochâ ? Tam æqua videbitur Ellio de Areopagita Dionyſio cenſura, qui nullis criticæ machinis impetitus, niſi Severi verbis, jam deficientis ; & Gregorii, cui nihil certi concedit Ellius (ut mox videbimus in negotio Marciani) pacificè degit ſub æra Clementis.

Præterea pace dixerim eruditi Bibliothecarii, non advertit, cùm ſcribit *nihil in Gallia Chriſtiani ſanguinis fuſum ante Lugdunenſium agones* anno 179, ratus quintam Eccleſiæ perſecutionem ſub Marco Aurelio prima Gallicanorum martyrum cædibus initia dediſſe ; illud ad Euſebii ſui ſenſum non poſſe dici. Nuſquam conceſſimus primas quatuor generales perſecutiones aut Imperatorum edicta Chriſtianis Gallis non nocuiſſe : ſed illo gratis conceſſo, quo ſenſum Severi lenire voluit Franciſcus Boſquetus illuſtriſſimus Montiſpeſſulani epiſcopus, alias ubique locorum vexationes noſtrorum agnoſcit Euſebius, quas *locales* „ vocat cap. 33 lib. 3 Hiſt. ex verſione Henrici Valeſii [Qui- „ bus reſpondens Trajanus edixit, Chriſtianos quidem exqui- „ rendos non eſſe, oblatos verò puniri oportere. Quo pacto per- „ ſecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, re- „ ſtinctum quidem aliqua ex parte videbatur ; iis tamen qui nos „ malignè & fraudulenter aggredi vellent, non minor opportu- „ nitas ſuppetebat ; *interdum populo, interdum præſidibus provin-* „ *ciarum* adverſus noſtros inſidias comparantibus. Adeo ut ſi „ non palam & publicè, *locales* tamen in aliquot provinciis per- „ ſecutiones exardeſcerent, *& plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii*

Digitized by Google

martyrii certamen ſubirent.] Quas *locales* perſecutiones ipſe probat Diſſertator apud Menardum pag. 23 : *Etſi enim in certo quodam loco à paganis in vulgus promiſcuum debacchatum ſit, non tamen inde ſequitur per multa loca fuiſſe graſſata martyria.* Sic Senonis ſub præſide Severo cæſi Savinianus, Potentianus, Altinus, Serotinus, Eodaldus, Victorinus cum filio, & alii utriuſque ſexûs pars numeroſior. Hac autem Euſebii nemini ſuſpectâ pericope tota ruit Severianorum apud Launoium & Ellium armatura. Nec dubium eo duce Euſebio ad ſaniora rediiſſe Diſſertatorem. Hînc jam faceſſat querulus criticorum turbo, & expenſis ad defœcati judicii trutinam quæ retulimus, in avitæ fidei veriſſimos ſenſus toties inſurrexiſſe pœniteat. Sinat interim inſignis noſter Bibliothecarius cæteris ejus ſcrupulis manum medicam admoveri. Sic pergit:

Nullas proinde tunc dierum Eccleſias Galliam habuiſſe, præter illas duas, Viennenſem & Lugdunenſem; *nulla ſiquidem aliæ memorantur ab Euſebio.* Non poterat altiùs evehi tam anxiè quæſita dignitas argumenti inſtialis : ſed etiam à vero non poterat longiùs abſcedi. In ſuperioribus cùm de Baſilicis aut martyriis, ſeu titulis primorum Senonenſium martyrum diſſeruimus, quædam congeſſimus in rem. Sed ducem Ellio Diſſertatorem præſtat audire, & argumento, quod dicunt ad hominem, veri jura tueri. Sibi redditus ille nihil amplius dubitavit ex mox allatis, à Clemente miſſum Eutropium, & apud Santonas nobiliſſimam in Aquitania ſedem poſuiſſe. Ad hanc palinodiam adegit *infinita* Severi ſui *epocha*, nec malè. Quid igitur Elli? Num ævo Clementis celebris apud Gallos ſurſum attollitur Eccleſia? Miraberis, lector, ſi quæ de Eutropio objiciuntur Launoio in prima & ſecunda Diſſertatione perpenderis, quantis vexationibus animum torſerit, ne totus periret cum Severo, & quàm inutili velitatione ſe ſtrenuum eſſe probaverit. Verùm, ut tam ſæpe monuit ille: *Claudi veritas & ligari poteſt, vinci non poteſt.*

Nec aliud diſplicebit Dupinio pro quarumdam Eccleſiarum in Galliis antiquitate ſubſidium, ipſo miniſtrante Launoio §. 30, ſeu ultimo 2 Diſſert. ubi conſentit Andeolum, Andochium, Thyrſum, Felicem & Benignum miſſos in Galliam à Polycarpo Smyrnenſi, qui obiit ſeptimo Marci Aurelii anno, duodecim ad minùs annis ante Photinum Lugdunenſem, & fuſum ibi Chriſtianorum ſanguinem ex ejus hypotheſi, quâ ſcribit nuſ-

Digitized by Google

quam ſine ſanguine fidem adoleviſſe. Certus miſſionis illius annus nondum innotuit eruditis ; ſic enim ibidem Diſſertator
„ [Baronius ſuſpicatur hos omnes Evangelii præcones à Po-
„ lycarpo in Galliam unà miſſos eſſe ad annum Chriſti 167,
„ quo ille Romam venit Anicetum pontificem conſulturus de
„ celebratione Paſchatis. Sed non videtur credibile virum, qui
„ ab annis octoginta plus minùs Chriſto inſervierat, quique
„ maximâ propagandæ fidei cupiditate ſemper incenſus fuerat,
„ id *& multò ante* & diverſis vicibus non feciſse.] Quam velis annorum ſummam Launoio concedi, à ſe per hæc verba, *multò ante*, non ſine ratione petitam, per me licet, & ejus indefinitè loquendi modus liberam tibi, lector, viam aperit ; ut animum Polycarpi pro converſione Gallorum mirè ſuccenſum, pari ſtimulo Diſsertatoris accommodes, ſic ut centeſimo trigeſimo Chriſti anno, qui eſset quinquageſimus præſulis Smyrnenſis, aut circiter (cùm auditor & diſcipulus fuerit Joannis evangeliſtæ, qui obiit anno Chriſti 99, aut ſequenti) auxilio Gallorum incubuerit. Hæc in confeſso ſint apud Launoium, poſtulat ipſe. Nec fortè tamdiu ſubſtiterit præceps ad charitatem & fidei progreſsus Polycarpi animus. Quâ ſtante hypotheſi ad mentem Diſsertatoris delineatâ, jam in Gallia ſtrenuè laboratum fuerit, vix adulto Chriſti altero ſæculo, uber Chriſtianæ religionis proventus, erectæ paſſim pro ſynaxibus fidelium Eccleſiæ, nec ſine martyrum ſanguine fertilis ille Gallicanus ager. Has ſiquidem appendices & incrementa poſcit apoſtolicæ prædicationis indoles & natura, nec refragabitur Dupinius antiquitatis Eccleſiaſticæ pronus & condus, facem præferente amico ſibi Euſebio lib. 2 Hiſt. Eccleſ. cap. 3 ſementis Evangelicæ, qua-
„ quà patuit orbis, fauſta recenſens : [In omnem terram exivit
„ ſonus evangeliſtarum ſimul & apoſtolorum, & uſque ad fines
„ terræ verba eorum. Per omnes igitur civitates & vicos Ec-
„ cleſiæ infinita hominum multitudine abundantes, velut areæ
„ quædam frugibus refertæ, brevi congregatæ ſunt.] Et cap. 1 libri 8 loquens de Religionis progreſsu ante tempora Diocletiani, & Eccleſiarum numero & amplitudine meminit de
„ aliis multis retro ante temporibus excitatis [Quis numerum
„ Eccleſiarum in ſingulis urbibus, quis illuſtres populorum
„ concurſus in ædibus ſacris cumulatè poſſit deſcribere ? Quo
„ factum eſt ut *priſcis ædificiis* jam non contenti, in ſingulis urbi-
„ bus ſpatioſas ab ipſis fundamentis extruerent Eccleſias.]

Digitized by Google

Nec infitiabitur Dupinius ſtatim ab apoſtolorum primâ fidei delineatione, coævam fuiſſe Chriſtianorum ſynaxibus Eccleſiarum ſtructuram, quâ liberum fuit ſacras illas ædes moliri. Non quòd negarim, dum atrox rerum facies ingruebat, ſæpius in cryptis & ſubterraneis penetralibus noſtrorum ſacra viguiſſe, ut hactenus indicant cryptæ Vivianæ, multis Saviniani ſociorumque martyrum pervigiliis inclitæ: ſed non hic cum Ellio diſputandi ſcopus. Non ei ſcrupulus, ut autumo, quæ fuerit Eccleſiarum noſtrarum fabrica, ſitus & forma: ſed Chriſtianos conventus ante Lugdunenſem æram nullos apud nos fuiſſe contendit, quæ certè fidelium congregatio non potuit eſſe, niſi ſeptis quibuſdam materialibus ligneis, aut parietinis adunarentur ſub uno paſtore uſuque Sacramentorum.

Enimverò cùm longè ante Aurelianas faſces velit Diſſertator (poſt quem Dupinius) Vivarienſes, Æduos & Divionenſes Chriſto nomen dediſſe ſub Polycarpo, quem contendit ille diſcipulos ſuos non ſemel ad nos tranſmiſiſſe, nec ſit credibile miſſionibus illis ad cæterarum methodum accuratis Epiſcopos defuiſſe: quis jam jure negaverit ante Potini ſeu Photini extrema fuiſſe alibi Galliarum, quàm Lugduni & Viennæ, Eccleſias, epiſcopos & martyres? *Martyres*, inquam, niſi Launoium ejuret Dupinius, quem ſcit §. 162 Diſſert. ſic ſcribentem [Credibile non eſt tam multos in Galliis noſtris per Creſcentem fuiſſe ad Chriſti fidem converſos, quorum nullus martyrium feciſſet in Neronis, vel in Domitiani perſecutione, vel etiam in aliis quæ Aurelium Antonini filium præceſſerunt..... Res eſt tunc temporis nec viſa nec audita, quando vel ipſum Chriſtiani nomen pro capitali crimine duceretur.] Et §. 29 ſpecialem de præſulibus (quibus preſbyteros, ut Benignum Divionenſem, & præfatos Polycarpi diſcipulos ordinis hierarchici adjungere lubet) mentionem faciens, ait: *Omnes aut certè pene omnes ad Eccleſiæ vulnera perveniebant*; quos omnes nunc recenſitos, ſui ſanguinis effuſione probatos Launoio, non repudiabit Dupinius, ad quos dubio procul non advertit, uti nec ad ſequentia quæ dicemus, ex ipſa prodromi ſui confeſſione, cùm ſuperiora ſcripſit idem Dupinius: [Certum eſt apud Gallos Chriſtianæ fidei notitiam Photino deberi: nullibi Galliarum tunc ætatis veræ religionis lumen affulſiſſe, ſi Lugdunenſium & Viennenſium tractus exceperis; nec alibi imperante Marco Aurelio, quid minimum Chriſtiani ſanguinis fuſum; nullas

„ proinde tunc dierum Eccleſias Galliam habuiſſe præter illas
„ duas : nullæ ſiquidem aliæ memorantur ab Euſebio. Et par
„ de cæteris extra fines illarum martyribus ſilentium apud
„ eumdem, ut etiam in epiſtola Lugdunenſium, cum ſcribunt
„ ad Aſianos de ſuis martyribus quos *protomartyres* vocant.]
Opinantur fere omnes epiſtolam illam ſcriptam fuiſſe ab Irenæo, Photini ſucceſſore, cui nulla præbebatur occaſio ſcribendi de aliis, & quæ præceſſerant. Quid ad Lugdunenſes de Divionenſibus, Æduis, Vivarienſibus ?

Quod autem Dupinius putat Lugduni martyres in epiſtola illa ſuos nuncupaſſe *protomartyres*, ut innuat omnium primos in Gallia cæſos fuiſſe: pace doctiſſimi viri dixerim, ſecus eſt apud Euſebium, quem unicum hac de re perlegit, apud quem ſatis perſpicuè patet primùm concluſos martyres aliquos ejuſdem agonis Lugdunenſium & Viennenſium, prius quàm Vettius Epagathus pro illis jam plurima tormenta perpeſſis ſtrenuè coram præſide peroraret; in quorum poſtea numerum relatus eſt. *Exinde*, ait epiſtola, *reliqui dignoſci ac diſtingui cæpêre.* Sed quomodo ? Primi, qui jam conſtricti poſt primam confeſſionem perſtiterunt; alii debiles patuêre, & decem ex illis collapſi ſunt. De prioribus ſic ſcribunt : *Et prompti quidem ac parati erant protomartyres, qui ſummâ animorum alacritate ſolemnem illam martyrum confeſſionem ediderunt.* De poſterioribus verò : *Qui verò imparati & inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis ſuſtinendum, tunc manifeſte patuerunt.* Et poſt pauca : *Comprehendebantur quotidie qui digni erant, ut numerum illorum ſupplerent, &c.* Commoda quidem fuit Ellio vox illa, *protomartyres*, ad pompam & fucum cupidè quæſita, & cæteris martyribus Galliæ paſſis ante Marcum Aurelium exitialis : at ſemper ſibi veritas cavet, ut ex textu Lugdunenſis epiſtolæ.

Nec nocet Martyrol. Romanum à Diſſertatore relatum (anceps ei gladius & leſbia regula) quod Benigni necem ſub Aurelio conſignat. 1°. enim cordatè nobis objici non debet Martyrologium illud, quod Uſuardi curis prodiiſſe putat, à ſe jurè vel injuriâ toties proſcriptum. 2°. Cùm Aurelius imperare cœperit ab anno Chriſti 161 ad annum uſque 180, potuit occumbere Benignus initio imperii, ut Photinus, eo deſinente, anno ſcilicet 179; nec quidquam obtineret Dupinius cum ſuis, cùm ſtante tali annorum cenſu, Benignus Photino prior eſſet, cùm

tempore prædicationis in Gallia, tum martyrii, quod Severianorum ſyſtema deſtruit. 3°. Vult Ellius ut prima fidei notitia Photino debeatur, & Lugdunenſes primi Gallorum Chriſtiani fuerint, quod evincere nuſquam poterit quamdiu certum erit ex Launoii cæterorumque ſupputatione pluribus vicibus Polycarpi ſtudia viguiſſe in Gallia, & *multo ante*, inquit ille, quàm ad imperiales infulas eveheretur Aurelius.

Si ſic ab orbita veræ chronologiæ divertit Ellius, ei cæteriſque in ſpatioſa majorum via gradientibus offendiculum fuit Diſſertator, qui priuſquam ſibi redderetur, hæc auſus eſt edicere non ſemel, ut in §. 27 ſecundæ Diſsert. *Quin etiam neque tunc in Gallia Celtica aliæ omnes à Vienna & Lugduno urbes Chriſti fidem admiſerant. Id enim ex Euſebii loco non difficilè colligitur, in quo unus tantùm Irenæus Chriſtianorum Galliæ epiſcopus deſignatur.* In eadem pag. 134 Belgas & Aquitanos, Irenæo ſedente, excluſerat à fidei conſortio: *Non obſcurè ſignificat Irenæus eo tempore quo ſcribebat, ad annum ſcilicet* 180, *Belgas & Aquitanos Chriſti fidem nondum amplexos eſſe.* Quam ἀλογιστίαν pluribus à nobis impetitam recolat lector, nec prolixitatem exoſo jubeat repetendam. Verùm in gratiam Ellii illud unum reponam ex Euſebio, cui tamen ſe perhibet devotiſſimum, alios in Gallia præſules Irenæi collegas fuiſſe, ad quos ſynodicam ſcripſit epiſtolam de diſſidio circa diem Paſchatis celebrandi. Lib. 3 Hiſt. cap. 24: ἐν οἷς καὶ ὁ εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας, παρίσταται μὲν τὸ δεῖν ἐν μόνῃ τῇ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς τοῦ κυρίου ἀναστάσεως ἐπιτελεῖσθαι μυστήριον. *Ex quorum numero Irenæus in epiſtola quam ſcripſit nomine Fratrum, quibus præerat in Gallia, &c.* Ad quæ verba Henricus Valeſius, ſcriptor omni exceptione major, ſic notat. *Fuit igitur hæc Irenæi epiſtola ſynodica, ut pote ſcripta nomine Eccleſiarum Galliæ, cujus caput erat Lugdunum. Proinde hæc epiſtola referri debuerat inter Concilia Galliæ, &c.* Et infra: *Ait Euſebius hanc epiſtolam ex perſona fratrum, id eſt, epiſcoporum Galliæ ab Irenæo eſſe conſcriptam.* Ibidem meminit duarum ſynodorum, quibus præfuit Irenæus Lugduni, convenientibus ad primam duodecim epiſcopis Gallicanis, & tredecim ad alteram. De quibus Sirmondus in præfatione ſuæ Collectionis Conciliorum Galliæ, & quas ſuo loco inſeruit Philippus Labbe in generali compilatione omnium ſynodorum tomo primo, col. 599. & nos plura in

præmiſſis. Et tandem concedat doctiſſimus Dupinius non in ſola Launoii verba jurandum eſſe, & in omnibus præſtare veritatem, cùm ſine fuco & citra partium æmulationem inveſtigatur.

Non abnuet aliud ſibi alexipharmacum propinari, Launoii manu etiam dilutum. Mirum eſt quod hic toties nobis obtruſerit longas periodos epiſtolæ ſeptem epiſcoporum Galliæ ad Radegundem reginam ſcribentium, ut probet ſeram admodum fuiſſe Gallorum converſionem, & vix è cunis emergentem ævo Martini Turonenſis. Mirabilius illud quod eam conferat cum quibuſdam verbis ambitiosè deciſis ex Anonymo ſcriptore vitæ Saturnini Tholoſani martyris, quem putat tertio ſæculo ſcripſiſſe, cùm ex eo conſtet Hieronymi ætatem attigiſſe, uti jam monuimus. Ex duobus enim illis fragmentis ad quæ conquieſcere debet ſchola Launoii, graviſſimum nobis ſuccurrit momentum adverſus Ellii criticas obſervationes, quas recenſuimus. Obſervant ſeptem epiſcopi parem Gallis gratiam obtigiſſe in perſona ſancti Martini, paganorum reliquias in quibuſdam vicis (ut monet Sulpitius Severus) excutientis, quâ potitæ ſunt regiones illæ, quas apoſtoli ſuâ præſentiâ & prædicatione colluſtrarunt; nec inutili plauſu dignantur titillantque animum reginæ pro Martino gentili ſuo, quem ideo *parem apoſtolis* facit ejus encomiaſtes Odo Cluniacenſis in metro ei dicato, eum celebrans ut apoſtolicum virum, non ut præcipuum in Gallia fidei præconem, eam infuſcari. Hic epiſtolæ ſenſus, nec alius probè legentibus, & in Eccleſiaſtica hiſtoria noſtra vel mediocriter peritis objici poteſt. Nam quid clarius, & apud Severum, geſta Martini ſcribentem, certius, quàm omnes fere præcipuos Galliarum epiſcopatus emerſiſſe, priuſquam ad infulas raperetur inclitum illud Cleri Gallicani decus & miraculum? Nec ſolitis Diſſertatoris offuciis poterit hæc veritas adumbrari. Voluit tamen ille & infelici celeuſmate ſibi cecinit §. 20 Diſſertationis ſecundæ: *Nullam igitur agnoſcunt* (ſeptem epiſcopi) *apoſtolici ſenatus tubam perſonuiſſe in Gallia, cùm Chriſtiana religio in Gallicanis finibus, ne quid minùs adquireret, quàm in orbis prædicantibus apoſtolis obtineret, Deus beatum Martinum in Galliam miſit*: Anonymo tamen, quem ſubjicit, contrarium edocente.

Sed ad rem. Innuere cupit Diſſertator (quâ ſeſe prorepunt ejus pandectæ) Lugduno & Vienna exceptis, vix aliquid benè

Digitized by Google

noti religionem obtinuiſse in Gallia ante Marci Aurelii tempora (ut pluribus oſtendimus) & ſi ſuæ fidei natales Martino non debeat, vix tamen, eo nondum prædicante, Chriſtianam fuiſse. Scio virum ad omnia mobilem, & ſerò ſemper ſibi caventem, non ſemper ſtetiſſe in eodem ſyſtemate, & quandoque veritati conſenſiſſe, ne quis Launoio Launoium objiciat. Stat mihi fatum Dupinii proſequenti, qui Diſſertatori nimium indulſit, ea pro nobis promere ſui ducis momenta, quibus dum cauſæ ſuæ favere voluit, noſtram aſſeruit. Pendet illud ex utriuſque textus recenſione & collatione, cum epiſtolæ ſeptem antiſtitum, tum pericopes illius ex Anonymi ſcriptis deciſæ, ex quibus nihil magis palam, quàm ſtatim ab ipſo Catholicæ religionis exortu fidem apud nos propagatam fuiſſe.

Sic porrò ſeptem epiſcopi [Itaque cùm *ipſo Catholicæ religionis exortu* cœpiſſent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia reſpirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perveniſſent Trinitatis Dominicæ ſacramenta, ne quid hic minùs adquireret quàm in orbis circulo prædicantibus apoſtolis obtineret, beatum Martinum peregrina de ſtirpe ad illuminationem patriæ dignatus eſt dirigere.] Quidquid ſit de his verbis paulò citra verum ab illis ſeptem epiſcopis liberiùs exaggeratis, habes inſignem ſacri illius conſeſſus confeſſionem de ſuſcepta in Galliis Dei religione ſtatim *ab ejus exortu*, hoc eſt ab apoſtolorum tempore : nihilque prorſus incommodi faceſſunt hæc verba, *ad paucorum notitiam.* Nullus enim negat ad primam apoſtolorum aut apoſtolicorum virorum prædicationem non ſtatim ſimul totam Galliam credidiſſe, nec is eſt noſtræ diſputationis ſcopus ; ſed num cum aliis orbis Chriſtiani regionibus prodierit & adoleverit fides Galliæ ; quod invictiſſimè probant ſeptem epiſcopi, nec minùs Anonymus ſcriptor vitæ ſancti Saturnini, cujus hæc verba nobis à Launoio præter mentem oblata §. 6 primæ Diſſert.

[Senſim & gradatim in omnem terram ſonus Evangeliorum exivit, *parique progreſſu in regionibus noſtris apoſtolorum prædicatio coruſcavit.* Cùm verò in aliquibus civitatibus Eccleſiæ, paucorum Chriſtianorum devotione, conſurgerent, &c.] Videt hîc Dupinius virûs antidotum ex ipſa Diſſertatoris allegatione prorumpens: videt in Gallia, *in ipſo Catholicæ religionis exortu apoſtolorum prædicationem coruſcantem* : videt *in civitatibus Eccleſias conſurgentes* ; & à ſuburbanis Templis, ubi tum

Chriſtianorum ſynaxes, in ipſa majorum urbium pomœria ſolemnioribus encæniis tranſmigrare. Videt, inquam, illud eruditiſſimus Bibliothecarius in ipſis Launoii libellis, in quibus duas illas antiſtitum & Anonymi pericopes magnifico verborum apparatu phaleratas nobis objicit ad pompam & fucum, tamquam deciſiva totius quæſtionis momenta, ſibi tamen planè lethalia. Non ſibi commodum habuit Ellius ad hæc advertere, ut nec pater Quenellius in ſuis ad ſancti Leonis opera ſcholiis, qui eodem referente Ellio pag. 202, nullum in Gallia præter Irenæum præſulem fuiſſe contendit, ut ei proinde neceſſarium fuerit Romam proficiſci inaugurationis gratiam recepturo, quod dici vetat Valeſius, & quis contra?

Cæterum ex utroque textu jam expenſo nullus infitias ibit, qui principia doctrinæ Launoianæ calluerit, ſequi neceſſariò (nec jam reclamabit Dupinius) fuiſſe præſules in Gallia, preſbyteros cæteroſque ſacrorum miniſtros (ſine quibus noſtræ fidei diluculum oriri non potuit) ipſis apoſtolorum temporibus coætaneos: quin & martyres, quorum ſanguine pullularent novellæ germina ſanctitatis: *In celebrioribus locis & ubi magiſtratus imperii forent, multos eſſe ad Chriſti fidem, & ſub Nerone vel Domitiano converſos ſine martyribus, res eſt tunc temporis nec viſa nec audita, quando ipſum Chriſtiani nomen pro capitali crimine duceretur.* §. 16 ſecundæ Differt. Nec ſuccenſebit novus hic adverſarius, qui Launoium è placido funere redivivum hîc iterum ſiſtit, quaſi nobis exitio futurum aut terrori; quod meliori fato objecerim ei velut larvam juſtos ſibi metus inferentem. Quid enim tam larvæ ſimile quàm hominem exhibere, qui non ſit ille quem putaviſti? Sibi fingere propitios manes, qui contradicant? Launoium excire, jam non ipſum? Hæc criticês inſomnia: ſed illa ſuis licet implexa nodis, nævíſque fœda pluribus arridebit, quamdiu ſtabit ſæculi genius, & novantium indoles exiſtimantium: *Veram magni nominis teſſeram eſſe Gregorium ſequi, pronum eſſe Severo, Areopagitæ Pariſienſi exitialem: nec te poſſe cæteris eminere ſcientiæ famâ, niſi te Launoio devinxeris publico ſacramento.*

Ad tertium quod nobis objicit Dupinius de pericope Gregoriana, quamvis Dionyſium ſolum ſpectare videatur, poſt tot in eam à nobis vibrata jacula, ſufficiat iſtud pro reſponſione grande miraculum, ſcilicet urgeri contra nos textum Gregorii, ut deleterium quoddam & lethale telum, quem tamen ſtatim proſcribit,

Digitized by Google

ſcribit, nec dignum putat qui poſſit aſſumi. Statim audietur Dupinius,& poſt inſigne tanti viri effatum, quo novam ſuam Bibliothecam inſtrui voluit, quis jam criticorum audeat in controverſo de miſſionibus argumento ex Gregorianis aſſertis, ubi à cæterorum placitis dehiſcunt, convellere fidem majorum? Sed priùs diluenda paucis, quæ nobis Dupinius ſupra propoſuit.

Quartum igitur quo ſe munit adversùs ſenium Chriſtianæ religionis in Gallia, innumeram complectitur choralium voluminum ſuppellectilem, in quorum aliquibus diverſi notantur dies pro Areopagita Dionyſio & Pariſienſi, nec eadem geſtorum utriuſque recenſio. Incommodum etiam illud quod in Litaniis quibuſdam Pariſienſis apoſtolus poſt Aurelianos martyres nominetur. In gratiam adverſariorum, pro quibus pene juratus eloquitur Dupinius,cuncta ſcrupuloſius convaſavit,ne quod rationi deeſt, numero deperiret. Majora dedimus & ſenioris ævi Eccleſiaſtici penus ſpecimina, quibus communis Eccleſiarum ſenſus de præpropera Gallorum converſione ſtabilitur. Tritum jam illud in ſacris dipthycis & faſtis non ſemel ejuſdem ſancti memoriam nonnumquam recoli. Dies natalis, tranſlatio corporis, inauguratio ſeu ordinatio, converſio, &c. iteratis proclamationibus celebrantur in Martyrologiis, ut inter tot alios de ſancto Auguſtino Hipponenſi in Martyrologio Romano, qui tamen trifariam non dividitur. Sic de Saviniano in Eccleſia Senonenſi 31 Decembris, 19 Octobris, & 26 Auguſti vario feſtivitatum cultu celeberrimo. Par ratio de Dionyſio Areopagita in Eccleſia Carnutenſi (quâ tamen auctoritate tota tumet criticorum ſchola) quem ſeptimo idus Octobris notatum his verbis: *7 idus Octobris Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii martyrum, duplex*; alium putant ab eo qui in iiſdem Carnutenſibus tabulis ſic annuntiatur: *Quinto nonas Octobris Dionyſii epiſcopi & martyris. Tres lectiones.* Nec enim duplex illa conſignatio geminos indicat Dionyſios; ſed prima natalem ejus ſeu diem martyrii ritu feſtis ſolemnioribus debito celebrari: altera converſionem ejus, ut vetus ejuſdem Eccleſiæ liber Ritualis obſervat: *Converſio ſancti Dionyſii Areopagitæ epiſcopi & martyris, 3 lection.* In quibus lectionibus nihil legitur, niſi converſionis hiſtoria. Quo ſemel obſervato de aliis Breviariis & Miſſalibus duplicem de unico Dionyſio memoriam ſignantibus, tota ruit neotericorum critica. Præterea Uſuardus hanc ſuperaddidit de Areopagita commemorationem, ut faveret Græcis, 3 etiam Octobris

Digitized by Google

agentibus de Dionyſio. Enimverò ſi Pariſienſis apoſtolus is eſſet qui tertiâ die Octobris ſic jejunè recolitur, & Areopagita qui nono die ejuſdem menſis officio duplici decoratur; proferat rationem Dupinius, cur in Eccleſia Lutetianæ vicina Athenienſis & extraneus primas honoris obtineat diſpendio præſulis martyris & Pariſienſium apoſtoli? Olim ſic Diſſertator à nobis relatus: *Veritas cùm futilibus argumentis impetitur, etiam confirmatur.*

Quod de Litaniis urget Dupinius ex Launoio, nuſquam eum infelicius invocavit. Plura forſanque nimia congeſſimus de arbitraria Litaniarum ſerie & methodo, ex qua nihil certi colligere poſſis. Iſta non potuit neſcire vir perſpicaciſſimus, qui ſe doctrinæ Patrum cenſorem exhibet; ſed tanti eſt aberrare cum Launoio. Inter ea quæ dedimus ad ſaturam, recolas, lector, quæ de proceſſionali Senonico anni 1661 ad menſuram confertam & coagitatam addimus. Hunc librum illuſtriſſimus Eccleſiæ princeps Ludovicus Henricus de Gondrin, præſul Senonenſis, vir ſagaciſſimæ naris, & qui in criticês amoribus jugiter hæſit, totus accuravit. In cujus Litaniis prolixioribus, tam à Launoio, ſibi familiari, diſſentit, quàm hic à vero. Savinianus enim primus poſt Stephanum Eccleſiæ titularem nominatur: Laurentius Lino, Cleto & Clementi ſummis pontificibus præponitur: Dionyſius Areopagita, quem unicum habent Senonenſes, Paterno cedit, qui obiit martyr ſæculo octavo. Et ſic de aliis abundè ſupra commemoratis, quos nulla umquam chronologia in hæc Eccleſiarum dipthyca introduxit. Præ me fero (& hîc clariſſimum Bibliothecarium obteſtor) nullas legi Litanias, quas quidem vetuſtiſſimas convaſavi, in quibus Launoianus ille martyrum delectus, qui ſub Aurelio paſſi ſunt, aut vera chronologiæ fides delineentur. Sed iſta potuit fingere Diſſertator, cùm ei toties certa defuerunt.

Amico detulit egregius adverſarius, non cauſæ ſuæ, nec dignitati argumenti, cùm quinto loco nobis opponit Acta ſanctorum Fuſciani & Victorici, proſam à Fulberto Carnutenſi in laudem ſancti Piatonis Tornacenſis editam; & Letaldum geſta ſancti Juliani Cænomanenſis ſcribentem. Hæc ſunt Diſſertatoris opima, quibus tamen maceſcit Dupinius, nec criticam ſuam ſaginabit. In Actis illis fœdè corruptis ſcribitur Fuſcianum & Victoricum in Galliam veniſſe Diocletiano & Maximiano imperantibus. Cohærent eis vetus Breviarium Carnu-

tenſe, Acta ſanctorum Valerii & Rufini, Piatonis Acta MS in Bibliotheca ſancti Theodorici prope Remos: geſta item ſeu Legenda ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, & ipſum fragmentum vitæ S.Piatonis à Diſſertatore ἐσφισκεπλως exhibito, in quibus membranis ſanctus Dionyſius & ſanctus Piaton prædictis martyribus collegæ ſociantur. In proſa ſancti Fulberti eadem de Dionyſio Piatonis ſocio, & utroque ſub Maximiano paſſis recenſentur. Hinc vides ex his à Dupinio citatis, quibus ad ſolam Diſſertatoris fidem conſenſit vir ſincerè doctus, certam ei eſſe chronologiæ notam Dionyſium, quem Lutetia ſuum agnoſcit, ſolùm Gallis innotuiſſe, prædicaſſe, & apud eos extrema paſſum fuiſſe ſub Maximiano Diocletiani collegâ.

Verùm quid hoc monſtri apud Dupinium & Diſſertatorem, ut Dionyſius quem ſub Decio & Grato coſſ. ad annum Chriſti circiter 252 veniſſe contendunt pro focis & aris ex Gregorio Turon. & Anonymo ſcriptore vitæS. Saturnini, quos adverſum nos jamjam urgebat Dupinius, ut duo fulmina belli, modò non venerint, niſi tranſactis quinquaginta quinque annis à cæde Decii Cæſaris? Potuit-ne non advertere doctor oculatus vix intra decem lineas pugnantia ſecum nobis obtrudi, tam à Gregorio diſſentire Fulbertum, quàm à ſe ætate dehiſcunt, & illam Diſſertatoris ἀσγαλίαι, quam pronus amplexatur, præcipuum convellere ſuæ partis fundamentum? Quid enim poſſit critica ejurato per Fulbertum Gregorio, ſi Fulbertus, quem bis ſibi vadem adſciſcit Diſſertator, judex ſupremus ſedeat. Olim præmonui Areopagitæ Dionyſii chronologica fata mihi curæ non eſſe, niſi quantùm Saviniano propitia videntur aut nociva. Sed de utroque Gallorum noſtrorum apoſtolo me benè meritum eſſe volo, ſi pace eruditiſſimi Bibliothecarii dixero, ſolâ eum Diſſertatoris famâ peccaſſe, nec ei mentem fuiſſe criſin ſuam Dionyſianam lethali vulnere cruentare. Sed forſan ex dictis & dicendis contra eum (offendiculum ſibi) tutè pejerabit.

Illud etiam mirum, quod Lethaldum multorum diris devotum, & à Diſſertatore tantùm non ejectum in Morboniam, cui nulli propitii chronologiæ cani, quos ille ſcrupuloſiùs ambit in ſuam *novam Bibliothecam* adſciverit Dupinius, ut teſtem idoneum, qui audiatur, ſolâ Gregorii pericope fultus, quam ipſe Lethaldus corrupit additamento Diſſertatori prorſus ingrato.

& quam ſtatim Dupinius reprobabit. Si totus in Launoium pronus ne dicam præceps, Dupinius, cur ſcriptorem accerſit nullius nominis, in cauſa miſſionum primi ſæculi neophitum & ſolœcizantem, & (quod tanti ſemper erit in ſchola critica) Launoiano hoc anethemate percuſſum *in Diſſert. de primi Cenomanorum* „ *epiſcopi epocha* pag. 227 mei codicis: [Laudandus (Letaldus) „ non eſt, quod circa annum M. XX. de Juliano multa narret „ quæ omni carent patrocinio majorum; tantùm abeſt ut per „ idoneos traditionis teſtes ad ipſum reducantur. Ex iis autem „ multis, ne longior ſim, duo ſolùm perſtringo. Alterum, in „ quo Julianum aggregat in numerum ſeptem antiſtitum, quos „ Gregorius ex vetere ſancti Saturnini hiſtoria Decio & Grato coſſ. Româ miſſos eſſe dicit. Atqui tacente hac de re Gregorio, nec Letaldus, nec unus alius è poſteris conſultò pronuntiare quidquam poteſt.] Cur in re gravioris momenti teſtem accire, Gregoriani textûs (cui totum negotii pondus incumbere putant) corruptorem? Quid fidei, & auctoritatis in Letaldo, ut ſibi liceat pro libitu præſulem appingere quem non indigitavit Gregorius? Quis jure non dicet tam facili caſu ruere ſeptenarium illud antiſtitum (quod non temerè damnavimus) quàm octonarium, ſalvâ tamen Turonenſis reverentiâ, ſi quid de auctore certi proderetur? Quàm exitio proxima pericope illa, quam ſtatim Dupinius ipſe repudiabit; & ſi ruat ſub tanto ſcriptore, cui de Patrum ſcriptis cenſendi partes obtigère in ejus *nova Bibliotheca* apparatu, quo tandem critica ſtabit fundamento? Certè invocandus non erat Letaldus, cui nulla competunt jura ſuffragandi. Videat interim lector, qui contra miſſionum ſenium nobis opponantur, planè qui veritati non poſſint uberius patrocinari. Quod ſexto & ultimo loco nobis objicit Dupinius, meram præ ſe fert petitionem principii, ſi parem de cæteris primi ſæculi præſulibus Gallicanis cauſam velit eſſe cum alea Dionyſii. Hìc noſtra non eſt pro Areopagita ſpondere: patronos habet eruditione & dignitate celebres; & ſi quid adderem in nobiliſſimæ diſputationis gratiam, jure audirem poeticum iſtud: *Inter ſtrepit anſer olores.*

Cætera quæ probris ſcatent & lædoriis, non moror: ſtabit ſemper ſuo merito gravis Hilduinus, nec putabit ſuæ famæ deliquium vir opinione ſui ſæculi maximus, & principum amicitiâ & commendatione tutiſſimus, ſi quid in eum perſtrepat novitas, ſuæ cauſæ excidio malè ſana.

Quæ de Viſbio ſtatim profert Dupinius, adverſariorum ſuſurris præventus, petulantium linguarum mendacia putat doctiſſimus Hugo Menardus cap. 19 ſuæ Diatribæ, vir quem ſingularis eruditio jugiter fovit, & vitæ ſanctimonia ſepelivit. Invidioſum Viſbii ſenium, Areopagitæ diſcipuli, Severianorum, & qui Gregorii nomine abutuntur, commentis exitiale, placere non potuit Diſſertatori. Verùm quid Hilduino vetuſtiſſimum & pene cum blattis jurgantem Viſbii codicem, & forſan autographum à ſe viſum referenti reſpondere queat, qui nobis membranas diſparatas, hinc inde ſubreptas, & fragmenta de Piatonis vita temerè collecta venditat non ſine ſupercilio? Interim Viſbio ſufficiat Ariſtotelicum iſtud : Χρηςὸς πονηροῖς οὐ πιςεύεται λόγοις. Nobis verò pari contumeliâ punctis, iſtud ſapientis. Εἰδὲ φέρειν τὰ γελοῖα.

§. alter.

Ad criticam Dupinii de Epiſt. 66. *aliàs* 67 ſancti Cypriani.

NOn hîc locus vindicandæ Cypriano hujus epiſtolæ, quam ut genuinum tanti parentis fœtum fortiter adverſus Diſſertatorem aſſeruit Hugo Menardus à pag. 61 ſuæ Diatribæ ad 72 incluſivè. Ex eo aut aliis aſſertam etiam voluit noſter Dupinius pag. 483, col. 2 tomi primi *nova* ſuæ *Bibliothecæ.* Sed ex priore qui rem uberius agitavit, præmittenda quædam mihi videntur, à quibus prudens abſtinueram in ſuperioribus, dum de Marciano Arelatenſi nobis ſermo fuit.

Sic autem Menardus : [Ad deturbandam Greg. Turon. « opinionem proferebat Milletus epiſtolam ſancti Cypriani ad « Stephanum Papam de Marciano Arelatenſi epiſcopo, qui jam- « pridem ad Novatiani partes transfugerat, ac pervicax in ipſo « ſchiſmate obduruerat & occalluerat. Ex qua colligebat Mil- « letus miſſionem illam ſancti Trophimi ſub Decii & Grati « conſulatu ſtare non poſſe, cùm ante Marcianum jam ſediſſent « Arelate duodecim epiſcopi juxta Saxium, aut ſaltem ſex jux- « ta alios. Et quamvis Marcianus proximus eſſet Trophimi ſuc- « ceſſor, ut vult adverſarius, non potuit tamen Trophimus an- « no 252 inire illius ſedis præſulatum ob modicum annorum « intervallum. Nam cùm jampridem Marcianus in pravo illo «

Digitized by Google

„ ſchiſmate pertinax eſſet, par eſt credere illum ſchiſma amplexatum eſſe ab illius exordio, quod fuit ſub initium imperii
„ Galli & Voluſiani, ut ex Chronico Euſebii certum eſt, à quo
„ uſque ad annum 252 vix anni quatuor integri intercedunt.
„ At non eſt credibile Marcianum, ubi primùm ſedere cœpit,
„ ad Novatiani partes defeciſſe; ſed aliquot annos in communione ſedis apoſtolicæ ſtetiſſe, & ſaltem iniiſſe præſulatum
„ anno 252, quo credunt ſanctum Trophimum tum primum
„ Arelatenſibus fidem Chriſtianam annunciaſſe. Præterea ſimile vero eſt multos annos Trophimum in ſede Arelatenſi perſeveraſſe. Nam ille fidem in ſua ditione per omnia dilatavit,
„ ut de illo ejuſque ſociis affirmat Gregorius Turonenſis cap.
„ ſupra citato: *Gatianus verò, Trophimus, Stremoniuſque, Paulus*
„ *atque Martialis in ſummâ ſanctitate viventes, poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, ac fidem Chriſti per omnia dilatatam, felici confeſſione migrarunt*: quod ſanè paucorum annorum intercarpedine
„ præſtari non poterat. Ex quibus efficitur, aut tum duos Arelate fuiſſe epiſcopos Trophimum & Marcianum, quod abſurdum eſt, antiquis ſæculis prorſus inauditum, poſterioribus rarò
„ toleratum: aut multò ante quàm ſcribitur à Gregorio Trophimum Arelatem veniſſe. Cujus argumenti vim & pondus
„ cùm perſentiret adverſarius, hanc ſancti Cypriani epiſtolam,
„ omnium doctorum calculis ac ſuffragiis, tamquam legitimum
„ illius fœtum, hactenus comprobatam, repudiare, eique νοθίας
„ dicam ſcribere auſus eſt, &c.] Digniſſima ſcitu ſunt quibus Launoii ſcrupulos, nec eum, nec alium probè ſcientem pungentes, diſcutit Menardus, cujus teſtimonio ſtabilem volui epiſtolam hanc Cypriani, quâ, ut argumento ad hominem (quod hujus §. intentum) mihi videtur Dupinius fœdus inire poſſe cum Areopagiticis, & Senonenſibus quibus §. præcedenti Gregorium oppoſuit, quem in iſto longiùs à ſe faceſſere jubet; quod videndum.

Hanc epiſtolam votis omnibus amplexatur, nec perfunctoriè auctori ſuo vendicat contra Diſſertatorem, ut diximus. Recenſendis in rem argumentis, quibus Cypriano fœtum ſuum aſſerit, ſuperſedeo, eâ ſolâ probatione contentus, quæ numero
„ quarta & ultima eſt. Iſthæc præmiſerat [Eam ut dubiæ fidei
„ damnare voluit dominus Launoius, & quædam proponit ob
„ quæ conficta videri poſſit: ſed quæ leviter tangunt, & paucos
„ invenies qui ſuffragentur; indolem enim & ſcribendi characte-

rem exhibet Cypriani, qui facilè adverti poſſit, ut indicat « Auguſtinus.] Tum objectis quibuſdam à Diſſertatore reſ- « pondet, & ultimò ſic:

[Quarta dubitandi ratio, & quæ præcipua cenſeri debet, « hiſtoriam ſpectat Trophimi, quem niſi ſub Decio non veniſſe « putant Arelatem (cujus urbis epiſcopus fuit) ſi fides auctori « vitæ ſancti Saturnini, de quo Gregorius Turonenſis. Certum « tamen ex eadem epiſtola eo tempore ſediſſe Marcianum « Arelate, non Trophimum, ibique multò longiùs ante, Chriſti « fidem & religionem floruiſſe. Iſtud maximam certè difficul- « tatem involvit. «

Verùm reſponderi poteſt, ſalvâ ſemper Sulpitii Severi « epochâ (*nam perit Gregoriana*) Trophimi adventum quibuſ- « dam annis Decii tempora præceſſiſſe: non ad auctorem vitæ « Saturnini referendam eſſe illius adventûs Trophimi narratio- « nem, ſed ad Gregorium Turonenſem, qui ex verbis illius « ſcriptoris narrantis Saturninum miſſum eſſe Tholoſam epiſ- « copum jam imperante Decio, ſibi commodum putavit ſeptem « alios Galliarum epiſcopos recenſere, quos inter fieri potuit, « ut quidam priùs advenerint. Confirmat hanc opinionem no- ſtram epiſtola 5 Zozimi Papæ, quam à Launoii ſcrupulis exi- « mit pater Quenellus: in ea enim legitur: *Trophimus Arelatem* « *miſſus à ſancta ſede, inſtar fontis fuit, ex quo rivuli per Galliam* « *perennarunt*: quo fit probabilis ejus in Gallias adventus ali- « quot priùs annis, quàm rerum potiretur Decius; ſed ab apo- « ſtolorum tempore, quin & ab Irenæi martyrio longè remo- « tior.] Hæc Dupinii verba latinè reddita. «

Tam intima mihi eſt & ſincera doctoris Dupinii exiſtimatio, qui in ipſa litterarum arce & celeberrimo totius orbis Muſa- rum palladio ſpartam ſuſcepit ornandam omnium difficilli- mam, cenſuram dico ſcriptorum omnium Eccleſiaſticorum, qui primis æræ Chriſtianæ ſæculis floruerunt; ut mihi ſpes major affulſerit, eum in hoc, de quo diſputamus argumento, nihil ſibi reliqui feciſſe, quin totam exhauſerit difficultatem, qui judex ſedere voluit, ut quid veri eſt, palam ediceret: eò maximè quòd omnium poſtremus ſcribens, & ad judicii ſui limam cuncta volens expendi, quidquid ultro citroque à par- tibus agitatum fuit, rectè calluerit. Hoc gratanter dato, noſtra jam incumbit ejus ſenſa libare, quibus nobis ſuccur- rat promere, quæ nocent adverſariis, non ſilere, & quàm

Digitized by Google

in lubrico critica ſibi pedem figat, aperire.

I. Habes ex Dupinio certiſſimum eſſe Cyprianum epiſtolam illam ſcripſiſſe ad Stephanum Papam in cauſa Marciani Arelatenſis præſulis, nec ſolùm illud aſſertum à Dupinio, ſed propugnatum adversùs Launoium. Quo jure conceſſo, potiſſimum habetur argumentum contra Gregorianam epocham, à quo totis viribus cavere ſibi voluit Diſſertator, ſed inutili conatu. Quærant alii cur novus hic Bibliothecarius, ſui certè peritus, cujus animo ſedit geminos agnoſcere Dionyſios, Areopagitam Athenis (ſi Superis placet) crematum; & Pariſienſem poſt Decii tempora capite plexum, quod ex ſola Gregorii relatione colligere potuit, quique ſuperiori §. nobis eam ex Anonymo ſcriptore vitæ ſancti Saturnini viriliter objecit: hanc tamen Cypriano epiſtolam aſſerat, quæ Gregorii ſententiam falſam oſtendit, & in Morboniam, Launoii Cherſoneſum, ablegat? Non captu facilis hæc textura judicii.

II. Non minùs hærebunt alii, ſciſcitantes cur à partibus Gregorii defecturus, nec veram ratus ejus ſententiam de miſſione ſeptem antiſtitum, de qua nullus hactenus quod ſciam, infitias ivit, eam tribuit ſcriptori vitæ Saturnini Tholoſani præſulis; velit tamen Dupinius, & propugnet pericopen illam toto orbe famoſam deberi Gregorio, & auctorem eximium magnique nominis ſibi merè fingat, nulloque prævio nobis ſiſtat, ut ei ſtatim erroris dicam impingat, falſique poſtulet, ſaltem quâ Trophimum Arelatenſem excludit ab illo ſeptemviratu. Ex inſita ſibi probitate judicii, ei magis integrum erat, ut qui nec in Anonymum, nec in Gregorium hac in re propenſus eſt, non deſciſceret ab omnium placitis, qui priorem textûs illius auctorem opinantur, ita ut potiùs ſub ejus nomine, quem omnes naucci faciunt, tale ſcriptum damnaret, quàm ambitioſâ Gregorii auctoritate decoratum. Id videri poſſit graviſſimum virum in ſcenam excire, ſtatim ſpectantium ſibilis gratis illudendum.

III. Præterea in priori §. ad num. tertium vult Dupinius Gregorium nihil ex ſe ſtatuiſſe de ſeptem illorum antiſtitum in Gallias legatione, ſed tantùm *vadimonio tutum* illius Anonymi ſcriptoris: hoc autem §. à Diſſertatoris & aliorum omnium ſenſu deflectens, docet, *Non ad auctorem vitæ Saturnini referendam eſſe illius adventûs Trophimi narrationem, ſed ad Gregorium Turonenſem.* Quis hanc ἀντιλογίαν non demiretur? Quis

Quis item tacitus audiat Dupinium Launoio deditum & pene juratum; ei tamen refragari nullo vade & ſponſore munitum? Si par patrono ut clienti licentia fuiſſet, nihil prior chariùs habuit in votis quàm nanciſci Gregorium illius de ſeptemviratu narrationis auctorem. Quàm ſibi tunc ceciniſſet eâ potitus victoriâ? Quàm ſibi caviſſet ab adverſariorum querelis jugiter improperantium eum in antiquitatis excidium conſenſiſſe ad unius inſomnia ſcriptoris obſcuri & nullius nominis? Quot tamen libellos Diſſertator emiſit, ne totus periret anonymus ille; uno tamen verbo præcidit Dupinius eum inter ſeptemviros illos ſoli Saturnino ſtuduiſſe; de ſex aliis præſulibus ſiluiſſe, ſed quos in Gallias migraſſe ſolus edixerit Gregorius. Quis tanta docuit nuperum Doctorem, contra regulas à Diſſertatore præſcriptas omnium teſtimonio deſtitutum? Nulla potuit ei ſubeſſe ratio ut aliò ſe flecteret. Cur ergo hîc ſciſſus in varia Dupinius ſe cenſorem exhibet in hac celebri de Miſſionibus quæſtione, apud quem nihil certi colligere poſſis; cui nec modò placent ſenſa Launoii, quæ in altero §. *Certiſſima* putat litis hujus momenta? Inſcius vadi quo naufragium evitet, graviùs impegit, quod facilè demonſtratur ex his quæ ſequuntur.

IV. Nihil hactenus in criticorum lycæo ſanctius, nihil in compitis frequentiùs, nihil audaciùs in Areopagiticos, nihil ad faſtum aut ſibilum jactantius apud omnes novi dogmatis aſſertores quàm iſtud ex anonymo fragmentum Gregorii relatione commendatum, quo Dionyſius, Martialis, Trophimus, Saturninus, Gatianus, Paulus & Stremonius Gallis noſtris occurriſſe putantur Decio & Grato coſſ.

Nobiliſſimi ſcriptores Sirmondus, Petavius, Launoius, Morinus, & poſt eos Dupinius, ad hunc novitatis ſcopulum impegiſſe ſibi laudi duxerunt. Verùm hic poſtremus cum quo ſpeciali conflictu congredimur, tot facibus præambulis illuſtratus, & ad quas non intendere piaculum erat, certus incommodam ſibi Trophimi miſſionem ſub Decio, ne indubitatâ Cypriani de Marciani Arelatenſi præſule ſcribentis auctoritate premeretur, veritati conſuluiſſe, & rem tamdiu controverſam acu tetigiſſe ſibi viſus eſt, ſi ab illo ſacro ſeptemviratu, quem priùs in dubium revocare religio erat, Trophimum prorſus expelleret: nec hunc ſolum, quem Arelatenſes primarium ſuæ ſedis antiſtitem, veréque Pauli diſcipulum colunt; ſed de ſex aliis pari ſorte ſuo loco movendis, eamdem

nobis licentiam concedit. Audiatur pag. 483, col. 2, quamvis digniſſima tholis & pulpitis Eccleſiarum ſententia ſit jam à nobis laudata: [Certum tamen ex eadem epiſtola (Cypriani) „ eo tempore ſediſſe Marcianum Arelate, non Trophimum, „ ibique *multò longiùs ante* Chriſti fidem & religionem floruiſſe. „ Iſtud maximam certè difficultatem involvit. Verùm reſpon- „ deri poteſt, ſalvâ ſemper Sulpicii Severi epochâ, Trophimi „ adventum *aliquot annis* Decii tempora præceſſiſſe: non ad „ auctorem vitæ Saturnini referendam eſſe illius Trophimi ad- „ ventûs narrationem, ſed ad Gregorium Turonenſem, qui ex „ verbis illius ſcriptoris referentis Saturninum miſſum eſſe Tho- „ loſam epiſcopum, jam imperante Decio, ſibi commodum pu- „ tavit ſeptem (ſex) Galliarum epiſcopos recenſere, *quos inter* „ *fieri potuit, ut quidam priùs advenerint.* Confirmat hanc opi- „ nionem noſtram epiſtola quinta Zozimi Papæ, &c.]

Hoc ſinceræ mentis oraculum quis jam exitiale non putet toti criticorum panopliæ; & quis deinceps in Areopagiticos, & Senonenſes noſtros, quos pari fato multandos autumant, mutire velit? Si Trophimus ab illo ſeptemviratu liber evadit; num parem Dionyſio, Martiali, Gatiano Pauloque Narbonenſi gratiam Ellius Dupinius denegabit? Num pro Trophimo ſolo pugnaverit Cyprianus, ſi concedat Dupinius par beneficium aliis indiſcriminatim: *quos inter fieri potuit, ut quidam priùs advenerint?*

V. Quòd ſi Trophimus (par de ſex aliis ratio) de Gregorii, aut Anonymi tricis ſic feliciter evaſit, ut jam ei nullam determinatam epocham figere poſſint adverſarii, quibus Gregoriana, dum proba cenſeretur, religio erat; quis jam ſui compos jure refragari poſſit primi ſæculi miſſionem admittendam eſſe tot ſupra theorematibus probatam, cui ſola Gregorii verba fucum induxerant? Quiſquis enim fixis oculis libellos Diſſertatoris attenderit, nihil præter duas cùm Gregorii, tùm Severi pericopes offendet, quibus in veræ chronologiæ dogma peccavit. Prior in Morboniam deportatur Dupinii decreto: par alteri fatum, ſi faxint Superi.

VI. Nec enim lepidum iſtud nobis Dupinius invidebit, quo nihil jucundiùs cùm parentheſeos beneficio tutus ſic audacter intonat, *ſalvâ ſemper Severi epochâ.* Et in fine ſcholii ſui poſt relata Zozimi verba Trophimo cæteriſque primis Gallicanis præſulibus propitia, ſic ſuis cavet, non ſibi: *Quo fit probabilis*

Digitized by Google

ejus (Trophimi *) in Gallias adventus aliquot priùs annis, quam rerum potiretur Decius, ſed ab Apoſtolorum tempore quin & ab Irenæi martyris longè remotior.*

Quantis, heus tu, gratiarum chariſmatibus præ Gregorio inſignitum putas Severum, ut illo viriliter ejurato, huic adhuc inſiſtere velis? Pudet in pari veritatis excidio cœnobitam Martinianum præferri celeberrimo pontifici, ſcriptori locupletiſſimo, & de clero Gallicano optimè merito. Nulla hîc quidem de utroque contendendi ratio proba, & utrique maneat ſuus laudum apex: ſed nuſquam probabit doctiſſimus Dupinius de Gregoriana clade jam inſignior, parem ſibi non eſſe facultatem Severum proſcribendi, aut eamdem nobis dubitandi num in eo quidquam diſcriminis inſit, aut prærogativæ ſingularis, ut alteri præponatur. Mihi theſin hanc ſeriò expendenti nuſquam legere contigit adverſarios Severum Gregorio prætuliſſe, ſi de auctoritate fiat contentio, nec in defenſione prioris teſtis idoneus erit Dupinius, nihil novi nobis exhibens, qui à partibus alterius ſtare non potuit, cui plurimi & inſignes de ſchola critica devoventur.

VII. Quòd Trophimum ab illo ſeptemviratu ſeduxerit, Cypriani præſtat auctoritas: at quòd in cæterorum deſertionem pronus ſit Dupinius, ut vidimus, quos longè ante Gregorianam epocham ad nos adventare potuiſſe ultro conſentit, ut divinus illud aſſeruit, & in ſcopum rectè quidem, ſed temerè collimavit. Crederes cœlitus afflatum, ut ſic veritati ſuccurreret, ſi tanto lumini non defuiſſet, ut vates ille conductitius in Numerorum lib. 7, eâ miſerâ mortalium ſorte quibus meliora nutant & in ancipiti ludunt. Proferat bonâ fide Doctor cordatus quid ex ipſo penu rationis hauſerit, aut ex ſcriptorum apothecis, originibus noſtris æqualium aut ſaltem ſupparium (ut ſtet legibus à Diſſertatore dictatis) ut *Severi computo, Apoſtolorum temporibus, & Irenæi martyrio* poſteriores aſſerat ſeptem illos præſules, quos *multo ante* Decianam & Gregorianam æram præceſſiſſe non diffitetur. Nihil certe umquam proferre poterit, à quo recedere non poſſit æquius & minori negotio quàm à Gregorio, qui non ſponte ſuâ, ſed Anonymi vadimonio peccavit, & cùm ſeptem tantùm epiſcopos recenſet, nullus ambigit plures alios præiviſſe. Si vel unus auctor Dupinio ſuccurriſſet, dum *ſalvam* optat *epocham Severi*, eum certè non tacuiſſet: ſed ipſi ſatis fuit perfunctoriè tantùm (quod nemo

Aaa ij

Digitized by Google

non videt) & verbo tenus periclitanti dogmati providere.

VIII. Inter hos criticès flexus & mæandros, ſtabit ſaltem peſſum ire nec amplius intorqueri poſſe validiſſimam illam adverſariorum machinam Anonymi aut Turonenſis manu confictam: Dupinio deberi quòd jam conquieſcat ferus ille diſputantium turbo, tot Eccleſiarum paci moleſtus; deinde primo æræ Chriſtianæ ſæculo coævos eſſe nobiliores Galliarum apoſtolos; & pacificè tandem Lutetiæ ſediſſe Dionyſium Areopagitam, Arelati Trophimum Pauli diſcipulum, Martialem Lemovicis, Turonis Gatianum, &c. ſub Petri aut Clementis papatu ad nos directos, & in primis Savinianum quem Gregorii verba non tangunt.

IX. Commodum etiam illud nobis, quod epiſtolam 5. Zozimi germanam agnoſcit Dupinius cum Quenello, & ex ea Gregorianum illud commentum procul faceſſere jubet: quam tamen pro more Diſſertator νοθείας inſimulaverat, ne tanto pondere premeretur. Sic ſenſim è tenebris veritas erumpens, quibus hoc ſæculo videbatur involvi, & eorum ope qui majorem fucum induxerant, ſibi cum Ludovico XII Galliarum rege gratulari poteſt hoc epicinio: *Inter eclypſes exorior.*

CONCLVSIO.

Vice coronidis liceat quæ pluribus proſecuti ſumus, paucis complecti. Nihil in votis habuit antiquius Diſſertator quàm avitam regalis Eccleſiæ de ſuo Areopagita Dionyſio religionem convellere. Præiverat quidem eruditiſſimus Sirmondus, at velitum more, nec diu ſtetit in acie. Impigram alter navavit operam, induruit in agone, & ἀγρίως efferbuit. Ne ſibi deeſſet, commodum putavit totam ſuſdeque vertere Patrum fidem, & pacificum de miſſionibus primi ſæculi dogma, & cathedralium Eccleſiarum encænia primo religionis exortu fabulis accenſere, ut periclitantibus earum primipilis, unus ſaltem periret Dionyſius. Statim occurrerunt ferentarii duo, Severus Sulpitius & Florentius Gregorius Turonenſis: primus in reliquorum antiſtitum, quos ante Marcum Aurelium Gallis noſtris præeſſe dicimus, repudium; alter in ſeptemvirûm excidium, & præſertim Areopagitæ Pariſienſis.

Ex pluribus Diſſertatoris libellis, quibus ſchola criticorum

Digitized by Google

intumuit, duo præcipui cenſentur; primus tribus Diſſertationibus diſtinctus; alter Diſpunctio eſt (ſi veritas ſinat) illuſtriſſ. Petri de Marca præſulis Tholoſani ad Henricum Valeſium paris eruditionis miraculum. In tanta ſcriptionum congerie, nihil, lector, offendes præter Gregorium & Severum, quos ſemper præcipites actos, quâ potuit arte, ruinæ ſubducere, ſibi præcipuum duxit. Et quidem actus erat ad incitas cum Severo Diſſertator ex proſcriptione *epochæ finitæ*, cùm *indefinitam* excogitavit, Areopagiticorum plauſu mirabili, quibus tandem conceſſit (ut lætiſſimo celeuſmate cecinimus ſupra) hac epigraphe Severi *Seriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta*, nullum præproperis per apoſtolos aut primarios eorum legatos Gallorum fidei progreſſibus obicem ſtrui, ſi priùs *cis Alpes* Evangelicum jubar affulſerit, ita ut Romæ & Ciſpadanis regionibus antelucanum Chriſtianæ Religionis Gallia cedat, quod jure conceſſimus. Hac potiti victoriâ Savinianus Senonis, & Areopagita Lutetiæ, primus pacificè deget ſub ætra Petri Eccleſiarum omnium primatis; alter Clementi Romano ſuas vices gratulabitur.

A Severo ſic nobis reſtituto, veniendum fuit ad famoſiſſimam illam Gregorianam epocham, quæ diu plurimorum contentionibus ultro citroque agitata, tandem ad Ellii Dupinii nobiliſſimi ſcriptoris cenſuram tranſiit, qui votis adverſariorum omnium in ſe receptis, iiſque abundè munitus, ſuo merito potens, eruditione præcipuus, & ea quam adminiſtrandam ſuſcepit omnium Eccleſiarum nomine, de veterum Patrum ſcriptis dijudicandi provincia clariſſimus, judex ſedit & cenſor hujus Gregoriani fragmenti, quod litis decretorium momentum cenſebatur: quod ſi nihili non duxit, ei tamen ſtare, pro focis & aris noluit, & in varias à ſe partes diſciſſum, ut vidimus, à ſe longiùs amandavit.

Nihil ad gloriæ juxta & victoriæ cumulum expetendum eſſet, ſi quid fauſti piis Launoii manibus accedere poſſet hoc epinicio. Quietus degat ſub ſuis cineribus inclitus hic ſcientiarum fomes, noſtri ſæculi decus & pene ſtupor: ſed pacificus audiat nuſquam huic argumento verè ſe totum dediſſe; rem Launoii merito ut nomine non benè dignam aggreſſum eſſe, famæ celebritati quàm veritati plus dediſſe, & (ſi dicere liceat) ſibi ipſi tandem pœnitenti, palinodiæ gloriam invidiſſe.

Tertium ſuæ ſpei momentum, & quo frequentiùs viſus eſt occinere ſibi, injurioſus eſt ille & fermè paginalis ſibilus,

Digitized by Google

quo ex ficto Apoſtolorum ſynchroniſmo, nobiliores orbis Eccleſias deridendas eſſe voluit: quod quàm infelici voto & inutili conatu ſuiſque legibus contrario, ſparſim in hujus elucubrationis decurſu, & ſub ſpeciali titulo demonſtravimus.

Sic perit, ni fallor, magnificus ille novæ criticês apparatus, qui quantùm ad illos qui rem eminùs tantùm proſpexerint, pluribus cum errore fucum invexit. Et ut ad novitatem adigit animorum libido, nihil avidius hac ætate ſuſceptum, nihil ventilatum acrius, nihil ambitioſius propagatum: & (quod jam monui) in hujus falſi ſyſtematis defenſione ſeu potiùs venditatione, clari nominis & eruditionis illis viſus eſt apex eminere. Verùm quàm iniquè, viderint qui veritati quàm inani gloriæ ſtudent impenſiùs.

FINIS.

INDEX
CAPITUM ET SECTIONUM.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtorica Synopſis, ſeu Traditio ſacræ geneſeos Eccleſiæ Senonenſis. pag. 1.

CAPUT II.

Sanctum Savinianum à B. Petro Senonas miſſum fuiſſe. 7
§. 1. *Probatur primò ex traditione.* ibid.
§. 2. *Probatur ſecundò ex Actis paſſionis ſancti Saviniani.* 23
§. 3. *Probatur idem ex Actis martyrii SS. Sanctiani, Columbæ & Beatæ.* 30
§. 4. *Idem Probatur ex inſtrumento fundationis monaſterii ſancti Petri Vivi Senonenſis.* 42

Digitized by Google

§. 5. *Vindicatur à falſi ſuſpicione privilegium Chlodovæi primi, ſeu Charta fundationis monaſterio S. Petri Vivi conceſſa.* 48
OBJECTIO I. *Nullæ Privilegiorum Chartæ ante Dagobertum regem.* 76
OBJECT. II. *Initialis Formula.* 79
OBJECT. III. *Numerus Singularis.* 83
OBJECT. IV. *Res minutæ.* 85
OBJECT. V. *Epocha Diplomatis.* 86
OBJECT. VI. *Annus Chriſti quingenteſimus, &c.* 97
OBJECT. VII. *Archiepiſcopus.* 99
OBJECT. VIII. *Subſcriptiones.* 106
OBJECT. IX. *Nulli teſtes in regiis Chartis.* 108
OBJECT. X. *Subſcribentium parachroniſmus.* 110
OBJECT. XI. *Imprecatio.* 115
COROLLARIUM. *Pro iterata genuinarum Chartarum defenſione.* 118
§. 5. *Probatur item ſanctum Savinianum à beato Petro Senonas miſſum.* 125
§. 6. *Martyrologia.* 129
§. 7. *Ex ipſo Launoio probatur conſtituta à nobis Saviniani Epocha.* 151
§. 8. *Auctores quidam qui traditioni Senonenſi ſuffragantur.* 174
§. 9. *Auctores ævo Caroli magni poſteriores, qui Severo opponuntur.* 237
§. 10. *Auctoritatibus ſanctæ Scripturæ ſancti Saviniani epocha aſſeritur.* 254
§. 11. *Rationum momenta quibus eadem epocha probatur.* 259

CAPUT III.

Reſpondetur ad Objectiones contra ſuperius aſſertam Saviniani epocham. 267

Digitized by Google

INDEX.

Objectio i. *Scriptor Anonymus.* ibid.

Objectio ii. *Primatialis dignitas.* 269.

Objectio iii. *Litaniæ.* 287

Objectio iv. *Ex* LXXII. *Chriſti diſcipulis.* 295

Objectio v. *Ætas auctoris Actorum ſancti Saviniani.* 297

Objectio vi. *Tempora Lotarii, Ludovici & Caroli Imperatorum.* 299

Objectio vii. *Ex corruptis ſancti Saviniani Actis prodiiſſe Acta ſanctorum Agoardi & Agliberti.* 306

Objectio viii. *Concilium Francof. Guibertus abbas Novigentinus, Melchior Canus.* 318

Objectio ix. *Interpontificium.* 320

Objectio x. *Sanctus Gregorius Turonenſis, & Scriptor Anonymus paſſionis ſancti Saturnini.* 328

Objectio xi. *Sulpitius Severus.* 337

Appendix. §. Primus. 346

§. alter. Ad criticam Dupinii de Epiſt. *66.* *aliàs* *67.* ſancti Cypriani. 365

PARISIIS,

Ex Typographia Antonii Lambin, 1687.